Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Willebrand

Disputationum De Principiis Vitae Politicae, Ex Aristotelis Quinque Prioribus Libris Ad Nicomachum ... Pars Prior

Rostochii: Myliander, 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0001
DFG

30. VIII. 02.

4/a. 12.

J. I. b 3298.
I

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0002
DFG

DISPVTATIONVM

DE PRINCIPIIS VITAE POLITICAE,

EX ARISTOTELIS QVINQVE PRIORIBVS LIBRIS AD NICOMACHVM,

In Academia Rostochiana institutarum

à

NICOLAO WILLEBRANDO
Philosophiæ & I.V.D.

PARS PRIOR



Rostochij Prælo Myliandrino
ANNO 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0003
DFG

AMPLISSIMIS, ERVDITIONE, PRVDENTIA ET AVCTORITATE PRÆSTANTISSIMIS

DOMINIS CONSVLIBVS ET SENATORIBVS INclytæ Reipub. Rostochienſis

Dominis & Patronis meis reuerenter & officiosè colendis.

Annus iam agitur nonus, viri prudentißimi, cum publicè in hac Academia docendi eã Philoſophiæ partem mihi demandaretur prouincia, in qua de rebus expetendis fugiendisq; diſſeritur, et quomodo exſultanti detrectantiq; rationis imperium, frenos iniicere oporteat cupiditati: tum quomodo quisque in gubernanda re familiari ſe gerere

gerere debeat: et postremò quibus moribus, institutis, legibus temperandæ sint ciuitates: quibus illæ modis fundari atq; instituí, quibus augeri atq; amplificari, quibus deniq; copiosissimæ, locupletissimæ, vno verbo, beatissimæ effici possint. Hanc prouinciam qua fide, quaue industria hactenus obierim, multis prædicare non habeo necesse, coram vobis præsertim, qui studium hoc meum etiã vltrò probare eo ipso visi estis, quod promissum mihi annum stipendium non tantùm in tempore sine difficultate persoluistis, sed binis quoq; vicibus beneuole auxistis, vt ita vestrum erga me animum exindè non minus quam ex alijs haud obscuris in me bene-

uolentiæ & humanitatis officijs concernere mihi fuerit liquidissimum. Quin ergò vicissim aliquã gratti animi significationem vel hoc ipso saltem exhiberem, quod has qualescunq; disputationes politicas, quas anno superiori in studiosæ iuuentutis vtilitatem institui, vobis offerrem, facere nec potui nec debui. Quid autem in istis præstiterim, & quem inde fructũ non iuuentus modo, sed alij quoq; qui ad gloriam virtutis via grassari nituntur, capere possint, meũ non est commendare prolixius. Hoc tantum dico, multum à me operæ iampridem in harum rerũ cognitione positum esse: multas noctes vigilatas, vt ad huius philosophiæ intelligentiam peruenirẽ:

præcipuè olim, cum ad iuris ciuilis studia animũ applicarem meum: ad quæ libros de moribus, deq; re tùm ciuili tùm domestica ab Aristotele, illo inquam philosopho, in quem vnum vim suam vniuersam contulisse natura rerum recte & verè dicitur, scriptos mirificè vtiles esse intelligebam. Namq; accuratam eorum tractationem & intelligentiam non tantum ad omnes vitæ partes vtilissimam; sed vel præcipuè ijs, qui in iure ciuili excellere, locumque aliquem non inter circumforaneos istos clamatores, quos Tullius rabulas appellat forenses; sed inter veros & graues & veterũ illorum similimos Iureconsultos obtinere meditentur, apprimè ne-

ceſſariam eſſe, id, quam verum ſit, iudicare potuerunt non quidē ij, qui ſimulatq; ex ſcholis triuialibus exſilirent, ipſis philoſophiæ partibus ne à limine quidem ſalutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum vſu, nulla antiquitatis cognitione inſtructi derepentè animum ad ius ciuile appulerunt, quibusq; palmarium fuit viſum, multarum legum non intellectarum principia vno ſpiritu citare, & mancipiorum more multorum interpretum nomina recenſere, quiq; vt egeni et inopes homines, cum totam noctem ſomniarunt, ſe diuites repentè factos eſſe, vbi diu gemmas, aurum, purpuram contrectarunt, experrecti, omnia domi ſuæ obtenta telis aranearū

nearum vident: Sed ij tantũ, qui intellexerunt quibus ex fontibus manárint ampliſsima illa iuris ciuilis flumina, per quæ, toto orbe ſparſa atq; diffuſa, tam multi aſſiduè ſummo homines ingenio nauigarent, quiq; ſe ad græcarum literarum & diſciplinarum magiſtros contulerunt, eademq; opera omnes ad vnum veteres linguæ latinæ ſcriptores diligenter et accuratè peruolutárunt, & ſic per omne ſcriptorum genus vagantes in eo toti fuerunt, vt decerpere aliquid ac delibare ex eorũ vnoquoq; poſſent, quod ad Iuriſprudentiam expoliendam & exornandam eſſet accommodatum. Etenim quî fieri poteſt, ut principiata intelligat, qui principiorum

ferè nullam habet cognitionem? quemadmodum per rerum naturam fieri non potest, vt syllabas coniungat, & omnes dictiones legatis, qui literarum elementa seu alphabetum non exactè cognouit. Atqui non ICtorum ille Coryphæus Vlpianus tãtum, sed & Imperator ipse sacratissimus principia, ex quibus Ius ciuile extructum est, catholica et vniuersalia hæc tradidit. nempè Honestè viuere, neminem ladere, suum cuiq; tribuere. Quotus autem quisq; est, qui vim & naturam horum principiorum vel leuiter duntaxat percipiat, nisi aliquandiu in studijs versatus philosophicis. Namq; honestè viuere quid sit, quis obsecro nouit, nisi

qui

qui sciat quid viuere sit, (non n. hoc vivere tantùm est, quod vulgus existimat, neq; ita intellexit Imperator) quid itidem & quotuplex sit honestas, cuius Cicero quatuor, ille verò parens humanæ sapientiæ Aristoteles vndecim recenset species. Ita quoq; in secundo principio tenebræ ei sunt densissimæ, qui non probè perspectum habeat, cum homo sit πολιτικὸν ζῶον, & propterea homo homini Deus esse debeat, quibus ex causis fiat, vod plerunq; homo homini sit lupi, et nonnunquã etiam multo nocentior, quandoquidem lupus non in sui, sed in diuersi tantum generis animalia sæuit, sicuti & reliquæ immanes bestiæ, de quibus Poeta:

Indica Tigris agit rabida cum Tigride pacem
Perpetuam: sæuis inter se conuenit vrsis,

Hoc verò principium tale est, vt si ab omnibus rectè cognoscere tur, (quæ quidem cognitio non in nudo verborum intellectu, sed quia practicum est principium, vel præcipuè in praxi & vsu consistit,) nullus opus esset iudicys, nullo iudice, nullo magistratu. Vbi enim nemo ægrotat, ibi non opus est Medico: vbi non erratur, quid ibi corrigas? Et hoc est, quod diuinus ille & incomparabili [illegible]eros de vniuersa humana sap[illegible]tia præter supraq; omnes mortales benè meritus inquit, Correctiua Iustitia, quæ iniuriã veluti morbum reductione æqualitatis curet, non opus esse, si rectè administraretur distributiua & nemo laderetur. Tertium denique prin-

principium quis intelligit, si non intelligat, quid cuiq; cum in communium bonorum, hoc est, officiorum, magistratuum, dignitatum, præmiorum, item pœnarum & suppliciorum dispensatione; tum in priuatorum commutatione, in permutatione & contractibus debeatur. Gradus enim plures sunt societatis humanæ, vt Cicero in 1. offic. docet. Namq; vt ab illa discedatur infinitate, quæ cernitur in vniuersi generis humani societate, in qua cuiq; debetur, quod ad communem vsum hominum natura genuit, propior est eiusdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines coniunguntur. Interius etiam & contractius quiddam est, eiusdem esse ciuitatis. Multa enim, dicente eodem Cicerone, ciuibus sunt communia, v.g. Forum, fama, porticus, viæ, leges, iura, iudicia, suffragia,

gia, consuetudines, præterea & familiaritates, multaq; cum multis res, rationesq; contractæ. Arctior verò colligatio est societas propinquorum, quibus plurima debentur, vt maior ob id fiat iniuria, si quod illis debetur, non modò non detur, sed etiam adimatur. Hinc grauiori pœna irroganda, si filius patrem, frater fratrem iniuria affecerit, quàm si peregrinus peregrinum. Sed quid opus est verbis? Illud quidem liquidò constat, quod principia iuris, quæ tamen omninò præcognita esse debent, non intelligat, qui Philosophiam ignorat, & quod oleum & operam perdat, qui limpidam aquã haurire se posse autumat, nisi recurrat ad fontes illos, quibus illa scaturiat. Quantam verò vtilitatem ciuitatum & Rerumpub. gubernatores ex diligenti cognitione præceptorum philoso-

phiæ

phiæ percipiant, copiosè explicare, nimis foret immensum. Si enim par est agere cum ciuibus, non hastam in foro ponere, & bona ciuium voci subijcere præconis: si laudabile est & honorificum ærarium habere quàm locupletissimum, ne sit æs alienum in ciuitate, Philosophia est, quæ docebit, quomodo leges sumptuariæ in vestitu, victu & ædificijs sint faciendæ: quomodo rerum omnium necessariarum æqua precia, auctoritate publica sint constituenda, ne pro suo quisq; arbitrio diuendere atq; ita tandem alter alterum exhaurire possit: quomodo vsuris modus sit præfigendus, vt sint tolerabiles: quomodo ignaui & luxuriosi sint profligandi: quomodo monopolia non prohibenda tantum & improbauda, sed prorsus exterminanda: quomodo leges coniugiorum faciendæ, vt ætatis & rei familia-

miliaris, aut certè quæstuosi artificij ratio habeatur, nec cuiuis liberum sit, malæ frugis mendicis implere ciuitates: quomodo eleemosyna sit danda, qua succuratur pupillis, viduis, senibus, ægrotis, qui non sua culpa, sed casu vel culpa aliena egent. Sic si discordijs infestetur ciuitas & seditionibus, subditiq; sint immorigeri, quomodo & quibus artibus vniuersam illam multitudinem, inquietam, discordem, turbidam, leniter redigi oporteat sub commune quoddã obedientiæ iugum, quid faciendum, vt magistratus à subditis etiam impijs & malis ametur & veluti in oculis habeatur, vnica docet philosophia, vt ob id non minus rectè quam prudenter à Platone sit enunciatum: Beatas tum demum esse Respub. quãdo qui in ijs gubernant, philosophantur, quod contingit, non cum aut in disse-

rendi

rendi subtilitate, aut in perueſtigandis rerum naturalium cauſis occupati ſunt: quæ licet præclara ſint, longiſſimè tamen abſunt ab eo, vt beatas Reſpub. efficere poſſint: Sed cum virtutis pulchritudine incenſi omnes vires ſuas ad eam non cognoſcendam modò, ſed exercendam, excolendam, propagandam conferunt, vt vita potius non oratione, factis non dictis, moribus non ſermonibus philoſophentur, quod pulcherrimum eſt ac veriſſimum philoſophandi genus. Namq;

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Cum igitur vos viri præſtantiſſimi, in gubernatione veſtra hactenus ita ſitis philoſophati, vt hæc præcepta, quæ in hac Academia tradidi, exemplo veſtro comprobaueritis, & propterea pacatam adhuc Dei beneficio & felicem habeatis Remp. ciues q; mediocriter florentes,

idcirco

idcirco has disputationes, quas inter multas magnasq; occupationes conscripsi, quasq; vt edi ac diuulgari paterer, amici quidam, multò mei, hac quidem in parte, quàm par est, & quàm ipse vellem, studiosiores, impulerunt, vobis eò libentius dedicare volui, sperans fore, vt eas nou ingratas neq; irritas sitis habituri. Deum veneror, vt Rempub. hanc vestram in pace & concordia, inq; omnium bonorum affluentia quàm beatissimam, vosq; in ea feliciter gubernantes in prosperrima incolumitate quàm diutissimè foueat & conseruet. Benè & feliciter valete.

vestri

studiosissimus

Nicolaus VVillebrandus.

THE-

THEMATA

DE PHILOSOPHIA PRACTICA,

Respondente

IOACHIMO CLVTENIO

Parchimense Megaloburgico.

I.

QVæ olim σοφία dicebatur, postea auctore Pythagorâ in colloquio cum Leonte Phyliasiorum principe hac de re instituto, ob grauissimas causas, & ut arrogantia eorum qui gloriæ & quæstus cupiditate se sapientes esse profitebantur, cum tamen veræ sapientiæ vix umbram & imaginem tenerent, comprimeretur, philosophia est nuncupata, unde qui olim σοφοι, nunc φιλοσοφοι dicuntur. *Qui olim σοφοι, nunc philosophi dicuntur.*

2. Hinc non eodem modo sapientia & philosophia definiuntur. Plato enim sapientiam esse volebat perfectam DEI cognitionem cum puro ejus cultu & religione coniunctam: Philosophiam vero iam studium sapientiæ, iam mortis *Differentia inter philosophiam & sapientiam secundum Platonem.*

tis meditationem, interdum conuersionem animi ad ea, quæ vera sunt & diuina, interdum hominis perfectionem & ὁμοίωσιν θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, nonnunquam aliter definiebat.

Quomodò Stoici sapientiam à philosophia distinguant.

3. Sed & ipsi Stoici quemadmodum & Academici magnam inter sapientiam & Philosophiam esse differentiam agnoscunt, quando hanc quidem in hominem, illam vero tantum in Deum cadere affirmant, & sapientiam divinarum ac humanarum rerum perfectam scientiam, at philosophiam accommodatæ ad vitam artis meditationem definiunt.

Quomodo Aristoteles

4. Aristoteles autem (quem ipse quoq; Plato Magistrum veritatis dictitabat, & nos merito ut præceptorem nostrum sequimur, vt puta philosophum adeo perfectum vt Natura in eum omnem suam vim contulisse dicatur) quinam inter homines verè sapientes dicantur, lib. 6. Ethic. præclarè ostendit, nempe qui recondita, eximia, admirabilia & diuina quædam tenent, sed inutilia, cum humana bona non quærant, vnde eos non humanam sed divinam vitam vivere, & non simpliciter homines, sed mortales quosdam Deos in hac vita esse

esse multis rationibus & argumentis lib. 10. Eth. & passim alibi demonstrat.

5. Philosophiam vero proprie sumtam, cum videatur duntaxat pro disciplinis contemplativis accipi, quemadmodum ipsum nomen satis indicat, definit ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας, & in Metaphysicam quæ τὰ ἁπλῶς ὄντα, Physicam, quæ τὰ ἐν ἀφῃρέσεως ὄντα, ac Mathematicam, quæ τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα considerat, non inconvenienter dividit.

Philosophia stricte sumta

partes philosophiæ Theoreticæ.

6. Sed quando in latiori significatione accipitur non tantum pro illis disciplinis, quæ veritatis tantum & scientiæ causa exquiruntur, verum etiam pro illis, quæ vitam humanam dirigunt, & quomodo agendo id quod bonum est & honestum acquirere debeamus, docent, non male definitur, quod sit habitus intellectualis animum hominis beatitudine contemplativâ & politicâ perficiens.

Philosophia in latiori significatione

Definitio philosophiæ

7. Non inepte etiam illa definitio, qua nonnulli Metaphysicam definiri aiunt, philosophiæ accommodatur, quod sit γνῶσις τῶν ὄντων ᾗ ὄντα, hoc est, cognitio eorum quæ sunt, quatenus sunt. τὰ ὄντα autem sunt vel ἀναγκαίως, vt quæ aut im-

Res Necessariæ mediatè à Deo aut per naturam fiunt, vel ἐνδεχομένως, utputa quæ, cum pendeant ab hominum arbitrio, subindè aliter atq; aliter fieri possunt. Hæc humana, illa divina vocantur.

Res contingentes.

8. Atq; ita si accipitur hæc philosophiæ definitio, qua dicitur esse γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, facilè tolerari potest, nempè si per τὰ πράγματα θεία intelligamus res sempiternas, perpetuoq; eodem modo se habentes, quæ non pendent ab hominum arbitrio sed necessario fiunt: per τὰ ἀνθρώπινα verò res eas, quæ quia in hominis arbitrio consistunt, contingentes appellantur.

Res diuinæ

Res humanæ

9. Hinc duas philosophiæ partes esse colligimus, alteram cui τὰ ἀναγκαῖα καὶ τὰ θεῖα subijciuntur, alteram quæ τὰ ἐνδεχόμενα seu τὰ ἀνθρώπινα considerat. Hæc practica dicitur seu Politica: illa verò Theoretica seu contemplatiua nuncupatur.

Philosophiæ diuisio

10. Cum igitur omnia quæ sunt in toto hoc uniuerso, vel ἀναγκαῖα sint, vel ἐνδεχόμενα, necesse est, omnes disciplinas ac facultates, & quicquid humanâ industriâ iuventum est, vel ex philosophia proficisci, vel ad eam omninò referendum esse.

Philosophia fons & origo omnium disciplinarum.

11. Sed

11. Sed nos, scientijs Theoreticis in præsentiarum omissis, de Practica seu Politicâ Philosophiâ, deq; ijs disciplinis, quæ ad hanc Philosophiam pertinent, pro temporis ratione adhuc pauca quædam subiungemus.

12. Τὰ ἐνδεχόμενα autem, seu τὰ ἀνθρώπινα, quæ Practicæ Philosophiæ subijci dixi-mus, in duplici sunt differentia. Alia enim ποιητὰ sunt, alia πρακτὰ h. e. Alia à nobis fiunt per modum effectionis, alia per modum actionis. *Contingentia sunt duplicis generis*

13. Per modum effectionis fiunt, seu ποιητὰ sunt, quorum finis est opus extra nos productum, quæq; subijciuntur artibus propriè dictis. ποιεῖν enim seu efficere illi dicuntur, qui opus aliquod extra se producunt, & versantur circa materiam corpoream, instrumentoq; utuntur corporeo, ut patet in artificum & opificum operibus. ποιητὰ *Efficere.*

14. Artes illæ huiusmodi res tractantes sordidæ & illiberales vulgo dicuntur, quia quæstus & lucri causa plærunq; expetuntur, atq; olim etiam fere à seruis & mancipijs tantùm exercebantur, quarè & hodiè disciplinis practicis omnes hæ artes merito inseruiunt & famulantur. *Artes illiberales*

τὰ πρακτὰ

15. Per modum actionis verò fiunt, seu πρακτὰ sunt, quæ consilio ac prudentia gubernantur & quorum finis est honestũ seu ipsa potius betitudo hominis politica.

16. Quemadmodum igitur τὰ ποιητὰ tractant artes philosophiæ politicæ inseruientes, quæ ποιητικαὶ usitate nominantur: Jta practicas disciplinas, quæ partes sunt philosophiæ politicæ, circa actiones humanas tum cognoscendas tum dirigendas versari, quatenus ijs vel boni vel mali, & propterea etiam beati vel miseri reddimur, in confesso est.

obiectum practicæ disciplinæ

17. Sunt autem Practicæ Philosophiæ partes: Ethica, Politica speciatim dicta, & Oeconomica; quæ non ut plærique existimant, secundum considerationem vitæ hominis distinguuntur, quasi libri Ethici de hominis priuati vita simplissima per se considerata agant, Oeconomici verò & Politici de vitâ respectu aliorum consideratâ, hi quatenus eâdem ciuitate illi quatenus eadem domo cum alijs participat, præcipiant.

Practicæ philosophiæ partes,

Refutatur quorundam opinio de Diuisione philoso-

18. Nam si hæc inveterata opinio vera esset, necessario præter dictas species adhuc alia requireretur, quæ principia generalia vitæ practicæ traderet, cum ea

quæ

quæ specie differunt, genere necessariò conveniant, quemadmodum hominem & equum specie differre, sed communi genere animalis participare dicimus. Etsi enim singulæ species, quatenus sunt species, causas peculiares habent: Habent tamen eædem ratione generis communes alias à peculiaribus diversas. phiæ practicæ.

19. Si igitur Ethica, Politica, & Oeconomica practicæ philosophiæ species sunt ἀντιδιαιρέσεις seu contradistinctæ, & subjectum seu materiam habent specie diuersam, hoc est, tres illas vitæ practicæ species, de quibus paulo ante diximus, certè præter libros Ethicos, Politicos & Oeconomicos, alij causas illas communes & generales, in quibus tres illæ species vitæ practicæ conueniant, & è quibus tanquam principijs deducantur, tractantes erunt necessarij.

20. Sed iam manifestissimè constat, totam Practicam philosophiam tribus iam dictis partibus comprehensam esse, nec præter eas aliam esse necessariam, & libros Ethicos non tàm speciem certam vitæ practicæ, quàm principia generalia ejusdem persequi.

21. Rectius ergo Philosophia Practica

Vera diuisio philosophiæ practicæ.

tribuitur in partem generalem seu communem, & in partem specialem seu propriam. Illa est, quæ tradit principia, fundamenta & semina totius Philosophiæ ciuilis, & potentiâ includit vniuersam Practicam philosophiam, & decem libris Nicomachijs absoluitur: Hæc verò quasi ex illa constituta descendit ad ordines, ad præcepta propria & leges, quæ vel ad familiam, vel ad cives in officio politiæ retinendos & rectè gubernandos pertinent. Ex illis Oeconomica, ex his verò Politica emergit.

Virtus bifariam consideratur.

22. Cum enim homo sit animal Politicum, non sibi solum, sed & alijs natum, atque ob id virtutis actiones ad alios, quibus cum vel in familia, vel in ciuitate conuersatur, dirigat, licet ejus habitu & possessione simpliciter vir bonus dici possit, cumq; ita virtus patrisfamilias & virtus ciuis specie differant, conueniant autem in virtute boni viri, quæ in Ethicis traditur; Virtutes profecto eæ, quæ in Ethicorum libris explicantur, non ad hominem priuatum tantum pertinebunt, sed principiorum formalium instar erunt, ex quibus actiones laudabiles in vita tàm Oeconomica,

mica quàm Politica proveniant.

23. Virtus namq; , quæ veluti forma est vitæ beatæ practicæ dupliciter consideratur, vel ἐν αὑτῷ & per se, quatenus ἕξις est, & habentis animum perficit, vel ἐν χρήσει & respectu aliorum quatenus πρᾶξις & actio eiusdem alijs etiam commodat. Hic eadem vtrobiq; virtus est, ratione solummodò differens. Sed quia patersamilias & ciuis specie differre videntur, ipsæ quoque actiones patrisfamilias & ciuis specie differre dicuntur, licet ex eodem habitu virtutis proficiscantur.

Virtus in Eth. consideratur generaliter

24. Hinc iam sequitur, quia in Ethicorum libris virtus consideratur generaliter, cum quoad habitum, qui perficit habentem cuiuscunq; ille sit conditionis, siue pater vel filius, siue dominus vel seruus, siue maritus vel vxor, siue magistratus vel subditus, tum quoad actiones eiusdem, quatenus simpliciter ad alios nullo personarum respectu habito pertingunt; doctrinam Ethicam non certam speciem vitæ practicæ, sed principia generalia eiusdem persequi, quæ non minus ad œconomicam quàm ad politicam accommodari possunt. In ea enim non

explicantur in ſpecie officia magiſtratus & ſubditi, patris & filij, mariti & vxoris, &c. ſed præcepta generalia omnibus hominibus, cuiuſcunq; ſint conditionis convenientia traduntur.

Ethica quid

25. Eſt igitur Ethica nihil aliud, quàm diſciplina practica omnibus & ſingulis bene beateq; viuendi rationem præſcribens. Eaque decem libris ad Nicomachum abſoluitur, qui ab Ariſtotele, vt puta optimo Methodi artifice, rebus, quæ in ea tractantur, conuenienti Methodo, analytica nimirùm ſeu reſolutiua ſcripti ſunt.

Scripta eſt Methodo Analytica.

26. Nam de fine vitæ practicæ, id eſt de Politica hominis beatitudine ſtatim in primo libro agit, & poſtea reſoluendo inquirit, & docet media, quibus adiuti finem nobis propoſitum, in quo præcedentes cauſæ omnes continentur, conſequamur.

Series & argumenta librorum Eth.

27. Cum autem vitæ humanæ forma ſint animi humani habitus, qui veluti media ſunt, per quæ vel beati reddantur homines vel miſeri, de illis accuratè agit Ariſtoteles, ac ſtatim explicato fine hominis eos ex animi humani facultatibus in Dianoëticos ſeu intellectuales

ctuales & Ethicos seu morales distinguit, idque in Vlt. c. lib. 1.

28. Deinde cum habitus alij perfecti sint, alij imperfecti, de his primâ & maximâ parte libri septimi, de illis vero secundo, tertio, quarto, quinto & sexto libris disputatur.

29. Et primo quidem de virtutibus Ethicis cum in genere, in quibus scilicet conveniant, nimirum respectu hominum, quomodo nempe comparetur virtus, & respectu sui ipsius, quomodo definiatur, libro secundo & quinque prioribus capitibus tertij libri, tum in specie, in quibus scilicet à se invicem differant, nempe respectu facultatis rationis expertis, in qua perturbationes variæ reperiuntur, & simul aptitudo quædam, vt rationis imperio pareat.

30. Cum enim perturbationes in hac animi parte consistentes, aut actiones ob eadem promanantes, vel ad habentem hoc est, ad eum, qui affectibus illis agitatur, & has actiones obit; vel ad alios, quibus cum viuit, & conuersatur, & erga quos vel perturbationes vel actiones dirigit, quatenus vel digni sunt vel indigni, referantur: ob id virtutum quoq;

mora-

moralium, quæ circa perturbationes & actiones occupantur, quædam absolutè considerantur, quædam vero tantum relatiuè.

31. Absolutè considerantur, Fortitudo, Temperantia, de quibus in posteriore parte libri tertij, item Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Modestia, Mansuetudo, Integritas, popularitas & vrbanitas, de quibus iunctâ etiam verecundiâ tanquam affectu laudabili, libro quarto agitur.

32. Relatiuè consideratur Justitia, quæ vnicuiq; pro meritò id quod suum est tribuens suo ambitu omne genus actionum laudibilium comprehendit, & vniuersalis dicitur, peculiariter verò actiones eas in quibus apertè lucrum & damnum intercedit, & particularis appellatur, de qua libro quinto disputatur.

Cur lib. 6. De intellectualibus virtut. agatur.

33. Deindè libro sexto virtutes Dianoëticas non practicas tantum, sed etiam theoricas explicat Aristoteles, non ex professo, sed vt ex illarum declaratione habitus practicus, ipsa nimirum Prudentia, cuius in definitione virtutis moralis fit mentio, apertius cognoscatur, sicuti eandem ob causam libro decimo,

cimo, vt beatitudo politica manifestius intelligatur, theoricam obiter enarrat. Generalis enim cognitio particulari inseruit.

34. Istis ita primum explicatis, cum ad essentiam beatæ vitæ practicæ pertineant, deinde de accidentibus duobus communissimis, quæ omnes actiones præcedunt, comitantur, sequuntur, de Amicitiâ nempe lib. 8. & 9. ac voluptate libri septimi posteriore, & priore parte libri decimi agit, ac tandem, vt à qua libro primo tanquam basi Resolutiui ordinis exorsus fuerat & ex ea totam de moribus disputationem perduxerat, in eandem desinat, cum disputatione de beatitudine libros Ethicos claudit, atque ad libros politicos sibi aditum parat.

35. Ex quo etiam intelligitur, cum libri politici nemine, quod sciam, refragante, autorem agnoscant Aristotelem, hos Ethicos libros non ad Nicomachum filium, quemadmodum Cicero & alij voluerunt, sed ad ipsum quoq; Aristotelem esse referendos, quippe cum ipse in fine decimi Ethico. luculenter ostendat eiusdem autoris esse libros Ethicos

Aristoteles autor est librorum Eth.

eos, cuius sunt politici. Atqui Politicos nemo vnquam Nicomacho tribuere potuit. Ergo nec Ethici ad eum sunt referendi. Sed cum politici communi omnium eruditorum iudicio Aristoteli adscribantur, quin Ethici quoque libri, & præcipuè illi, qui Nicomachij vulgo dicuntur, authorem habeant Aristotelem nullum est dubium.

Argumenta essentialia librorum Arist. legitimorum à Spurijs dignoscendorum.

36. Namque rerum quæ in his libris docentur ea est certitudo, & dogmatum tanta constantia, ac modi docendi cum quoad λέξιν, tum quoad τάξιν elegantia eiusmodi, vt nihil in ijs reperiatur quod non sapiat constantiam, ingenium, iudicium, eruditionem, stylum, ordinem & Methodum Aristotelis.

Dubium

37. Sed hoc forte mouet dubium, quod inscribantur ἠθικὰ Νικομάχεια, cum tempora non videantur ferre potuisse, vt Aristoteles, vir adeó grauis, qui non consueuit titulis librorum suorum alieni quid admiscere, libros tàm magnos tamq; arduos Nicomacho filio scribere potuerit aut debuerit, qui puerulus admodum, moriente patre, est relictus

relictus tutelæ ac curæ Hipparchi, Timarchi & aliorum eius testamenti tutorum.

38. Verùm hæc suspicio non est tanti momenti, vt propterea libros hos Aristotelis esse negare liquido possimus. Vt vt enim non sint scripti ad Nicomachum, Sed hic titulus fortè adulterinus, cum potius hi libri Magna Ethica, & ea, quæ vulgò ita dicuntur, si sunt Aristotelis, Nicomachia sint vocanda, quod nomen illud, Magna, illis paruis non conueniat, & si quid filio scripsit Aristoteles, Epitomen potius ac synopsin morum isti ætati magis conuenientem, quam diexodicam doctrinam scripsisse existimandus sit: Hoc tamen ex argumentis supra allatis apertè constat, cum dogmata ipsa Aristotelea sint, λέξις pariter Aristotelea, τάξις admiranda & Aristotele omninò digna, adeoque siue subiectum spectes, siue doctrinæ modum, nemo Aristoteli similior esse possit, quàm ipse est sibijpsi, istos libros qui Nicomachij vulgo inscribuntur, nemini nisi Aristoteli asserendos esse.

39. Circumferuntur autem inter opera

pera Aristotelis quidam alij libri Ethici, nempe Eudemij, & vulgo dicta Magna Moralia. Sed isti vel Aristotelis non sunt, vel si sunt, rudes sunt & imperfecti fœtus, quibus facilè carere possumus, præsertim cum in libros illos decem, in quibus hæc doctrina perfectè continetur, sint transformati, ijs quæ benè dicta erant, retentis: quæ minus rectè, vel correctis aut omnino repudiatis: quæ non suo loco, transpositis & iusto ordine collocatis.

Magna Moralia & Eudem.

40. Sed de libris Ethicis hactenus. Iis autem libros Politicos, quos de optimo ciuitatis statu, siue de Reip. benè administrandæ ratione scripsit Aristoteles, immediatè subiungendos esse, ex Epilogo Ethicorum intelligi potest, vbi philosophiæ practicæ doctrinam tunc demum perfectam fore ostendit, si vniuersali theoriæ principiorum in Ethicis traditæ particularis theoria principiatorum, vitæ scilicet Politicæ & Oeconomicæ, adiungeretur.

41. Quamuis enim domus naturâ & tempore prior sit ciuitate, atque ob id libri

libri quoque Oeconomici, qui de officijs patrisfamilias & eorum, quæ sunt in domo, agunt, Politicis utputa in quibus de civitate tractatur, videantur præferri debere: Doctrinæ tamen & dignitatis ordine Politici primum merito obtinent locum, præsertim cum etiam primus Politicus in domestica disciplinâ οἰκονομικῶν nomine significata totus sit occupatus.

Libri politici priores œconomicis.

42. Cum igitur Aristoteles in his libris à prioribus ad posteriora progrediatur, nempe à simplicissimis, & ab internis causis ad composita seu ad effecta, necesse est, eos ordine compositiuo esse scriptos, idque non incommodè: Namq; in operatricibus disciplinis prius necesse est ordine vti resolutiuo ad docendum, & ad principia inuenienda; deinde compositiuo ad agendum ex illis principijs. Cum igitur generalia principia doctrinæ politicæ in Ethicis, In politicis autem principiata tradantur, quæ magis sunt singularia, & in actionibus potissimum consistunt, idcirco Aristoteles in illis Analyticum, in his vero compositiuum ordinem rectè seruauit.

Argumentum librorum politicorum.

43. Ergo Politicæ doctrinæ principia interna, materiam scilicet & formam in tribus prioribus libris explicat Aristoteles, Illam in primo, ex quibus nempe societatibus civitas constituatur, & quoniam civitatem ex vicis, vicum ex domibus constare ait, ob id maximè & per totum ferè librum, societatum ex quibus domus componitur, rationem persequitur, quatenus videlicet considerantur vel secundum materiam & finem varium vel secundum formam: Hanc verò in secundo & tertio libris, in quorum illo constitutionem Reip. ἀποφατικῶς non veram ab alijs assignatam confutando, in hoc autem καταφατικῶς non veram docendo & species Reip. enarrando declarat, atque in fine eiusdem de regno disputare incipit.

44. In posterioribus vero libris doctrinæ politicæ principiata, h. e. ea quæ ex principijs suis orta sunt, atque ita ipsasmet Politias, quatenus sub prudentiam Politicam cadunt, exponit, & quoniam Prudentiæ Politicæ duæ sunt species, εὐβουλητικὴ σωστικὴ, καὶ κριτικὴ γνώμων, quarum hæc ad πρᾶξιν siue χρῆσιν, illa ad διωρίαν atque γνῶσιν facere videtur: ob id doctrina

Duæ species prudentiæ politicæ.

na quoque Politica tradenda fuit quatenus partim in εὑρέσει partim in εὑρέσει consistit.

45. In εὑρέσει, h.e. In Rebuspublicis, qualescunq; illæ sint, siue reuera existant, siue imaginatione tantum comprehendantur, cognoscendis & dijudicandis tùm quoad illarum naturam, quot nempè sint, & cum alia sit communissima, alia minus communis, quibus civibus illa, quibus hæc conferat, tum quoad accidentia, quatenus nempè oritur & esse incipit, quatenus quando est, augetur & conseruatur, & quatenus tandem etiam corrumpitur & interit Respub, In ijs inquam quartus & quintus libri occupantur. Et in his Theoria Politica otiosa esse videtur, quatenus cum posteriore conferatur.

46. In εὑρέσει autem seu in inveniendis præcipiendisq; ijs, quæ ad Politiæ cuiuscunque & conseruationem & incrementum facere possunt, & vicissim in prohibendis & arcendis ijs, quæ ad decrementum atque interitum eius pertinent, Praxis Politica negociosa esse videtur, quæ reliquis libris explicatur, quorum accuratiorem dispositionem

tionem in aliud tempus differemus.

47. Et quia sexto & septimo libris, quibus institutis & legibus Politiæ cùm imperfectæ quæuis, & ab Jdæa optimæ magis minusue deficientes, tùm perfectissima & optima, cuiusmodi nostra est Politia Romana, instruendæ sint, docetur, Idcirco nos, qui in ciuitate Romana viuimus atq; eius leges ignorare non debemus, ad doctrinam nostram Politicam Jus Populi Romani merito referimus, atq; ita nobis integram & perfectam Politicam comparamus.

Iuris prudentia cum philosophia Practica coniungenda

48. Neq; enim inter philosophicam & Juris consultorum tractationem de Legibus deq; rectè instituenda & prudenter gubernanda Repub. multum interest, nisi quod Philosophi τὸ μᾶλλον καθόλου paucis sed latissimè patentibus præceptis atq; regulis comprehendunt, ac veluti minorem syllogismi propositionem eamq; valdè generalem quatenus in ipsa Natura est fundata, constituunt: Juriscōsulti autem κατ' εἴδος singula declarant ac veluti Minorem syllogismi, quæ sæpe in controuersiam vocatur, attexunt ac probant, & magis, quid in ciuitate pro ratione personarum, locorum,

Differentia inter tractationem ICtorum & Philosophorum, de Repub. & legibus.

tem-

temporum & aliarum circumstantiarum obtineat & vtile sit, considerant ac perpendunt.

49. Latius enim, Senecâ autore, patet officiorum quàm Juris regula, quæ etsi & ipsa maiorem syllogismi propositionem constituit, præsertim quando sub ea facti species, quæ in singularibus consistunt, subsumuntur: Tamen si cum amplitudine philosophicâ comparetur, in magnis versatur angustijs. Quamuis enim neq; ipsæ Leges de Stillicidio Seij aut Titij, sed ἁπλῶς de stillicidio tractent: Jd tamen omne, quod de stillicidio agunt, longè angustius est, quam Thesis Philosophorum, suum cuiq; tribuens. Ius igitur Naturale quod latissimè patet, in Philosophia; Jus vero ciuile, quod ex illo maximâ ex parte exstructum est, in Jurisprudentia explicatur. *Doctrina Philosophorum de Repub. latius patet, quam ICtorum.*

50. Ex quo intelligitur, quàm non modo commoda, sed etiam necessaria sit futuro Jurisconsulto accuratior doctrinæ de moribus adeoq; totius Philosophiæ practicæ cognitio, vt non admiratione tantum sed magna insectatione digna sit illorum discitantia, qui fontibus *Necessaria est ICto philosophiæ cognitio.*

iuris perennibus neglectis riuulos consectantur, & tum demum se pulchrè suo perfunctos munere esse putant, quando legum centones memoriter consarcinare, et mancipiorum more nomina tantum dominorum recitare, norint, sapientiæ eorundem in philosophorum scriptis conceptæ atq; traditæ penitus ignari.

Inter iurisconsultum & doctum ICtum differentia.

51. Quamuis enim extiterint ICti qui nullam vel certè exiguam habuerunt philosophiæ cognitionem; doctus tamen ICtus non extitit vnquam, neque existere potest, sine mediocri si non eximiâ & exquisita philosophiæ præsertim politicæ notitiâ, vt ob id affirmare non verear, quo quis in studijs Philosophicis exercitatior fuerit, eo illum doctiorem fore Jurisconsultum, atq; in studio iuris & meliores & celeriores posse facere progressus.

62. Sed de Politica speciatim dicta, p instituti nostri ratione, hæc quoq; sufficiat.

Libri Oeconomici.

Restant adhuc libri œconomici, in quibus modus & ratio docetur familiam & rem domesticam regendi & gubernandi. Sed quia primus Politicus liber in tractatione œconomiæ totus est consumtus,

in

in quo omnia ferè proponuntur, quæ illi præcipua sunt, indè liquidò constat, qui post libros politicos seorsim editi sunt Oeconomici, in ijs tantum quædam particulariora tradi, quæ in primo politico ad vnguem tradi & explicari non potuerunt, cuius generis sunt etiam libri quidam Physici, qui parua Naturalia dicuntur.

Libris Ethicis politicis et Oeconomicis tota philosophia practica absoluitur.

53. Atq; ita istis libris omnibus, Ethicis nempè, politicis & Oeconomicis tota philosophia practica absoluitur, quippe cum in ijs contineantur omnia illa, quæ hominem in societate hac ciuili, ad quam natus est, perficiunt, & ciuiliter beatum reddunt, vt in omnibus suis actionibus id, quod reuera bonum est, apprehendere, malum verò illi oppositum fugere & euitare possit.

Vita solitaria:

54. Neq; præter hos libros alij sunt necessarij quamuis enim nonnulli præcepta quoq; illis danda esse existiment, qui hominum conuersationem vel necessitate coacti, vel voluntate adducti reliquerunt & in solitudines sese abdiderunt: Cum tamen vita illa solitaria vel humana non sit, quippe cum homo sit πολιτικὸν ζῶον, vel si humana, coacta tamen &

Homo est animal sociale.

non libera, eaq; propter imperfecta, manifestum est, philosophiam Practicam istis qui talem viuunt vitam non competere, quandoquidem virtutis ea est natura, vt cum possessione sua habentem perficiat, vsu quoq; & exercitatione alijs commodet, suum cuique pro dignitate tribuendo. Itaq; homini, quatenus homo, & conuersationem amat ac desiderat, Philosophia Politica accommodatur, atq; frugifera est & fructuosa.

Qui sponte se conferunt in solitudines.

55. Hanc autem hominis vitam in conuersatione vel politica vel œconomica positam qui relinquunt, & in solitudines se recipiunt, ij si ex vitioso habitu id faciunt vtpote odio hominum & μισανθρωπίᾳ quadam, cum limites humanæ improbitatis iam excesserint, atq; ad beluinam feritatem degenerarint, humana etiam ciuitate expulsi videntur, nec de ijs tanquam de hominibus amplius verba sunt facienda: Si veró id faciunt ex laudabili habitu, nimirum religionis studio, aut vt liberius philosophari possint, iam non homines tantum sed præstantiores & veluti Dij quidam censeri debent, cum ea ani-

animi sui parte viuant, quæ in ijs diuina est, vel, vt Poëta ait, Diuinæ particula auræ.

56. Si verò quis vel vi à potentiore coactus, vel metu maiorum malorum in solitudines abeat, certè animal politicum esse non desinit, quemadmodum nec grus, si à grege vel abducta, vel aberrans, auis gregalis sua natura esse desinit, sed tantùm per accidens. Quamuis igitur talis bene agendi destituatur occasionibus: virtutis tamen habitum consequi & vir bonus esse potest, licet imperfectè, idq; vel propria confessione, cum reditum & exoptaturus & cupidè amplexaturus videatur, virtutis exercendæ ergò.

Qui vi coacti solitariam vitam agunt.

57. Cum igitur in Practica Philosophia tantum de humana & Practica vita agatur, non autem de diuina, vt neque de bestiali, ob id quoq; omnia præcepta istius philosophiæ eò tendunt, vt hominem in morum honestate seu in præclaris actionibus perficiant, & quomodò inter homines tàm in ciuili quàm in familiari societate viuere debeat, ostendant.

58. Ad Practicam hanc siue actiuam

philosophiam referuntur etiam Rhetorica & poetica, non autem vt partes, sed vt instrumenta.

Instrumenta practicæ philosophiæ

59. Quamuis enim Logica, quæ in Organo Aristotelis perfectissimè traditur, communissimum sit instrumentum cognitionis per totam Philosophiam diffusum: Tamen cum in Practica Philosophia non tàm cognitio spectetur quàm actio, ad hanc certè necessaria etiam fuerunt quædam instrumenta. Et hæc non aliæ facultates nisi Rhetorica & Poëtica suppeditant.

Quomodo politicus vtatur Rhetoricâ & Poëtica.

60. Sunt enim Rhetorica & Poetica facultates instrumentales, quibus homo ciuilis ad agendum, id est, ad ciues bonos efficiendos vtitur, sed diuersimodè, illa per semetipsum, hac verò per alios. Ipse enim artificiosa oratione persuadet ciuibus, vt boni sint, in genere deliberatiuo, quæ commoda & honesta Reip. futura sint; in iudiciali iudicibus persuadet, vt iustè iudicent; in demonstratiuo bonos laudat, vt alios ad eorum imitationem excitet, malos vituperat, vt ab eorum imitatione deterreat. Poëticâ verò per alios vtitur. Neq; enim vel Poëta vel Mimus

esse

esse tenetur, qui Rempub. est gubernaturus, sed leges statuit, quinam Poëtæ & qualia Poëmata in ciuitate recipienda, quæuè sint reijcienda.

61. Atq; ita finis harum facultatum instrumentalium non est cognitio sed actio, & quia actionem propositam habent, atq; ideò in ciuilibus tantùm causis versantur, propterea post libros politicos sunt collocandæ, & discendæ ab eo demum & exercendæ, qui mediocrem doctrinæ politicæ cognitionem sibi comparauit. Cum enim commune instrumentum cognitionis sit Logica, quæ in Organo explicatur, idcircò ea omnibus Philosophiæ partibus anteponenda fuit, sicuti etiam à studiosis prius disci & cognosci debet, quàm ad Philosophiam se conferant. Rhetoricæ verò atq; Poëticæ, cum ea non sint cognitionis, sed actionis instrumenta, opera danda est post intelligentiam doctrinæ politicæ, vt homo ciuilis iam disciplinæ istius cognitionem adeptus, eam per has duas facultates tanquàm per instrumenta exercere, & ea vti in Reip. gubernatione aptus sit. Propria igitur & conuéniens harum duarum facultatum

Sedes ordinaria Rhetoricæ & Poëticæ.

cultatum sedes est post libros politicos. Sed de Philosophia Practica hactenus.

Coronidis loco de Jure ciuili quæstiones disputabiles.

1. *An & quomodò τὰ πραχτὰ ἀνθρώπινα circa quæ Philosophiam Practicam versari suprà diximus, sint jurisprudentiæ adæquatum subiectum*

2. *An jurisprudentia subalternetur Philosophiæ Politicæ.*

2. *An compositio, ordo & Methodus in Pandectis bona sit & rebus ipsis, quæ in ijs tractantur, conueniens.*

4. *An Ius Romanorum, quod certis libris comprehensum habemus, verè ius sit, & vtrum nitatur tantùm autoritate eorum, qui illud constituerunt, an verò potius rationibus & argumentis ex ipsa naturâ petitis.*

6. *An & quibus ex causis venatio prohiberi possit à principibus eorum subditis, & an operam venationi dantes contra principis edictum pœna corporali vel etiàm capitali sint afficiendi.*

THEMATA
DE POLITICA HOMINIS BEATITVDINE

Respondente
GEORGIO SCHRODERO *ex Holsatis Neomonasterienſi.*

I.

DE principijs ſimul & principiatis ſeu Speciebus vitæ practicæ, præcipere practicam Philoſophiam, ſuperiore diſputatione diximus: Cum vero Finis facultate in ſe complectatur reliqua principia ſeu cauſas, idcirco de fine vitæ politicæ, veſtigijs inſiſtentes præceptoris noſtri iam breuiter agemus. *Finis.*

2. Cuius enim cognitio magnum ad vitam degendam habet momentum, id in Philoſophia practica propriè conſiderandum eſt, vt quid ſit, & ad quam facultatem pertineat conſtet [πρὸς τὸν βίον γνῶσις] quippè cum nemo telum directè mittat, ſi non præſpeculetur ſcopum ad quem collineet. Atqui practicæ finis, qui eſt ſummum bonum, ad vitam practicam vnicè confert. Eius igitur conſide- *Finis cognitio neceſſaria.*

ſideratio quatenus Philoſophiæ Practicæ propria eſt à nobis meritò eſt ſuſcipienda.

Practicæ finis eſt ſummum bonum

3. Quod autem Practicæ finis ſummum bonum ſit, ex hoc Syllogiſmo conſtat: Quod omnia appetunt bonum eſt, & quod maximè appetunt, ſummum eſt bonum. [οὐ πάντα ἐφίεται] Atqui univerſa hominis vita, quæ [τέχνη] vel in efficiendo opus aliquod ex materia corporea, vel [πρᾶξις καὶ προαίρεσις] in agendo ſecundum habitus practicos ſeu morales, vel [μέθοδος] in contemplando res pulcherrimas propter cognitionem veritatis occupata eſt, finem ſummoperè appetit. Ergo finis eſt ſummum bonum.

Differentia finium.

4. [διαφορὰ] Sed finium quædam eſt differentia. Quidam enim cum ἐνέργεια ſit, ſeu operatio tranſiens, poſt motionem ſuperſtes non permanet, ut Cytharædi modulatio: Quidam verò eſt ἔργον ſeu opus, qui poſt operationem permanet, ut Calceus, domus. Quorum autem fines quidam ſunt præter motiones ſeu operationes, in illis opera ipſis operationibus ſunt meliora. Sic domus ædificatione melior eſt, cum hæc ꝓpter illam inſtituatur.

5 πολλῶν

5. πολλῶν δὲ τάξεων] Quia verò quælibet ars & scientia proprium sibi quendam finem constituit, est certè inter fines delectus habendus. Quemadmodum enim artes inter se comparantur, ita quoque inter fines institui potest comparatio. Atqui artes ita inter se comparantur, ut quæ superiores sunt, sint quoque præstantiores, quæ vero inferiores, superioribus ministrent. Sic Ars conficiendi frenos, arti equestri, hæc Imperatoriæ seu militari ministrat. Ergo eodem quoque modo fines inter se affecti sunt, ut artis supremæ finis etiam superior sit & præferendus inferiorum artium finibus. Hi .n. propter illum appetuntur. Idem intelligendum est de actionibus. *Delectus inter fines subordinatos.*

6. διαφέρει] Quamvis autem interdum artis inferioris seu famulantis finis sit opus, ut artis conficiendi frenos, frenum; Superioris autem seu Architectonicæ ἐνέργεια seu operatio, ut in Nautica & Gubernatoria: Hoc tamen non obstat, quo minus Architectonicæ finis sit præstantior, cum semper id, propter quod reliqua expetuntur, melius sit & præstantius. Propter quod .n. unumquodq; tale est, illud magis est tale. Sic χαλινοποιικὴ inseruit *Obiectionis solutio.*

Equestri, licet huius finis sit ἐνέργεια tantũ seu operatio, nempe Equum retinere &c. illius verò ἔργον, frænum scilicet.

CAP. II. *Finis summus*

7. εἰ δὴ ἓν τέλος] Nec tamen perpetuo finis alius propter alium expetitur, sed tandem aliquis erit, in quo appetitus noster, modò non sit vagus & praua opinione infectus ac deprauatus, sed cum ratione iunctus, & electione perfectus acquiescat. aliàs progressio fieret in infinitum, & inanis esset ac irrita omnis appetitio, & vana omnis nostra de bonis moribus consultatio. Infinitum enim neque rationem, ordinem, legem, modum habet, neque ullam cognitionem & usum admittit.

Infinitum.

8. Δῆλον ὡς ἓνός] Manifestum igitur est, quod iste finis, in quo animus noster acquiescit, neque ulterius quicquam appetit, sit ἀγαθὸν καὶ ἄριστον h. e. summũ bonum atq; adeò bonorum optimum.

Nobilissimus finis in Nobilissima doctrina est explicandus.

9. Δόξειε δ' ἄν] Hic ultimus & summus rerum expetendarum finis, quia optimus est & nobilissimus, in nobilissima quoque doctrina, quæ reliquarum artium princeps est, ijsque præest & imperat, explicari debet. Talis doctrina sine dubio est Politica, quæ veluti domina

mina quædam præeminens ſtatuit, quas in civitate diſciplinas doceri, quas item diſci & quouſq; oporteat, atque ſic eſt Νομοθετική: Et tanquam Architecta honoratiſſimarum facultatum, artiumq; practicarum, quibus etiam modos, leges fineſque præſcribit, utitur operâ, atq; ſic eſt Architectonica & χρωμένη, quæ ita quoque artem Imperatoriam, rationem tuendæ rei familiaris, & benè dicendi facultatem ſibi ſubiectas habeat. χρωμένης δὲ] Iam igitur quæ moderatur reliquas artes, & ijs quid ſit agendum præſcribit, quæq; utitur reliquarum operibus, quin præſtantiſſima illa ſit & nobiliſſima, eiuſque fine, qui eſt τἀνθρώπινον ἀγαθὸν ſeu beatitudo hominis, reliquarum artium fines contineantur, nullum eſt dubium.

Politica eſt diſciplinarum præſtantiſſima.

10. Εἰ γὰρ καὶ ταὐτόν] Neque obſtat, quod Politicæ τῆς πόλεως ſubijciantur, publica non privata, at humanum bonum, etiam privatum eſſe poſſit, nempè Oeconomicum. Neque eſt quod quæras, ſi à Politico explicatio ſummi boni humani expectanda eſt, cur ergo illa in libris Ethicis proponatur? Namque reſpondemus: Boni humani naturam per

Obiectio

Reſponſio

Idem bonũ vnius & multorum.

se unam esse, idemq; unius quod multorum, sed differre tantum per Accidens secundum magis & minus. Namq; bonum politicum, quia multis prodest, præstantius est & divinius: Sed tamen quod uni soli utile est, pulchrum quoq; est & amabile.

Boni possessio

11. Cum enim alia sit boni possessio, alia ejusdem communicatio: (Possessio ad habentem refertur, ut vir bonus virtute, qua p̃ditus est, animum suũ excolit atq; perficit, quemadmodũ Medicus, qui artem callet, eadé perficitur.

Boni Communicatio

Communicatio verò ad alios spectat, ita ut quo pluribus communicatur bonum, eo etiam p̃stantius censeri debeat. Nam Medicus qui artem exercet, ei præstat, qui in sola Theoria versatur, & Grammaticus qui pueros docet, præferendus est ei, qui artem novit quidem, sed eam nemini communicat) Totius certè vitæ practicæ virtutes possessione unius sunt, at communicatione multorum Hinc bonum quo communius eò divinius.

Idem finis politici & Ethici.

12. Idem igitur finis est Politici & Ethici, quamvis ille peculiare aliquid amplius habeat, quod etiam latius pateat

&

& perfectius diviniusq; habeatur, & virtutem in usu erga alios positam consideret: Hic vero fundamenta ac principia jaciat, & virtutem boni viri generaliter proponat, ut superiore disputatione est ostensum.

13. Quod de supremo hominis fine in Philosophia practica sit agendum, jam diximus. Nunc formã seu modũ philosophandi, quomodo de summo bono sit agendum breviter ut explicemus, rationem habere nos oportet, philosophantium cum provectorum, qui ea, quæ ad mores pertinent, vel per se inveniunt & docent, vel ab alijs inventa traditave judicant: tum tyronum, qui ab aliorum præceptis & exemplis pendent. *III. CAP.* *Forma philosophandi*

14. Λέγοιδ' ἂν ἱκανῶς] Provecti, qui possunt ipsi invenire & docere ea quæ ad mores pertinent, probabilitate contenti esse debent. In hac enim Philosophiæ parte, quandoquidem omnis docendi methodus subjectæ materiæ est accommodanda, limatum & exquisitum disputandi genus non admittunt dissimilitudo morum in diversis locis, multitudo rerum & consuetudinum, magna incertitudo eventuũ, & deniq; varietas *Provecti*

actionum humanarum, quæ certa demonstrationis lege coërceri nequeunt.

Non eadē omnium rerum est subtilitas.

15. ὥσπερ οὖν] Quemadmodum enim in operibus manufactis non eadem ubique subtilitas datur (Nam aurum subtilius duci potest quàm ferrum, & argentum quàm plumbum.) ἡ γὰρ ἀκρίβεια] Ita quoq; in ratiocinationibus quæ opera sunt ingenij humani, pro rerum subjectarum diversitate, variant etiam λόγοι seu demonstrationes.

Iudex optimus Philosophiæ practicæ

16. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον] At eundem quoq; modum illi, qui ab alijs inventa tradita vè judicare possunt, probabilibus rationibus contenti esse debent. Quales.n. sunt Politicæ demonstrationes, tales à Politicæ philosophiæ judice sunt accipiendæ. Atqui Politicas rationes instabiles esse &incertas paulo ante est ostensum. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον] E. Politicus judex eodem quoque modo, quæ hic dicuntur, accipere & probabilitate contentus esse debet.

17. Optimus enim Iudex convenientes rei demonstrationes admittit. At in qua quisq; re probè est institutus ejus est optimus judex. πέπαιδευμένου γὰρ] E. Probè institutus convenientes rei natu-

ræ

ræ admittet demonstrationes. Nam imperitus est judex, qui in Mathematico probabilitatem admittat, & ab Oratore demonstrationes requirat. Minor sic probatur: ἕκαστα δὲ κρίνει] De ijs quæ sibi nota sunt, benè quisq; judicat & eorum bonus est judex. At probè in re aliqua instituto res ea nota est. Ergo probè institutus est rei judex optimus, tum in specie seu in singulis, v. g. Medicinæ Medicus; tum in genere v. g. sapiens in omni re eruditus, rerum omnium optimus est judex.

Bonus quis judex est eorum, quæ nouit.

18. Quod igitur Provectiores in hisce disciplinis ἀκρίβειαν seu subtilitatem non exigere, sed probabilitate contenti esse debeant, ex his, quæ diximus, satis liquidò constat. Tirones verò seu Iuvenes hujus Philosophiæ non esse idoneos auditores hoc argumento patet: Qui nec præcepta rectè cognoscere, nec virtutum exempla potest edere, is non est idoneus politicæ auditor. Atqui juvenis ætate nec præcepta seu ratiocinationes in hac Philosophia rectè percipere, nec exempla virtutum edere potest. Διὸ τῆς πολιτικῆς] E. Iuvenis non est idoneus hujus Philosophiæ politicæ auditor.

Tirones non sunt idonei auditores Ethicæ.

Iuuenis præcepta Ethica non rectè percipit.

19. Quod autem Iuvenis hujus doctrinæ præcepta seu ratiocinationes non possit recte percipere, hinc liquet οἱ λόγοι ἀ] Qui actionum quotidianæ vitæ imperitus est, is nec ratiocinationum ex his ductarum peritus erit. ἀπειρ⊙ γὰρ] At Iuvenis propter ætatem, actionum imperitus est. E.

Nec exempla virtutū edere potest.

20. Quod vero etiam Exempla virtutum edere, h. e. agere secundum virtutes non possit, sic probatur: Qui affectus suos refrænare nequit, is quoq; secundum virtutem agere nequit, & propterea frustra & inutiliter politicam audiet, quia finis Politicæ in actione est situs non in cognitione. τοῖς πάθεσιμ ἀκολου θητικὸς] Atqui Iuvenis affectus suos refrænare non potest. E. Iuvenis secundum virtutem agere nequit, & propterea auditor quidem esse potest, sed frustra & inutiliter audiet, cum sit imperitus Iudex certitudinis hujus disciplinæ.

Iuuenes ingenio & moribus.

21. διαφέρει δ' οὐδὲν] Sed & Senes quosdam qui nempe ingenio & moribus sunt juvenes, frustrà & inutiliter audire Politicam eodem probari potest argumento, ꝙ videlicet secundū affectus vivant. Namq; caniciem capitis non semper sequitur

quitur affectuum amphora & moderatio. τοῖς γὰρ τοιούτοις] Ejusmodi igitur senibus, qui moribus sunt Iuvenes, ut Demænetus apud Plautum, non magis q̄ incontinenti, qui præcepta quidem audiunt, & vident meliora probantq; , sed deteriora sequuntur, utilis erit auditio Politicæ.

22. τοῖς δὲ κατὰ λόγον] Qui verò percipiunt utilitatem ex Politica & secundum rectam rationé vivunt, ij legitimi sunt ejus auditores. At qui interius προαιρέσεις sequuntur laudabiles & habitib⁹ bonis consentaneas, & exterius actiones designant illis similes, utilitatem ex ea percipiunt. E. *Legitimi auditores politicæ.*

23. λέγωμεν δ' ἀναλαβόντες] Sed ut undè sumus digressi, eò revertamur, bonum aliquod esse, ad q̄ omnis ars, omnis methodus, omnis electio & actio, adeoque universi hominum conatus tendant, atque etiam omnium rerum, quæ in actione versantur, summum esse bonum ex superioribus est manifestum: Sequitur nunc Quæstionis τὸ τί, h. e. definitionis tàm nominis quàm rei explicatio. *CAP. IV.*

23. ὀνόματι] Summum igitur bonum ob varias ejus conditiones, distinctasq; relatio- *Variæ appellationes summi boni.*

lationes varijs designatum fuit nomini-
τὸ ἀγαθὸν. bus. Aut enim τὸ ἀγαθὸν, h. e. bonum &
ipsum bonum appellatur: aut nomine
Εὐδαιμονία. magis proprio εὐδαιμονία, quia secundum
Platonis opinionem viri beati optimo
Dæmon. duci & regi dæmone existimantur. Ra-
tio autem recta, bonus ille dæmon est,
qui omnium bonorum & felicium
consilia, dicta atque facta moderatur:
Μακαρισμὸς Aut μακαρισμὸς dicitur seu beatitudo, ita
nuncupatum à lætitia ejus comite.
Prisci enim τὸ μακάριον ἀπὸ τοῦ μάλα ἢ μάλιστα
χαίρειν deduxerunt. Hinc ab Homero
Dij vocantur μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες, ὡς μάλα
χαίροντες, quoniam perpetuo & nunquam
Beatitudo interituro gaudio fruuntur. Beatitudo
manifestâ formâ à verbo cadit, quo uti-
Εὐτυχία. tur Comicus: Ecquid beo te? Aut εὐ-
τυχία nuncupatur, h. e. secunda & valdè
prospera fortuna, vel quia nonnulli in
copia bonorum fortunæ summum bo-
num collocarunt, vel saltem ex senten-
tia Aristotelis, quia ea sunt instrumen-
ta, sine quibus homo virtutem exercere
non potest. Illorum bonorum, corpo-
ris scilicet & fortunæ copia & appara-
tus nunc εὐπορία, nunc χορηγία, nunc εὐημε-
ρία propriè dicitur. Appellatur etiam
sum-

summum bonum εὐπραξίαν, h. e. proba actio, quia in actionis probitate situm est summum bonum, aut deniq; εὐζωΐαν, quasi vitæ rectitudo & vita bene acta. Quia enim ὃ εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀπαρτελεῖ, idcirco ὃ εὖ ζῆν, εὖ πράττειν nihil aliud est, quàm κατ' ἀρετὴν ζῆν, πράττειν. Quæ duo Græci in quotidianis congressibus, salutationibus & votis, amicis suis ferè conjunctim precabantur, cum existimarent, actionem probam esse vitam hominis optimam. εὐπραξία εὐζωΐα

24. Hisce nominibus tanquam potioribus uti autores invenimus, qui licet non conveniant omnes in Idiomate, nihilominus tamen qui sunt ejusdem linguæ, ij de nomine ipso beatitudinis non contendunt, sed in re ipsa plurimum inter se dissentiunt. De ea enim tot olim fuerunt diversæ opiniones, ut Varronis quidem tempore, qui id ipse in lib: de Philosophia testatur, in ducentas & octuaginta octo excreverint. Ex quibus quasdam duntaxat easq; celebriores recenset Aristoteles. *In nomine conveniũt omnes.* *In re dissentiunt.*

25. Si enim ex opinantium multitudine opiniones de summo bono metiamur, quas ἐπιπολαζούσας vocat Aristoteles, *Opiniones ex opinantium multitudine*

Meta-

Metaphora ducta ab ijs rebus, quæ aquæ immerguntur, ſuaq; levitate aſcendũt, ut conſpici queant, illorum, inquam, opinantium aliqui conſtanter τῶν ἐναργῶν] pro ſummo bono ſtatuunt ea, quæ in promptu ſunt & manifeſta, ut corporis voluptatem, vel fortuita bona ut divitias aut honorem: Aliqui inconſtanter, ἄλλοι δ' ἄλλο] pro caſuum varietate, nunc hoc nunc illud bonum eſſe aiunt. Graviter enim ægrotans nihil expetibilius eſſe, aut melius homini accidere poſſe ſecum animo cogitat atq; etiam clamat, bona valetudine. Idem poſtea, ſi quando bonam valetudinem adipiſcatur, egeſtate verò ſe laborare & premi ſentiat, continuò cogitat & affirmat, nihil etiam alia bona eſſe, ſi cum divitijs comparentur. Cum verò ſibiipſis ignorantiæ conſcii ſint, admirantur eos qui magna quædam & ipſorum viribus ſuperiora ſentiunt & loquuntur.

Opiniones ex opinantium ſapientia.

26. Ἔνιοι δ' ὧν] quæ verò opiniones propter opinantium ſapientiam & doctrinam ſunt celebres, & ab Ariſt: vocantur λόγον ἔχουσαι, pro ſummo bono ſtatuunt, vel humanũ in animo hominis ut virtutem, quę Stoicorum fuit opinio:

Vel

Vel seperatum aliquod bonum extra hominis animum, ut boni Ideam, quæ Platoni causa est, cur alia sint bona & ejus participatione tantùm bona dicantur.

27. ἁπάσας μὲν οὖν] Sed omnes omnium opiniones sequi & examinare supervacaneum est, seu inanis operæ & Philosopho indignum. Satius est eas duntaxat, quæ vel propter hominum celebritatem, autorum dignitatem, sectatorum multitudinem ἐπιπολάζουσι, vel propter ipsiusmet opinionis firmitudiné δοκοῦσι λόγου τινὰ ἴσχειν, susceipere examinandas.

28. μὴ λανθανέτω] Quomodo autem examinandæ sint opiniones reliquorũ Philosophorum, dubium esse potest, cum duplex sit progrediendi via: altera ἀπ' ἀρχῶν à principijs ad principiata, ut est Methodꝰ Synthetica seu Compositiva: altera ἐπ' ἀρχὰς ad principia, à compositis nempè ad simplicia, ut est analytica methodus seu Resolutiva: quæri potest, utrum illi vel huic sit insistendum, & cum gemino nitamur κριτηρίῳ, sensu nimirum, quo singularia per experientiã, & intellectu, quo universalia per doctrinam apprehendimus, & isthinc Inductio, hinc Syllogismus oriatur, utrum plus tribuendum sit experientiæ

Modus examinandi.

Duplex via progrediendi.

quàm doctrinæ, sensuum judicio quàm intellectui, inductioni q̃ Syllogismo.

29. Εὖ γὰρ καὶ Πλατῶν] Rectè enim & Platonem dubitasse ait Aristoteles, à qua via incipiendum esset, utrum à principijs ad fines, an à finibus ad principia, veluti in stadio, utrum ab ijs, qui præmia ꝓponunt ad calcé, an verò contra. Hoc quidem generale est in disciplinis: ꝙ via progrediendi sit à noto ad ignotum, à priori ad posterius. Ταῦτα δ' διπλῶς] Sed quicquid notum est homini, dupliciter dicitur. Quædam enim cognoscimus sensu, ut singularia. Hoc notum dicitur ἡμῖν hominibus sc. omnibus in universum, cum brutis etiam commune, quod paulò post ab Aristotele vocatur ᾗ ζῶα. Quædam intellectu tantum percipimus, ut universalia ex multis singularibus deducta. Hoc notum dicitur τῇ φύσει, quia mentis nostrę conceptus est veluti simulachrum naturæ in infinitis singularibus eodem modo sese exerentis. Hìc appellatur notum ἁπλῶς, quoniam à materia singulari abstrahitur, ut forma duntaxat seu Idea in mente sit. Hoc notum vocatur etiam paulò post ᾗ ἄνθρ. Hinc iam sequitur omnem viam seu ra-

Notum esse dupliciter dicitur.

Notum Nobis.

Notum Naturâ.

seu rationem investigandi aut declarandi ignotum, esse duplicem, nempè vel ab intellectu ad sensum, vel à sensu ad intellectum.

30 ἰσως οὖν] Sed à nobis notioribus inchoandum esse, cùm in docendo & judicando tùm in discendo, ita ut idoneus auditor & discens in singularibus actionibus morum, quæ nobis sunt notiores, benè exercitatus sit & institutus, hac ratione liquet: A primo principio inchoare debet & docens & judicans & discens, ne vel ignota docere vel non intellecta discere aut judicare videatur. At τὸ ὅτι, quia sine altero principio nempè sine τῷ διότι esse potest, hoc vero sine illo esse non potest, certè primum est. Illud enim prius est, quo sublato tollitur alterum, & quod ponitur, posito altero. Ἀρχὴ γάρ] Ergo à τοῖς ὅτι h. e. à singularibus actionibus inchoandum est, & exercitatos esse oportet in vita practica, ut opiniones, quæ de beatitudine practica circumferuntur, rectè examinare possimus.

A nobis notioribus est inchoandū.

31. καὶ ὁ ἔστι] Quod autem τὸ ὅτι esse possit sine τῷ διότι hinc patet. Nam qui τὸ ὅτι habet, h. e. qui in actionibus quotidianis

τὸ ὅτι esse potest sine τῷ διότι.

nis versatus est, is τῶν δεόντων præceptorum ad benè beateque vivendum non multùm egebit, & illa universalia præcepta vel per se assequetur, nempè ex singularibus deducendo gnomas universales, vel ab alio sine difficultate discet. Qui autem τὸ δέον non habet, neque ab alio discit, is τὸ δεόντων nunquam assequetur, sed erit ἀχρήιος ἀνὴρ, ut ait Hesiodus.

32. Sed jam cognitâ examinis Formâ, opiniones Veterum de Beatitudine singillatim examinabimus. τὰ γὰρ ἀγαθὸν] Tria v. hìc præcipua vitæ genera, quæ maximè eminere videntur, multosque habere sectatores, amputatis reliquis enumerantur. Vnum vulgi, alterum Politicorum, tertium Philosophorum.

Tria vitæ genera

Vulgi vita οἱ μὲν πολλοὶ] Vulgus quidem, homines nempè ineptissimi simul & stolidissimi pecudum more vitam eligunt delicatam & voluptariam. Et hæc vita dicitur βίος ἀπολαυστικὸς homini communis cum brutis, quę sensu omnia metiuntur.

Politicorum vita Politici homines beatam vitam in honore, id est, in Magistratibus ac dignitatibus positam putant.

Philosophorum vita. Philosophi contemplatione & cognitione veritatis summum bonum definiunt.

33 Οἱ μὲν

§3. οἱ μὲν οὖν πολλοὶ] Voluptatem verò corporis, quâ Fex populi & imi subsellij homines tantoperè afficiuntur, quæque nihil aliud est, quàm Cicuta virtutis, quam spuma & sperma Veneris, quàm sentina & tæda omnis turpitudinis, quæ corporis simul & vires & speciem interimit, quæ valetudinem vehementer lædit, quæ morbos innumerabiles parit eosque fœdos, quæ juventæ florem ante diem devenustat, quæ turpem senectam accelerat, quæ mentis aciem hebetat, & quasi pecuinam mentem inserit, quæ denique hominem, quantus est, totum cœno immergit, ut jam nihil nisi sordidum, humile, spurcum libeat cogitare; hanc inquam, beatitudinem, quæ homines efficit longè optimos statuere, nimis esset absurdum, quamvis Sardanapalus, Rex quondam Assyriorum, omnium voluptatum & libidinum Charybdis, & quavis muliere corruptior, quem inter domesticos scortorum greges muliebri habitu pensa trahere, & puellis omnibus mollicie corporis & oculorum lascivia præcellere solitum, memoriâ proditum est, & alij quoque illustres principes in delitijs &

Voluptas corporis non est summum bonum.

Sardanapalus.

confertissima omnium voluptatum varietate vitam degerint, præmiumque proposuerint iis, qui novum aliquod voluptatis genus excogitassent.

34. Hominis enim Beatitudo seu summum bonum in vita homini, ut homo est, maximè convenienti statui debet. At vita voluptaria homini, ut homo est, non convenit, sed ut brutæ naturæ particeps est. E. Voluptas, si bonum est, pecuinum potiùs bonum quàm humanum est dicendum.

Honor non est summũ bonum.

35. Οἱ δὲ χαρίεντες] Et quamvis Politicæ vitæ, quam χαρίεντες & πρακτικοὶ sectantur, finis ferè & ex opinione plerorumq; sit honor: Istum tamen non verum sed superficiarium esse finem, & propterea à summo bono non habendum duobus li-

1. Argum. à causa efficiente.

quet argumentis: I. Δοκεῖ γάρ] Summum bonum est stabile quid, & in potestate ejus, qui habet, positum, ita ut ipsi non facilè eripiatur. Atqui honor magis est in honorante, qui quem obtulerat honorem, pro libitu rursum potest detrahere. Honor enim est interna opinio de alienis bonis, & externa hujus opinionis significatio. Et propterea mutata opinione mutatur honor. E.

Honor

Honor est ἐπιπολαιότερόν τι, & superficietenùs tantùm politicæ vitæ finis est, non autem summum bonum seu beatitudo.

II. Arg: ἔτι δὲ ἐοίκασι] Beatitudo cum sit summum bonum, nec habeat aliud bonum superius, per se semper expetitur, & non propter aliud. Atq; honor propter aliud expetitur, nempè propter virtutis persuasionem. Honorem enim eò persequi videntur homines civiles, ut multos quasi testes habeant, quorum judicio de se & de suis virtutibus credant. Vnde liquet, hos tacito quodam naturæ judicio non honorem, sed virtutem pro summo bono expetere videri. *2. argum. à fine.*

36. Sed ut maximè Politicæ vitæ finis virtus esse videatur, quia tamen in ipsâ quoque aliquid desideratur ad summi boni perfectionem, pro extremo fine haberi nequit. δοκεῖ γὰρ ἐνδέχεσθαι] Beatitudinis enim perpetua est actio non interpolata. At virtutis non est perpetua actio. Fieri namque potest, ut qui virtute est præditus, nihil agat, vel propter corporis impedimentũ naturale, quando morbo laborat, vel propter fortuita impedimenta, quoniam occasiones non *Virtus non est summũ bonum.* *1. arg.*

habet benè gerendæ rei, & destituitur ijs, quæ ut organa quædam, vel ut adjumenta requiruntur ad virtutis actionem, ut si solus vivat, si pauper sit, si ad res gerendas non accersatur. E. Virtus non est summum bonum.

2. argum. 37. καὶ πρὸς τοῦτο] Hoc quoque ex eo perspicuum est, quod vir beatus nullis malis aut calamitatibus obruatur. Atqui vir bonus, qui virtutem habet, multis vexari potest doloribus ac calamitatib⁹. E. Vir bonus qui habitu virtutis tantùm est præditus, quique nihil agit, & præterea maximis in malis & calamitatibus versatur, in beatis non rectè numeratur, nisi fortè ab eo, qui thesin velit propugnare, h. e. pertinaciter id quod semel posuit, quamvis nullis instructus rationibus, tueri, atque id quod controversum est, sibi tanquam certum & confessum concedi postulare.

38. ὁ δὲ χρυσαλίσκος] Sed præter tria illa paulò antè enumerata vitæ genera, ex quibus duo genera, vulgi sc. & Politiorum jam explicuimus, adhuc aliud in pecuniæ quærendæ studio consistit, q̃ vitam sectantur fœneratores, mercatores, quorum βίος est vel ἄβιος vita non vi-

ta,

ta, homini ut homo est, non conveniens; vel βίαι & vita injusta & violenta, cum divitiæ ut plurimùm vi & injurijs aliorum parentur, unde tritum illud sermone problema: Divitem omnem vel injustum esse vel injusti hæredem.

38. Quod autem in divitijs summum bonum non sit collocandum hinc patet χρήσιμον γὰρ] Summum bonũ per se semper expetitur, nec unquam ob aliud. Atqui opes & divitiæ non per se expetuntur, sed ob aliud, nempè vel ad vitæ usus necessarios, vel ad voluptates perfruendas, vel etiam ob virtutem exercendam. χρήματα enim dicuntur δὲ χρήσιμα καὶ ἄλλα χάριν. E. Divitiæ non sunt summum bonum. *In divitijs summum bonum non est positum 1. argum.*

40. διὸ μᾶλλον τὰ πρότερον] Id quod etiam hac ratione liquet: Si quod ex prædictis summi boni nomen mereatur, voluptas potiùs aut virtus aut honor merebitur quàm divitiæ, quia hæ propter illa expetuntnr, nimirum propter virtutem, cujus sunt instrumenta, propter gloriam cujus sunt ornamenta, propter voluptatem, cujus sunt illectamenta. φαίνῃ] At priora non sunt summum bonum, ut apparet ex illis, quæ jam antè *2. Argum.*

sunt à nobis allata, & alijs in libris ab Aristotele copiosè sunt disputata, nempè in Encyclijs, qui olim disputationibus dedicati fuisse videntur, sed jam interierunt. E. multo minùs divitiæ sunt summum bonum.

CAP. VI. Ideæ.

41. Porrò Ideas qui introduxerunt autores præcipui fuerunt Socrates & Plato, qui varijs eas nominibus nuncupare solebant, qualia sunt Forma, Species, Exemplaria, Exemplares causæ, Similitudines, Vniversalia ante multa, Vniversalia præter multa. Erant autem Vniversalia ista nihil aliud, quam formæ & substantiæ quædam æternæ & immutabiles singularum specierum, singulorumq; rerum generum, singula à singulis rebus, quæ oriuntur & intereunt, atq; ita ab omni materia separatæ intelliguntur, ex quibus & quarum participatione cuncta hæc inferiora & sint & intelligi possint. Atq; hoc modo Ideas ab eis accipi, satis patet ex illis locis, in quibus Idearum Plato facit mentionem quæ sunt: Timæus, Hippias de Pulchro, Epinomides, Parmenides, Phædrus.

42. Facessant igitur vani isti clamatores, qui ajunt, non quemadmodum ab Aristo-

Aristotele sunt fictæ, in cœlo simul esse & nostratia hæc informare, sed in mente divina illas esse Ideas. Quasi v. ijs ea temporibus scripserit ille, quę non ab omnibus recepta Platonici publicè profiterentur. Quinimò, si Philopono fidem præstare velimus in 1. post: analyt: com: 95. Aristoteles à Platone, cum adhuc illum audiret, de Ideis dissentiebat, imò cum eo sœpè multùmque disputabat: Vt omittam divini pudoris plenissima verba, quibus in principio hujus capitis se excusat, ut non solùm amicorum opiniones, verum etiam proprias sententias delere veri sit Philosophi ad veritatis præsidium & conservationem.

43. Sanè Iul: Cæsar Scaliger, qui Ideas in ipso Deo positas esse contendunt, eos hac ratione eleganter refutat: Si sunt in mente divina formæ harum rerum, ut informent, Deus hæc omnia informabit, quod quàm sit absurdum quis non videt? Quod si non informant, jam nihil novi dicet Plato. Nemo enim negavit unquam, Deum esse omnia.

44. Sed ut ad propositum nostrum redeamus, communem omnium bonorum Ideam, in qua Beatitudo colloce-

tur neque dari posse, neq; si daretur pro summo bono habendam esse, satis luculenter ostendit Aristoteles.

A bonorum ordine & dispositione.

45. Et primum quidem non esse neque dari posse, quatuor argumentis dilucidè probat. I. Arg: οἱ δὲ κομίσαντες] Eorum in quibus prius est & posterius, unam Ideam dari non posse etiam ipsi Platonici & omnes Idearum assertores statuerunt, atque ob id in numeris quoque Ideam esse negabant, quandoquidem ibi binarius prior est ternario, & hic quaternario, atq; ita consequenter. Atqui bona genere discrepantia ejusmodi sunt ut eorum quædam secũdum prius, quædam secundum posterius existant. Bonum enim cum sit transcendens & in Substantia dicitur & in Qualitate & in Relatione & in alijs quoq; Categorijs. Quod a. per se est & substantia, semper prius est accidente, & eo quod est ad aliquid seu in Relatione. παραφυάδι enim seu propagini vel arboris pullo & omnibus illis adnatis hac in parte similia sunt non relata tantùm, sed & accidentia, q. sicuti adnascentia illa sive appendices, atq; in plantis ramuli, qui justo germini adnascuntur & succrescunt, qualiq; proles no-

les nova atque ascititia è caule sponte pullulant, posteriora sunt ipsis arboribꝰ quibus adnascuntur: Ita quoq; relata & accidentia sint posteriora ipsâ substãtia.

46. Εἰ ἐπὶ τἀγαθοῦ] II. Arg: Si una & communis esset boni Idea, in una quoq; Categoria tantùm contineretur, & non in omnibus diceretur Categorijs, quia unam tantum essentiæ rationem haberet. Atqui bonum tam latè patet quàm Ens. Ideoq; in omnibꝰ Categorijs locum habebit. Ens enim de omnibus Categorijs dicitur. De Substantia primariò, de accentibus secundariò. E. Bonum quoq; de omnibus dicitur Categorijs, & propterea ejus non est cõmunis Idea. *A bonorum prædicatione. 2. Arg.*

47. Εἰ δή, ἐπὶ τῶν καλῶν μίαν] III. Arg: Si boni esset una & communis Idea, una quoque scientia explicaretur. At Boni non est una scientia, nec ejus quidem, ꝙ sub uno prædicamento continetur. Occasionis enim in bello scientia Militaris est, in morbo, Medicina, in agris colendis, Agricultura, &c. E. Omnibus bonis non est una tantum Idea. *A bonorum cognitione. 3 Arg.*

48. Ἀποβήσεται δ' ἄτοπα] IV. Arg. Prętereà cũ ea inter se sint eadem neq; differant, quę definitionem eandé habent, nulla profe- *4. Arg.*

cto

ctò Platoni fuit causa, qua Ideam rei cujusq; ἀνθέκαστον appellaret, quandoquidem hominis particularis & Ideæ hominis eadem est essentia eademque definitio, nempè quod sit animal rationale, atque ita quoq; Boni particularis & Boni Ideæ eadem est ratio. Quorum autem eadem est definitio, eademq; ratio, ea essentialiter à se invicem non differunt. E. Bonum & Boni Idea eadem sunt, neque essentialiter differunt.

Bonum & Idea Boni nec accidentaliter differunt.

49. Ἀλλὰ μὲν οὐδὲ] Sed neque differunt accidentaliter, ratione temporis, quod alterum sit bonum æternum, alterum caducum. Quemadmodum enim quod uno die album est, non differt ab eo, ꝙ per multos annos vel etiam semper fuit album. Hoc enim ideo non magis, neque illud minus erit album. Ita quoque bonum particulare licet caducum, non minus tamen bonum erit dicendum, quàm Idea boni æterna.

50. Atque hæ rationes non contra bonum ipsum tantum inducuntur, sed adversus omnia Vniversa Platonicorum, ut demonstrentur supervacanea esse, & prorsus inutilia, imò, ut Aristoteles ea passim nominat τερετίσματα .i. monstra & mon-

Idea boni nihil est.

monstrosa quædam præludia. Quinimò ἡ ἀνθρωπότης neque Substantia est, neque Accidens. E. Nihil. Non est enim in Subjecto. Non igitur accidens. Non est substantia, si congeneris cognatique sui boni, quod hic est accidens, autor est.

51. τὸ ἀνώτερον] Bonum igitur commune seorsim à reliquis bonis non esse, neque separatum subsistere reipsa ab alijs differens, satis liquidò constat. Sed ésse aliquod bonum commune & universale in Multis & post Multa quod intellectu apprehenditur, & in rebus naturalibus exiitit, Pythagoræi & Speusippus Platonis ex sorore nepos & scholæ successor rectè statuerunt, qui in Bonorum συστοιχίᾳ præter alia collocant Vnum, in Malorum verò Multitudinem. Sed de his inquirere ad Metaphysicã pertinet. *Quomodo sit bonum commune.*

52. τοῖς δὲ λεχθεῖσιν] Sed objciunt fortè Platonici, non de omnibus bonis humanis diversorum generum Platonem fuisse locutum, sed tantùm de per se bonis, & quæ sunt ejusdem generis, quæ præsentia per se diliguntur, & absentia per se expetuntur. Et eorum tantum communem esse Ideam Plato fortè putavit. τὰ δὲ ποιητικὰ] Quæ verò non per se sed *Occupatio.*

ſe ſed propter aliud dicuntur bona, quoniam ad bonorum per ſe poſſeſſionem quodammodo faciunt, atque ad finem conſequendum ſunt utilia, eorum communem poſſe Ideam eſſe, quatenus ad principis boni poſſeſſionem conferunt vel eſſentialiter, quoniam bonum illud, ꝙ non eſt, efficiunt, quod verò eſt, conſervant: vel accidentaliter, quoniam malum contrarium prohibent vel præſens abigendo, vel futurũ præcavendo.

Confutatio 53. Δῆλον οὖν ὅτι διττῶς] Quamvis autem verum ſit, quod bonorum duæ ſint ſpecies, nempè alia bona per ſe, quædam verò propter aliud, & licet ſeparatim de per ſe bonis loquamur: Tamen eorum una & communis Idea eſſe non poteſt. Quæ enim ſunt illa per ſe bona? Num videre, ſapere, honores & voluptates aliquæ? Vt enim ea quàm maximè propter aliud expetantur, ut videre propter rerum cognitionèm, honores propter virtutem &c. Primario tamen per ſe tantum expetuntur. Omnes enim homines naturà .i. inſita quadam vi & propenſione appetunt ſcire. Nec ſolum ut agamus, ſed ſi nihil etiam acturi ſumus, videre ipſum præ cæteris omnibus eligi-

eligimus. Honores etiam propter se ipsos expetuntur, quod magnum quiddam atq; divinum sint, ac proinde nos in statu quodam divinitatis constituant. 54. Jam igitur illa, quæ diximus, per se bona sunt, aut certè nulla sunt. ἢ οὐδ' ἄλλο] Si hoc; inanis erit Idea, nullum sui simulachrum habens in mundo inferiore Quicquid enim commune est, quorundam commune est, non autem nullorum. εἰ δὲ καὶ ταῦτα] Si vero illud; tum ut communem illis Ideam adstruant, communem etiam ipsis boni rationem ac definitionem assignare cogentur. Sic cum eadem sit natura candoris in nive & cerussa, eandem habent candoris definitionem. Non enim poteris aut hunc aut illum candorem alio pacto definire, quàm si dicas esse colorem disgregantem visum. τιμὴ δὲ] Atqui eorum quæ per se bona esse diximus, eadem non est definitio. Honor enim bonum est, quia est virtutis bonæ testimonium Sapere autem seu prudentem esse bonum est, quia appetitum pravum refrænat. Et voluptas bonũ est, quia dolorem malum abigit. Si igitur ratio sit reddenda, cur honores, virtutes, voluptates quædam

sint

sint Bona, non unam certè omnium poteris adferre, sed multiplex proponenda erit. οὔκ ἰσὶν ἄρα] Non est ergo etiam horum per se bonorum una communis Idea.

Bonũ non est Synonymum

55. Ἀλλὰ τῶς δὴ λέγει;] Cum igitur illa per se bona non sint synonyma, h. e. cum una & communis non possit esse bonorum per se definitio secundum unam Ideam, propterea quia dissimilia sunt; videntur utique esse homonyma, quia nomen quidem commune habent, sed nominis definitionem eandem non habent. Interim tamen communitas nominis in homonymis fortuita illis asscribenda non est, præsertim cum in quaq; categoria singula quæq; bona suum habeant ordinem ac gradum, ut ob id commune nomen Boni omnibus bonis conveniat secundum analogiam, ab uno vel ad unum & secundũ prius & posterius. Vt enim Ens commune est & substantię & accidentibus, & his posterius, illi vero prius conveniat: Ita quoque Bonum in substantia prius esse Bonis quæ sunt in reliquis categorijs, supra dictum est. Quod cum verum sit, jam habet Aristoteles adversus Platonem p certo, unam com-

Neq; prorsus homonymum

Sed analogum.

communem Ideam constitui non posse, siquidem analogum non adfert unam naturam communem ijs, quæ sub se continet.

56. Εἰ γὰρ καὶ ἔστιν] Hactenus non dari unam communem omnium bonorum Ideam probavimus. Iam verò si detur (quod tamen ab Aristotele nequaquam conceditur, sed tantùm ut magis ac magis Idearum assertores refutet, ponitur) ea boni Idea, ac bonum id sejunctum à singulis, id profectò redundans & supervacaneum esse, atque ad vitam & Philosophiam practicam nihil facere, hac ratione liquet. Namque dum agimus de summo hominis bono, id bonum quærimus, quod est πρακτὸν, quod natum sit à nobis acquiri, in nobis fieri, & in nobis possideri. Atqui id bonum sejunctum & separatum non est ejusmodi. Cum enim sit sui natura sejunctum, nunquam cum aliquo junctum inveniri poterit.

Si detur Idea communis: Ad præsentem tamen Philosophiam non pertinet.

57. Τάχα δὲ τῷ δόξαι] Sed nec contemplatio ejus nobis ad felicitatem conducit, quia nos rectè dirigit & ducit cognitio proprij finis, proprijq; boni, non universi & communis. Tum etiam quia

Contemplatio Ideæ nihil conducit.

compertum est, artifices omnes, cum bonum aliquod quærant, nequaquam sibi proponere vel uti cognitione ejus communis & separati boni. Et licet ea careant, eamq; non quærant, exactissimè tamen artes possident, finemque suum assequuntur.

CAP. VII.

58. Hactenus ἀποφαλικῶς aliorum opiniones easq; celebriores de summo bono examinavimus, ut ita exstirpatis priùs zizanijs & falsis opinionibus refutatis, agrum eò rectius serere, & veram de beatitudine sententiam explicare possemus. Nunc igitur καταφαλικῶς de illa agemus, ignotam ejus definitionem priùs investigando, & postea notam jam & constitutam explicando.

Genus Beatitudinis.

59. Sed primùm rudem ejus definitionem & quatenùs ut finis vitæ practicæ seorsim à reliquis causis consideratur, investigabimus. Genus autem eius esse τέλος seu finem hinc patet: Cuius gratia omnia fiunt, finis est. Atqui boni causa omnia fiunt. E. Bonum, & propterea Beatitudo quoq; finis est.

60. φαίνεται μὲν γὰρ] Iam enim ex superioribus tribus capitibus constat, singulis artibus singulisq; actionibus fines in suo genere propositos

positos esse, atq; eum summum in una-quaq; censeri, cuius causa fiunt reliqua omnia. Hoc autem est in medicina bona valetudo: In arte Imperatoriâ, victoria etc. Quocirca si quis est omnium rerum, quæ in actione versantur, finis, hoc erit bonum, quod in actionem cadit: sin plures, hæc erunt bona. Μεταβαίνωμεν δὴ] Atq; ita habemus iam Beatitudinem esse finem omnium rerum, quæ in actione versantur. Atq; hoc ipsum in superioribus quoq; constitit.

61. Τοῦτο δ' ἔτι μᾶλλον] Sed & differentia qua genus alioqui confusum distinguitur, investiganda est. Namq; finem artium & actionum humanarum multiplicem esse, ex illa quæ superiùs tradita est divisione, satis constat. Beatitudinem igitur non esse quodvis seu imperfectum, τέλος πρακτὸν ita constat: Summum bonum est τέλειον perfectum At non omne τέλος πρακτὸν est τέλειον, cum alius finis per se expetatur, alius propter aliud, qui est imperfectus, ut qui in alium perfectiorem desinat. E. Non omne τέλος πρακτὸν est summum bonum.

Summum bonum est finis perfectißimus.

62. Τοιοῦτον δ' ἡ εὐδαιμονία] Relinquitur itaq; quod Beatitudo sit τέλος τέλειον h. e. perfe-

ctus finis ita quidem, ut si unus tantum sit τῶν πρακτῶν finis perfectus, is sit bonum illud summum: sin plures, inter hosce perfectissimus sit summum bonum. Id quod duabus rationibus à natura τοῦ τελείου desumptis probari potest.

1. Rat. quia est αὐθαίρετον. 63. Ταύτῃ γὰρ αἱρούμεθα] I. Ratio sumi- à natura eius quatenus acquiritur & αὐθαίρετον est. τέλος ἁπλῶς τέλειον seu finis simpliciter perfectus est, qui per se semper expetitur, & propter quem reliqua omnia eliguntur. Nam alia sunt quæ tantum propter aliud expetuntur, ut divitiæ, quæ ob id infimum inter bona obtinent locum: alia quæ licet nonnunquam propter aliud expetantur, tamen per se quoq; sunt expetibilia, ut virtus, quæ per se & propter Beatitudinem expetitur, item Honores, voluptates quædam, quæ medium tenent locum inter bona: Aliud deniq; est bonum quod semper per se expetitur, & nunquam ob aliud, quod ἁπλῶς τέλειον dicitur, & summum ac perfectissimum est bonum. Atqui Beatitudo per se tantum & non propter aliud expetitur. E. Beatitudo est τέλος τέλειον & perfectissimus finis.

2. Rat. quia est αὐταρκὴς 64. Φαίνεται δὲ καὶ ἡ τῆς αὐταρκείας] 2. Ratio

tio sumitur à natura τελείου, quatenus possidetur & αὐταρκὶς est. Omne αὐταρκὶς est τέλειον ἀγαθὸν. Atqui Beatitudo est αὐτάρκης .i. se ipso contentum bonum, cum per se solum vitam exoptabilem, nec re ulla indigentem efficiat. Quamvis enim cæteris bonis coniunctum fiat illustrius, cum fiat bonorum quædam ὑπεροχὴ. Minimum enim bonum summo bono, beatitudini sc. additum, efficit bonorum congeriem maiorem Attamen etiam sine illis nobis semper est exoptatissimum, cum reliqua bona non sint de ipsius essentia, sed eius tantum instrumenta vel ornamenta. E. Beatitudo est τέλειον ἀγαθὸν inter omnia bona humana πρακτὰ.

65. Τέλειον δὴ] Rudis ergo beatitudinis definitio, quatenus seorsim à reliquis causis consideratur, hæc est: Beatitudo est finis perfectus, seu est bonum perfectum, quod satis est homini, & propter se tantum expetitur. Rudis & popularis definitio Beatitudinis. Ἀλλ' ἴσως] Sed fortasse dicet aliquis, tale quoddam bonum esse Beatitudinem, cuiusmodi iam definivimus, id quidem extra omnem positum esse controversiam, sed ut planius, quid ea sit, ostendamus, id ab omnibus desiderari

66. Τάχα δὴ γένοιτο ἂν τοῦτο] Sed hoc facilè præstari poterit, ut sc. naturam Beatitudinis clariùs explicemus, si eam ut finem vitæ practicæ non tantum seorsim à reliquis causis ut suprà, sed conjunctim etiam cum ijsdem, quatenus nempè reliquæ causæ omnes in finem destinentur, consideremus. Nam Materia subjecta est animus hominis; Forma est actio secundum virtutem. Vtraque causa interna ad Beatitudinem, quæ est causa externa & finis concurrit.

Beatitudo coniunctim cum reliquis causis considerata.

67. Εἰ λεχθέν] Cum igitur Beatitudo sit hominis proprium bonum, hominis etiam, quatenus homo est, proprium munus propriaq; functio erit investiganda. Cum autem cujusque rei, cui opus aliquod est, in eo opere perfectio sit posita, eo certè homo, quatenus homo, non destituetur, nisi eum ad desidiam esse natum affirmare velimus, quod facere non possumus. Si enim faber & sutor & quivis artifex, & quodlibet hominis membrum, proprium aliquod munus propriamque functionem habet; verisimile est, eam quoque hominis partem, quà homo dicitur, propiam functionem, propriumque munus obtinere.

Perfectio cuiusq; rei in opere est posita.

Τὶ οὖν

τὶ οὖν ἀνθρώπου] Conveniunt igitur homini hæc munera: Vivere, sentire, cum ratione & intelligentia agere. Verum quia vivere etiam stirpibus & plantis; sentire equo & bovi & cunctis animantibus inest; relinquitur cum ratione & intelligentia agere propriam hominis esse functionem, seu hominis actionem propriam esse ἐνέργειαν ψυχῆς λογικῶν h. e. vel ratione per se præditam, vel certè rationi obtemperantem. Et hæc loco generis est. *Hominis proprium munus.* *Beatitudo est* ἐνέργεια τῆς ψυχῆς

68. τὸ δ' ἀνθρώπινον ἔργον] Differentiæ essentialis loco virtutem accipimus. Non enim in quavis actione hominis beatitudinem collocamus, sed cum quælibet res sua virtute perficiatur: hominis quoque functio, quâ beatitudinem definimus, bona sit & ex virtute necesse est. Omnis enim bona operatio à perfecto habitu, qui virtus est proficiscitur. At Beatitudo optima est operatio. εἰ δ' οὕτω] E. Ejusdem quoq; propria erit virtus, & cum plures sint virtutes, nempè Mechanicæ, Theoricæ, Practicæ, inter eas utique erit præstantissima & perfectissima, nempè Politica sive Ethica, sive Politica in genere. *Quælibet res virtute perficitur.* κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην.

Accidentalis differentia beatitudinis. ἐν βίῳ τελέῳ

69. Ἐν δ' ἐν βίῳ τελέῳ] Pro accidentali autem differentia addimus: In vita perfecta, cum actio illa animi secundum virtutem non momentanea esse debeat, sed diuturna & stabilis. Quemadmodum enim unica hirundo non facit Ver, neque unus dies: Sic quoque nec unus dies, nec breve temporis spacium aliquem beatum reddit.

Ἀνακεφαλαίωσις.

70. Perfecta igitur, & quæ breviter omnia de quibus in hoc capite hactenus est disputatum, contineat, descriptio Beatitudinis hæc est: Beatitudo est bonum perfectum, quod satis est homini, & ab eo votis omnibus exoptandum, pendens ab actione animi secundùm virtutem optimam & perfectissimam in vita perfectâ.

Cur duplicì modo beatitudo fuerit describenda.

71. περιγεγράφθω] Ratio autem, cur primum geminatam illam definitionem constituerimus, & cur postea constitutioni definitionis porro dissolutionem nos subjicere oporteat, hæc est: Namq; quatenus definitio alicujus rei ignota est & incerta, invenire eam, & quemadmodum pictores vel statuarij, lineari quadam pictura imaginem primùm carbone

bone aliquo rudius effingere, seu ὑποτυπῶσαι, postea adumbratâ sui coloribꝰ reddere & absolvere, seu ἀναγράφειν solent, ita quoque prius rudem beatitudinis definitionem & impolitam, quæ ὑποτυπώσει respondeat, deinde exactiorem tradere oportet, quæ ἀναγραφῇ pictorum respondeat. Quatenus v. nota jam est & constituta, eam oportet προσαγαγεῖν καὶ διαρθρῶσαι h. e. dilatare, suisq; membris & articulis distinguere, quæq; illi consentiant, quæ dissentiant, in medium adferre, quod tamen facilius est, quam prius illud, nempè definitionem primùm invenire, cum cuiusvis hominis sit inventis aliquid addere, & longiore quoq; tempore abundet is, qui addit inventis, quàm qui invenit, quia quæ in tempore certo sunt inventa; à multis per multos annos, ijs addi semper aliquid potest, perannos infinitos, si mundus est æternus.

ὑποτύπωσις.

ἀναγραφή.

διαρθρωσις.

Difficilius est primùm invenire, quàm inventis aliquid addere.

72. Μεμνῆσθαι] Cum verò etiam non in definitionis tantùm constitutione, sed etiam in eiusdem dissolutione acribologiam philosophicam adhibere non possimus, itaq; illud quoq; hic memoria repetendum est, quod ante docuimus, ni-

Omnia sunt tradenda quatenus artiũ finis permittit.

mirum pro ſubjecta materia omnia eſſe tradenda, & quoad forma ſeu Methodus h. e. docendi via ac ratio patitur. Nam ſi formam ſeu rationem docendi conſideraveris, quemadmodum rectam lineam ſubjecto eandem aliter conſiderat Geometer, qui ad veri cognitionem refert ſuas ſpeculationes; aliter verò faber lignarius, quatenus ea ad opus Mechanicum confert, in dirigendis lignis, coagmentandis aſſeribus, conjungendis lapidibus: Ita in univerſum quoque omnes reliquæ diſciplinæ eatenùs ſubjectum ſuum conſiderabunt, quatenus finis ipſarum admittit, ne parerga plura ſint quàm erga. Atque ob idipſum Practica etiam theoremata cum eorum finis non in cognitione, ſed in actione conſiſtat, quantum ſatis eſt ad actiones quotidianas examinari debent. Major ſubtilitas non eſt requirenda.

Principia κατὰ ᾧ δὲ demonſtrari in arte quavis ſatis eſt.

73. Οὐκ ἀπαιτητέον] Sed non tantùm à ſpeculationibus ſupervacaneis abſtinendum eſt, verum etiam id genus probationis adhibendum, quod res probanda patitur. Idcirco bonì quoque conſulenda eſt rudis hæc εὐδιόν Beatitudinis deli-

delineatio, cum principia, cujusmodi etiam ipsa est Beatitudo, κατὰ τὸ ὅτι demonstrari in quavis arte satis sit. Principiorum enim demonstratio non fit secundum τὸ διότι, quoniam principijs, quatenùs sunt principia, nihil est prius, quæ verò secundum τὸ διότι probantur, ea à priori & ex causis suis, sicuti quæ κατὰ τὸ ὅτι probantur, à posteriori tantùm & effectibus suis demonstrantur.

74. Τῶν ἀρχῶν δὲ] Sunt autem varij modi, principia κατὰ τὸ ὅτι demonstrandi. Namque τὸ ὅτι principiorum speculativarum scientiarum vel per inductionem singularium cognoscitur, quia est καθόλου, vel sensu, quia est ὅλον, ut in Physicis, ignem urere. Τὸ ὅτι v. principiorum practicarum disciplinarum, inter quæ non postremum locum tenet Beatitudo, vel per ἰθισμὸν seu assuetudinem, ut Ethica, Politica, Oeconomica, vel per ἄσκησιν s. exercitationem, ut sunt Mechanica principia comparatur.

Varij modi principia demonstrandi.

1. Inductio.

2. Sensus.

3. Assuetudo.

4. Exercitatio.

Modus demonstrandi principia cuiq; scientiæ conveniens est debet.

75. Μελέναι] Cum igitur varij sint modi principia κατὰ τὸ ὅτι demonstrādi: Is tamen qui cuiq; disciplinę & scientię familiaris est, amplectendus erit, dandaq; opera, ut bene & convenienter definiantur seu po-

potiùs describantur, quemadmodum in Physicis Natura Materia prima & Forma ex accidentibus & effectibus naturalibus descripta sunt, non autem ex causis essentialibus, quæ sublimioris erant scientiæ.

CAP. IIX. Περιγραφὴ. Beatitudinis.

76. Δεικτέον οὖν πρῶτον] περιγραφὴν seu εὐδαιμονίας Beatitudinis qua dicitur esse bonum perfectum, quod satis est homini, & ab eo votis omnibus expetitur, rectè constitutam esse, ex superioribus liquet.

Ἀναγραφὴ Beatitudinis.

Sed φ ad ejusdem ἀναγραφὴν attinet, qua dicitur esse ἐνέργεια τῆς ψυχῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ, ejus singulas partes adhuc dissolvere oportet, quod Aristoteles vocat διαρθρῶσαι. Idq; ob hanc causam, quia principijs, ut hic est Beatitudo, rectè legitimeq; constitutis, facilis & expeditus est ad reliqua artis præcepta progressus, cum principio benè cognito, φ non tantum dimidium est rei, sed etiam plus dimidio, quatenùs res sub cognitionem cadens ex suo principio cognito facilimè etiam ipsa cognoscitur, multa in quæstione posita enodari, & dubia tolli facilè possint.

Principiũ plus dimidio.

77. Σκοπέον δὲ καὶ περὶ αὐτῆς] Beatitudinis autem ἀναγραφὴν seu posterior illa definitio

duobus

duobus modis illustrari potest: Ratiocinatione scilicet, cujus duæ sunt partes, nempè συμπέρασμα seu conclusio & propositiones præmissæ ἐξ ὧν ὁ λόγος; & Autoritate ἐκ τῶν λεγομένων. τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ] Namque ad veram definitionem, quæ est rei essentia, ceu Lydium lapidem, cùm Ratiocinationes tum autoritates revocatæ, si cum ea consentiant, veræ & ipsæ erunt. Quod enim vero consonat, verum & ipsum est. Si ab ea dissentiant, falsum erit. Nam quod à vero dissonat, verum esse nequit.

78. Νενεμημένων δὲ] Primum g. quod Beatitudo sit ἐνέργεια τῆς ψυχῆς, id tria illa veterum axiomata: 1. Quod Beatitudo sit summum bonum. 2. Quod actiones quædam finis rationem obtineant. 3. Quod Beatus benè vivere & benè agere dicatur, satis luculenter probant. Si enim Beatitudo est summum bonum, est utique animi bonum, cum hoc præstantius sit, quàm corporis & fortunæ bona. Si verò finis est τῶν πρακτῶν, est certè actio ab interno habitu promanans. Vt enim τῶν διωρυτῶν finis est animi διωρία: ita τῶν πρακτῶν finis est actio animi. Id quod denique ex eo etiam mani- *Beatitudo est ἐνέργεια τῆς ψυχῆς.*

manifestum evadit, quod εὐζωΐα & εὐπραξία sit ἐνέργεια ψυχῆς. Beatitudo autem est εὐζωΐα & εὐπραξία, argumento à cognatis. Nam antiqui Beatum dicunt εὖ ζῆν & εὖ πράττειν. E.

79. φαίνεται δὲ καὶ] Deinde ad secundam definitionis partem differentiæ essentialis loco positam, quod nempè Beatitudo sit actio animi κατ' ἀρετὴν τελειοτάτην; quantum spectat, ea quoq; ex antiquorum de illa opinionibus probari potest. Illorum enim alij in virtute collocatam esse Beatitudinem affirmarunt, eâque vel sola & à reliquis bonis sejuncta: Sic Stoici virtutem in genere pro Beatitudine habent; In Specie v. Socrates apud Platonem in Phœdone, Prudentiâ, Anaxagoras Sapientiâ, Beatitudinem definiendam esse putant. Vel conjunctâ cum cæteris bonis, & vel cum voluptate, nimirum ut ex virtute & voluptate Beatitudo constet, quæ Epicuri fuisse videtur opinio, vel cum externis bonis tùm corporis tùm fortunæ, τῶν ἐκτὸς εὐτυχιῶν appellat Aristoteles. Et hæc opinio fuit Pythagoræorum. Hæ g. opiniones ad præsens negotium sunt accommodandæ, & quid veri habeant, quid

κατ' ἀρετὴν τελειοτάτην.

quid falsi examinandum est, cum non possint omni ex parte falsæ esse, sed aliquid in se contineant veritatis. Verum enim illud esse videtur, quod vel τῶν πολλῶν, plurimorum non recentium tantum, sed etiam veterum, vel τῶν ὀλίγων pauciorum sed virtute & eruditione præstantium judicio approbatur.

80. τοῖς μὲν οὖν ὀλίγοις] Eorum igitur opiniones, qui Beatitudinem primario collocant in virtute, sive in genere sive in Specie aliqua virtutis, cum definitione superius tradita partim consentiunt. Actio enim animi secundum virtutis habitum videtur esse ipsa virtus, habitus namque per se non cognoscitur, cum intus in animo lateat, sed per actiones externas sese prodit, quemadmodum facultates seu potentiæ animæ per operationes cognoscuntur. Atqui Beatitudo est actio secundum virtutem. E. Beatitudo videtur esse virtus ipsa. Atque eatenus Stoicorum opinio nostræ est consentanea. διαφέρει δὲ] Sed tamen partim etiam dissentiunt, quod non distinguant inter virtutis habitum & actionem, inter posses-

Qui virtutem pro summo bono habent, partim consentiũt nobiscum.

Partim à nobis dissentiunt.

possessionem & usum seu exercitationem. Bonum enim animi præstantissimum in actione potius consistet, quàm in habitu. Atqui Beatitudo est bonum animi præstantissimum. E. Major patet. τῶν γὰρ ἕξιν] Bonum enim, quod semper bonum apparet, præstantius est eo, quod non semper tale apparet. At κτῆσις & ἕξις otiosa esse potest, ut non appareat bona. v. g. in dormiente aut alioquin feriante. χρῆσις v. & ἐνέργεια quoniam semper in actu est, & non magis otiosa esse potest, quàm album, quà album est, potest esse nigrum, & calidum, qua calidum, potest esse frigidum, ideò semper bona apparet. E. ἐνέργεια est Bonum præstantius, quàm ἕξις. ὥσπερ δ' ὀλυμπικοῖν] Quemadmodum g. in olympicis ludis non fortissimis, sed fortissimè pugnantibus corona dabatur: Sic in virtutis gymnasio res præclaras consequuntur, & beati evadunt, non qui optimi sunt, sed qui summas optimasq; virtutes exercent.

81. Εἰ δὲ καὶ ὁ βίος] Qui etiam virtutem & voluptatem simul juncta summum bonum esse contendunt, illi non ex omni parte à nobis dissentiunt. Voluptatem

ptatem tantùm honestos habitus & actiones virtutis comitari tribus probari potest argumentis.

82. Ἑκάστῳ δ' ἐσὶν] I. Arg: Cujus quisque rei studiosus est ea delectatur, ut Equis delectatur is, qui est studiosus Equorum, &c. At vir bonus est virtutis studiosus. E. Vir bonus ea etiã delectatur.

83. τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς] II. Arg: Quæ per se & natura sua jucunda sunt, ea honestati deditis etiam adferunt delectationem. Quæ enim talia non sunt, iis non viri boni, sed stulti & plebei afficiuntur, qui ob id opinionibus quoque inter se pugnant. At virtutum actiones per se & natura sua jucundæ sunt, quia voluptatem in se ipsis habent cognatam atq; propriam, non adventitiam atque peregrinam. E. Virtutum actiones per se & natura sua honestati deditis delectationem adferunt.

84. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἀγαθαὶ] III. Arg: καλὸν καὶ ἀγαθὸν communi omnium hominum comprobatoq; judicio est etiam jucundum. Atqui virtutis actiones sunt καλαὶ καὶ ἀγαθαὶ, siquidem verè de iis vir bonus judicat, sicuti eum rectè judicare supra th. 17. diximus: E.

Comes virtutis est honesta voluptas.

1. Arg. ex viri boni studio.

2. Argumentum ex naturâ ipsius jucundi.

3. Argumentum

Voluptas etiam comes est Beatitudinis.

85. Ἄριστον ἄρα] Sed & voluptatem comitem esse Beatitudinis propter virtutem hac ratione liquet. Præstantissima virtutis actio & pulchra est & bona & jucunda. Malè enim, Pulchrum, Vtile & Iucundum in Epigrammate illo templi Delij postibus affixo à se invicem disjuncta sunt. Atqui Beatitudo est præstantissima virtutis actio.

Beatitudinem etiam externis bonis instructam esse oportet.

86. φαίνεται δ' ὅμως] Externa quoque bona secundariò ad Beatitudinem requiri, præter antiquorum authoritatem, etiam hac ratione liquet: Ea sine quibus actio virtutis perfecta esse nequit, ad Beatitudinem conferunt. Atqui sine externis bonis actio virtutis perfecta esse nequit. Virtus enim illis indiget ad agendum, quibusdam necessarijs, ut instrumentis actionum, qualia sunt inter bona corporis, Sanitas, Robur; inter bona Fortunæ, Divitiæ, Magistratus, Amici: Quibusdam non necessarijs quidem, sed tamen jucundis & veluti ornamentis Vitæ beatæ. Quorum enim bonorum absentia Beatitudinis splendor obfuscatur, ea ad Beatitudinem requiruntur. At quorundam corporis & fortunæ bonorum absentia splen.

ſplendor Beatitudinis obfuſcatur, & non ſolùm propter boni abſentiam, ſive illud ſit corporis, ut pulchritudo & ornatus, ſive Fortunæ, ut Nobilitas generis, liberi boni atque multi, patria clara & illuſtris: Sed etiam propter mali contrarij præſentiam, ſive ſit malum corporis, ut deformitas, Sive Fortunæ, ut obſcuriſſimo loco natum eſſe, in ſolitudine vivere, item orbitas, vita improborum, mors bonorum, liberorũ aut amicorum. Quocirca Beatitudo, ut diximus, illis externis bonis opus habet. Ex quo fit, quod quidam εὐδαιμονίαν & εὐτυχίαν ſeu proſperitatem fortunæ pro eodem habent, nonnulli autem eandem eſſe virtutem exiſtiment, ut ſuprà eſt oſtenſum.

87. Ὅθεν καὶ ἀπορεῖται] Hinc jam oritur quæſtio difficilima. Cum enim Beatitudo nitatur virtute, & nitatur etiam externis bonis; Virtus a. doctrina comparetur & aſſuefactione atq; exercitatione; Externa autem bona nobis concedantur vel Deorum munere, vel Fortunę beneficio, quæritur, quomodo Beatitudinem homo in hac vita acquirat, utrum proprijs viribus & virtute, & per

CAP. IX. Quomodo Beatitudo acquiratur.

consequens doctrinâ, assuefactione & exercitatione; an verò alienis nempè vel Dei vel Fortunæ eam assequatur.

Beatitudo est donum Dei.

88. εἰ μὲν οὖν] Sed quæstionem illam explicando primùm expressè cum Aristotele fatemur, Beatitudinem quidem esse διόδοτον seu διόπεμπτον & divinum donum. Si enim alia bona, eaq; minora, Dei benignitate consequimur, multò magis Beatitudinem, quæ summum est & præstantissimum bonum, ex largissima ipsius manu consequimur. Sed tamen præsentis non est instituti, Beatitudinem ut divinum donum est, investigare. Cum enim Terricolis Divi vendant bona cuncta labore, & in Philosophia etiam causas secundas investigare nobis conveniat, secundam Beatitudinis causam dicimus esse virtutem & industriam hominis, ob quam etiam res divinissima existit.

Secunda Beatitudinis causa.

1. Quia τῆς ἀρετῆς ἆθλον καὶ τέλος, quia virtutis, quæ est inter omnia bona humana princeps, præmium optimum est, & hominem Deo propè videtur adæquare.

Beatitudo est res divinissima.

2. Deinde quia πολύπονος est. Potest enim studio & exercitatione ab omnibus, qui non sunt Naturæ aut Fortunæ vitio ad virtutem inepti,

epti, haberi. Bonum autem quo communius eò divinius.

89. Εἰ δ' ἐστὶν οὕτω βέλτιον] Quod autem Casu & Fortuna nobis non adveniat, ita probatur. Si melius est certa ratione certoq; consilio niti quam casu, Beatitudo certè ut bonorum omnium præstantissima, ita quoq; præstantissimo modo acquirenda, certa etiam causa hoc est, virtute & industriâ nostra nobis adveniet, non autem casu. Sed verum prius. Nam nec natura aliquid frustra facit, nec Ars, sed illam regit divina providentia, hanc v. prudentia artificis, ut quàm optimè & pulcherrimè res quævis absolvatur. E. verum etiam posterius. Stultum enim est dicere Beatitudinem Fortunæ subijci, cum tamen cætera bona casu niti constanter negemus.

Fortuna non est causa Beatitudinis.

90. Συμφανὲς δ' ὄν] Sed & Beatitudinem virtute acquiri ex ipsius definitione superius tradita, quâ diximus eam esse ἐνέργειαν ψυχῆς κατ' ἀρετὴν, & reliqua bona externa corporis & fortunæ esse dũtaxat actionum ex virtute profectarum partim instrumenta necessaria & utilia, partim ornamenta, satis liquidò apparet.

91. Ὁμολογούμενα δὲ ταῦτα] Id quod etiam

ex ijs, quæ ſupra th. 9. diximus, confirmari poteſt. Politicæ n. finis virtute acquiritur. Ideo etiam Legislatores non ſolum metu pœnarum, ſed præmiorum quoq; exhortatione bonos cives efficere, & præmijs ad virtutē incitare, pœnis v. à vitijs deterre ſtudent. Atqui Beatitudinem Policæ finem eſſe ex ſuperioribus conſtat, ubi præſtantiſſimæ ſcientię prętantiſſimū quoq; finem eſſe diximus. E. Beatitudo virtute acquiritur.

92. Εἰκότως οὐδὲ οὔτε βοῶν] Hinc jam ſequitur, quia Beatitudo virtute comparatur, & Bruta cum ratione careant, & propterea ſecundum virtutem operari nequeant, beata non ſint dicenda, οὐδὲ παῖδες] Vt neque Pueri, qui licet ratione non deſtituantur, eā tamen propter ætatis imbecillitatem uti non poſſunt. Itaq; licet illi propter ſpem, quam de ſe præbent, nomine poſſint beati appellari: Reipſa tamen Beati non ſunt, cùm quia virtutem perfectam, quæ eſt ἕξις τελεία virtutis & eſſentialiter ad Beatitudinem requiritur non habent: tum quia beatæ vitæ proſperitate carent, quam Beatitudo accidentaliter requirit. Namq; etiam multa cadunt inter calicem ſupremaq; labra.

Bruta & pueri non poſſunt eſſe beati.

Et ſe-

Et feliciſſimus quiſq; ante obitum nonnunquã in atrociſſimas calamitates incidere poteſt. Sic Priamus felix habitus eſt, fere toto ætatis ſuæ ſpacio. Ad extremũ tamen, regni excidium, liberorũ πανωλεθρίαν seu interneciones, conjugis captivitatem expertus, tandem ipſe manu Neoptolemi ad aras obtruncatus, ita ut ante beatus haberi non potuit.

93. Hinc jam tandem, datâ nimirum hac occaſione, hanc quæſtionem: Viviné an mortui dicendi ſint beati, aliquantò accuratius explicandi, ultimam quoque definitionis noſtræ particulam, quæ eſt ἐν βίῳ τελείῳ, in vita perfecta, declaremus neceſſe eſt. Vita autem perfecta ſpacium ætatis longum ad mortem uſque complecti videtur. κατὰ Σόλωνα] Vnde etiam Solon in celebri illo ſermone, quem cum Cræſo Lydorum rege nimis immoderatè ſuam jactante felicitatem habuit, & Herod: lib. 1. deſcripſit, tempus vitæ extremum eſſe expectandum dixit, antequam Beatus quis pronuncietur. Hinc illa Ovidij:

CAP. X.

Vtrũ quis dum vivit beatus ſit appellandus nec ne.

——Vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicíq; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

94. εἴ δε δὴ] Anceps autem & dubia est Solonis sententia. Si quis enim dum vivit, non est appellandus beatus, quæstionis est, utrum quis post mortem beatus sit dicendus. ἢ τοῦτό γε] Atqui beatus post mortem practicè nemo revera & per se erit, quia Beatitudo est ἐνέργεια, quæ vivis tantum inest non mortuis. Hi enim civiliter non agunt. εἴ δε μὴ λέγομεν] Neque etiam respectu judicij humani post mortem beatus est dicendus, quamvis Solon mortuum ob hanc causam putârit beatum esse dicendum, quod beatitudo ejus præterita nullius calamitatis interventu turbari possit amplius ἀνθρώπῳ] Nam si vivis, qui sensum & actu & potestate habent, non sentientibus sæpè & ignorantibus fortuitæ calamitates accidere dicuntur, ita patrem dicimus infelicem, cujus filius in bello vel itinere à latronibus occiditur, licet pater id ignoret; multò magis etiam mortuis ejusmodi casus accidere possunt, licet nullum illorum sensum habeant. Sic mortuis fortuita accidunt, tum propria, ut quando post mortem etiâ injuriâ afficiuntur, & convicijs proscinduntur ab impijs, tùm aliena, ut liberorum res prosperæ & adversæ.

95. Ἀπὸ

95. Ἀπορίαν δὲ καὶ] Sed cum jam satis constet, & experientia quoq; id ipsum quotidiè testetur, quod necessariò mortuis, si non ipsismet, saltem ipsorum posteris bona & mala accidant innumera, res non caret dubitatione, utrum propter ejusmodi casus mortuorum beatitudo immutetur. Nam utrumcunq; dixeris sive negaveris sive affirmaveris, vix te expedies. ἄτοπον δὴ γίνοιτ' ἄν] Si enim affirmaveris, absurdum hoc sequetur, ꝙ qui propria virtute, dum viveret, beati nomen meruit, alienâ culpâ post mortem beati nomen amittat, fiatq; nunc ex aliena culpa miser, qui propria virtute beatus erat. ἄτοπον δὲ καὶ] Absurdum quoque erit, si concesso eo, quod viventis beatitudo alienis malis contaminetur, negaveris, beatitudinem mortuorum alienis infortunijs labefactari & veluti inquinari, cum tamen etiam vulgo majores dici soleant infelices, quorum posteri sint improbi vel calamitosi.

Vtrum casibus posterorũ, mortuorũ beatitudo immutetur.

96. Ἀλλ' ἐπανιτέον] Sed nos ex istis labyrinthis ac difficultatibus ut eò rectiùs expediamus, utramque quæstionem, alteram de vivorum, utrùm scilicet quis ante obitum beatus sit dicendus, alte-

rã de Mortuorũ beatitudine, utrũ ea posterorũ casib⁹ aut calamitatib⁹ immutetur, paulo accuratius consideraverimus. Sed prior priori loco explicanda est, quoniam posterior ex priore quasi enata est.

Quæstionis propositæ ἀπόφασις refutatur.

97. Prioris g. quęstionis ἀπόφασιν primũ enucleabimus Solonis nimirum sententiam impugnaturi. Quod n. illa absurda sit, hinc patet. εἰ δὴ τέλος ὁρᾶν] Homines eo tempore, quo non sunt beati, beatos appellare, sed eo tempore quo sunt beati & beatè vivunt, beatos non appellare, valdè absurdũ est. Atqui Solon homines eo tempore, quo sunt beati negat appellandos esse beatos, quo v. non sunt, beatos esse dicendos existimat, idque propter fortunæ inconstantiam. E. Platonis opinio est valdè absurda. Cum n. statuat, aliquem post obitum posse beatũ dici, quod fuerit in vita; id multò magis concedere debet, dum est actu, quia ex eo ꝙ fuit, juxta illum potest dici beat⁹. Ergò multò magis dũ erat. Quia propter ꝙ unũquodq; est tale, illud magis est tale. Tum quoq; propositiones præteriti temporis veræ sunt, quia illis respondentes verę quãdoq; fuerũt de præsenti.

98. καὶ διὰ τὴν μόνιμον] Sed argumentũ quo nitebatur Solo tale est: Beatitudo omniũ

opinione constãs quid est & immutabile nec fortunę casib⁹ interruptũ. Atqui in vita humana nihil constãs est sed ꝑpetua ejus est vicissitudo, quãdoquidẽ assiduis fortunæ casib⁹ subjicitur. E. In vita humana non est Beatitudo, & ꝑ conseques, in hac vita nemo dicendus est Beatus.

Argumentum Solonis.

99. Δῆλον γὰρ] Sed hoc Solonis argumentũ valdè infirmũ est, cum in eo Paralogismus committatur non causæ ut Causę. Si n. Beatitudinis primaria conditio à Fortunę æquabili constantia desumatur, proculdubio nullus, dum vivit, beatus recte judicari posset: nisi felicem eũ esse vellemus, qui singulis momentis fortunę impetu de statu suo dejiciatur, & nũq̃ in eodem statu manens, cujusdam Chamæleontis more commutetur, & nunc felicis nunc infelicis speciem rep̃sentet.

Confutatio argumenti Solonis.

ἡ γὰρ μὲν ταῖς τύχαις] Verũ enimvero Fortuna non est domina felicitatis cũ in fortunæ constãtia vel inconstantia bonũ & malũ non consistat. Neq; n. ex fortuitis agere sed pati dicimur: Neq; per se bona vel mala dicũtur externa ista corporis & fortunę παθήματα sed ꝑ accidens, & ut cũ Terentio loquar, ꝑindè sunt ut illi⁹ anim⁹, qui ea possidet Qui uti scit, ei bona, illi, qui non rectè utitur, mala κύριαι δ' εἰσὶν]

Fortuna non est domina Beatitudinis.

Sed actiones virtuti consentaneæ.

Sed vera & primaria Beatitudinis causa & conditio est actio secundum virtutem. In iis enim actionibus, quæ maximè firmæ sunt & stabiles, Beatitudo primario consistit. περὶ οὐδὲν γὰρ οὕτως] At virtutum actiones maximè sunt stabiles & firmæ, quia & ipsis scientijs stabiliores esse videntur, & quo quæque excellentior est actio, eo etiam est constantior & diuturnior. οἷς γὰρ μάλιστα] Quarum enim actionum habitus in oblivionem non veniunt, illæ sunt constantissimæ. At actionum practicarum habitus in oblivionem non veniunt, cum quotidiè in vita politica & œconomica dentur agendi occasiones, & necessariò sit agendum. E. Quia virtutum actiones sunt constantissimæ, in ijs Beatitudo primariò consistit, & non ita in fortuitis & externis bonis.

Quæstionis propositæ κατάφασις confirmatur. Beatus quis esse potest dum vivit.

100. περὶ δὲ τῆς ζητουμένης] Sequitur jam quæstionis propositæ κατάφασις, quod nempè & quatenùs vivi beati sint dicendi. Negabat Solon beatum dicendum aliquem dum vivit, at nos beatum non nisi dum vivit beatum appellandum affirmamus. ἀεὶ γὰρ ἐμάλιστα] Nam sive respicias bona ἐνεργητικὰ seu internam perfe-

fectionem, virtutem sc. & actionem ex virtute; vir beatus interius latentes virtutũ habitus & internis animi cogitationibus & externis operationibus si non semper, at certè tamen, quando & quantum licebit, declarabit, & in lucem producet: καὶ τὰς τύχας] Sive consideres bona σωματικὰ, corporis sc. & fortunæ bonorum abundantiam, quæ tantùm secundario ad beatitudinem requiritur, & essentiam ejus non ingreditur; sic vir beatus omnem fortunam prosperam & adversam ἀμωμήτως eleganter & concinnè feret ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς, καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου, τετράγωνος. quia nullâ fortunæ vi everti potest, & sibiipsi semper constat, & quomodocunque volutatus basin firmam habet, instar cubi, qui non facilè movetur, motus autem in se ipsum recumbit.

101. Πολλῶν δὲ γινομένων] Sed tamen hîc distinctio diversitasque status & conditionis viri boni est animadvertenda ex magnitudine sc. & parvitate rerum fortuitarum. Nam si parvæ illæ fuerint & exiles, parum aut nihil ad mutandam beatitudinem valent, ut si Achillem Therſites convicijs incessat, aut homini opulento quædam pecuniæ intercipiantur.

Fortuitæ vicissitudines magnitudine differunt.

tur. Si v. magnæ fuerint & vehementes, tum prosperæ seu εὐτυχήματα beatitudinem reddent illustriorem, quandoquidem Beatus pluribus instructus instrumentis, virtutes concinniùs ac splendidiùs exercere potest, v.g. Liberalitatem & Magnificentiam, si divitijs instructus fuerit: Magnanimitatem & modestiam si in dignitate fuerit constitutus & ho-
ἀτυχήματα. noribus afficiatur: Adversæ a. seu ἀτυχήματα labefactabunt quidem nonnihil ac debilitabunt vitam beatam, quod ab ijs fere bene agendi facultas Beato eripiatur, quemadmodum etiam pictor bonus pingere nequit, si vel nulla vitiosa habeat instrumenta; Per se tamen calamitosus ille & afflictus si perfecta virtute præditus existet, nunq̃ prorsus frangetur, nec despondebit animum. Pictor n. bonus semper bonus est, licet non habeat occasiones. Vir bonus etiam in
E beato nõ rumnis recte agit, quamvis in ijs minus
fiet miser. splendidæ sint & gratæ ipsius actiones. 102. Εἰ δ' ἐστὶν αἱ ἐνέργειαι] Quamvis g. vir beatus, dum vivit, in varias incidere possit calamitates: Non tamen ob id Miser fieri potest, neque ἄθλιος est appellandus. Nam qui mala agit, miser est. At vir beatus, quia beatitudinis condi-

tionem primariam retinet, virtutis ſc. poſſeſſionem & operationem, nunquam male agit. E. Quemadmodum enim bonus Imperator eo exercitu, qui præſtò eſt, ſemper rectè utetur, non minus exiguo quàm magno, ut Camillus, Scipio & alij. Item bonus ſutor ex quovis corio calceum conficiet pulcherrimum quidem ex artis præſcripto, ex materia autem, quantum illa admittit. Ita quoque, qui verè bonus eſt & prudens, eum putamus omnes caſus fortunæ decenter ferre, ſemperque ex ijs, quæ ſuppetunt, res pulcherrimas agere.

103. Οὐ μὴν μακάριός γε] Interim tamen fateri nos oportet, ſi in calamites graves & infortunia diuturna magnaq; inciderit vir probus, licet ob id miſer non efficiatur, & tamen ejus Beatitudo multũ obſcuretur, & quamvis non prorſus aboleatur, tamen non parùm impediatur, cum bene agendi ſplendidiſſimis deſtituatur occaſionibus. Atque ita ille non quidem Miſer erit, ſed tamen nec abſolutè omninoq; beatus, ſed medius quodammodo erit inter ſummè beatum & extremè miſerũ; ita tamen, ut propter virtutis perfectum habitũ magis ad Beatitudinem accedat.

Vir beatus incidens in Priamicas calamitates medius eſt inter Beatum et Miſerum.

titudinem quàm ad Miseriam accedat. Sic Priamus quidem vir bonus permansit, sed cum regno ejectus & omnibus suis bonis spoliatus benè agendi splendidissimis destitueretur occasionibus, etiamsi supervixisset non tamen æquè ut prius dici potuisset beatus.

Vir beatus incidens in Priamicas calamitates non est dicendus mutabilis.

104 οὐδ' ἢν ποικίλος] Nec tamen idcircó inconstans & Chamæleontis instar mutabilis dicendus est Beatus: Mutabilis enim ille dicitur, non qui mutatur sed qui facilimè & brevi tempore subinde mutatur. At vir Beatus non tantum non facilè de beata vita potest dimoveri, neque à quibuslibet rebus adversis, sed maximis tantum, quorum ea sit vehementia, ut virtutis habitum licet difficulter mobilem de gradu suo dejiciant: sed etiam, si semel vi & vehementiâ malorum fortuitorum tandem de solio Beatitudinis dejectus fuerit & deturbatus, non ita facilè amissam felicitatem recuperare valet, nisi posteaquam omnes fortunæ impetus fregerit, non unum aut alterum annum, sed longissimum & justissimum tempus ex virtutis præceptis in futurum agat.

105. τί οὖν κωλύῃ λέγειν] Sed ut totam hanc disputationem

disputationem in pauca conferamus, cum alia beatitudo in hac vita perfecta sit & omnibus suis numeris absoluta, alia imperfecta: Perfectè beatus erit, qui omnes ejus conditiones tàm accidentales quàm essentiales habebit, & non tantùm, quatenùs aget secundum virtutem optimam & perfectissimam, instructus quoq; externis bonis, quanta sc. requiruntur ad virtutis actionem, sed etiã quatenus in hoc statu τέλεον βίον quoad præsens & præteritum tempus vitam perfectam nanciscetur, & non brevi tantum tempore, sed diuturno vitam exiget, donec virtutum omnium chorum in suo vitæ genere præclaris actionibus celebraverit. Ad hunc modum beatus fuisset & mansisset Adam si non peccasset, & nobis quoque βίον τέλεον & perfecta vita fuisset concessa, ut agendo secundum virtutem nos Dei æterno consortio dignos effeciissemus, & tandem citrà mortem ad cœlos evolassemus, vel assumpti fuissemus sicut Elias, Enoh.

Perfectè beatus.

Adami vita ante lapsum.

106. Η προθεσμίον] Sed quoad futurum tempus quod adhuc supervicturus est beatus, cum illud incertum adhuc sit & nobis ignotum, quomodo sit casurum,

idcirco ex sententia Solonis forte non simpliciter is, qui beatè nunc vivit, beatus est appellandus, sed cum conditione futuri addita, si nempè in futurũ etiam in hoc beato statu permanserit, & rectè laudabiliter, & anteactæ vitæ ac statui huic convenienter mortem obierit. Nam quod perfectum est, id omni tempore perfectum sit necesse est. At Beatitudo, cum sit finis, perfectum quid est. E. Omni tempore perfecta est, & quia viventi inest in præsens, inerit quoque in fututum, secundum omnes hominis ætates & vitæ conditiones, quantum natura ejus admittet. Dicimus enim Beatos, quatenus homines sunt, non verò ut Dij sunt extra omnem fortunæ aleam constituti.

107. Hinc jam facilè apparet, qui nam in hac vita dicendi sint imperfectè beati, nempè quibus desunt aliquæ conditiones beatitudinis, non quidem princeps illa & essentialis, virtutis nempè possessio & exercitatio: Sed secundaria illa, nempè vel externa bona, vel Temporis diuturnitas, ut brevi tantùm tempore beatitudine fruatur.

108. Ex his quoque intelligitur, quis in hac

hac vita sit dicendus Miser, nempe qui nullas conditiones ad beatitudinem habet, si nempe vitiosus fuerit & calamitosus. Contrariorum enim contraria est ratio

109. Alteram quæstionem de mortuorum beatitudine, utrum nempe ea etiam posterorũ calamitatibus contaminetur, non adeò accuratè, sed ex vulgi dũtaxat opinione explicat Aristoteles. Duabus enim rationibus non magni momenti ostendit, mortuos non esse omnino expertes calamitatum & miseriarum posterorum, quos amant. 1. Ratio est, quia si aliter diceremus, esset hoc ἄφιλον, & ab amicitia alienum. 2. Pugnaret hoc contra omnium hominum & populorum opiniones, quib⁹ certè non est repugnandum. Quamvis g Esa: 63. scriptum sit, Tu pater es noster, Nam Abraham nescivit nos & Israël ignoravit nos: Tu Domine pater noster, tu vindex es noster, nomen tuum ab æterno. atq; ita nullus sensus eorum, quæ hic fiunt, insit mortuis: Credibile tamé est in mortuis adhuc benevolentiam superesse, quà amicos etiamnùm viventes prosequantur, & ijs benè cupiant & precentur. Sic

CAP. XI.

Vtrũ mortuorũ beatitudo posterorum calamitatibus contaminetur.

Homerus in Necyomantia introducit mortuorum animas eorum_, quæ hìc fiunt, ignaras, cupidas tamen cognoscendi, & erga suos optimè affectas.

110. πολλὰ δ'] Sunt autem multa & varia, quæ hominibus accidere possunt, eaque differunt magnitudine & parvitate. Quemadmodum g. quæ cuique accidunt, alia levia sunt, ut irrisio, pusillæ pecuniæ jactura; alia gravia, ut exilium, omnium facultatum amissio: Ita quoq; quæ amicis accidunt, alia gravia sunt alia levia.

111. διαφέρει δ'] Sed & quæ viventibus accidunt semper graviora existimanda sunt, quàm quæ mortuis. Quemadmodum enim Tragica facinora, cum re ipsa patrantur, hominum qui spectant vel audiunt animos vehementissimè commovent, cum vero in scena aguntur, spectatorum animos minùs movent: Ita quoque quæ amicis accidunt, viventibus graviora sunt, præsertim quando amicorum malis & calamitatibus inter sunt, v. g. Si pater videat filium ante conspectum suum trucidari. Mortuis vero videntur leviora, cum ipsi non interfint istis malis neque sentiant.

112. μᾶλλον δ' ἴσως] Si vero sentiunt mortui, cum tamen sint exilia, parum vel nihil possunt illa amicorum incommoda in mortuorum beatitudine immutanda. Si non sentiunt: tum quantacunque erunt, non tamen ullâ ratione poterunt, ut mortuorum statum turbent, atque ex beatis non beatos, nec aliud quidpiam hujusmodi efficiant. συμβάλλωσι] Vt igitur concludamus, videntur quidem posterorum, amicorum, filiorum etc. εὐτυχήματα καὶ ἀτυχήματα res prosperæ & adversæ ad defunctos pertinere, ut vulgata habet opinio: Non tamen tanti sunt momenti, ut eos, si antea felices erant, beata vita spoliare, vel si antea non erãt, beatos efficere possint.

113. Διωρισμένων δὲ τούτων] Hactenus Beatitudinis definitioni, ejusq; singulis partibus, nempè generi & differentijs accommodavimus ea, q̃ aliorũ etiam sermonibus partim vera partim falsa circumferebantur. Quia v. etiam definito conveniunt quædam, quæ ipsi Beatitudini ab antiquis tribuuntur, nempe quod honore potius quam laude sit digna, eam quæstionem; Sitnè Beatitudo è numero rerum laudabilium an honorabilium, corol-

CAP. XII.

Vtrũ Beatitudo sit bonum potius honorabile quã laudabile

corollarij loco paucis adhuc expediemus. Namq; cum Beatitudo sit ἐνέργεια, non poterit esse ex numero δυνάμεων. Δύναμις enim otiosa est, & propterea nec laudem nec honorem meretur.

Non est bonum laudabile

114. Φαίνετ' δὲ καὶ τῶν ἐπαινετῶν] Cum a. Beatitudo optimũ & prestantissimum sit bonũ omne amabile in se continens, hominem perficiens, ejusque appetitionem explens; magna profecto & excellens ipsius erit dignitas, ut ob id in laudabilium numero non collocetur. Quicquid enim laudatur vel laudabile est, ob eam causam laudatur, quod certa qualitate affectum sit, & ad aliud referatur. Virum enim bonum laudamus propter actiones, sic virum robustum & cursorem laudamus propter aliud nempe propter roboris exercitium & currendi celeritatem.

DEOS non laudamus sed honoramus.

115. Ἄτοπον δὲ θεοὺς] Atque ob id Deos quoque non laudamus nisi impropriè. Quæcunq; enim laudantur, comparationem & relationem admittunt. Atqui Dij ad aliud quod majus est & superius non referuntur, nec eorum bona comparationem & relationem admittunt. Per se n. boni sunt & optimi, non v. respectu bene-

nes-

neficiorum, quæ in nos conferunt. E. Deos per se propter bona eorum μακαρίζειν tantum convenit, cum summa sint & perfectissima, nec ad aliud referantur, quod melius sit. Per accidens vero propter collata sc. in nos beneficia eosdem nunc ἐπαινεῖν nunc ἐγκωμιάζειν possumus. Minus tamen est, quam ut eorum dignitati & præstantiæ conveniat.

116. Ἀλλὰ μείζονί τι] Cum g. ea quæ excellentissima sunt, non laudare sed honorare soleamus, v. g. Deos & homines divinos; Beatitudo certe, quæ est summum bonum non laudatur sed potius honoratur. Id n. quod reliquorum bonorum principium est, non laude sed honore dignum censeri debet, quia res videtur plane divina. At Beatitudo omnium bonorum principium est. Cujus enim gratia omnes omnia agunt, id omnium aliorũ est principium. At Beatitudinis causa omnes omnia agunt. E. cum Beatitudo sit omnium actionum principium non quidem internum sed externum, finis sc. qui ut intentione est primus, ita executione est ultimus, erit utique non ex laudabilium, sed potius ex honorabilium numero.

117. Τοι-

Per se bonorum alia summa sunt

117. τοιοῦτόν δ' εἶναι τὸν θεὸν] Hinc jam concludimus distinguendo bona quod alia per se bona sint, alia per accidens, & per se bonorum alia summa sint & divina, ut DEVS, & beatitudo. Ad quæ enim bona referuntur cætera, ea sunt summa. πρὸς ταῦτα γὰρ] Ad DEVM vero & beatitudinem cætera bona referuntur. E. DEVS & beatitudo sunt bona súma, quibꝰ etiã ob id ἀμὴ debetur. Alia per se bona non

Alia non summa sed media

summa, sed media, q̃ ad beatitudinem referuntur, ut virtutes, quibꝰ quoad habitũ internũ, quatenus nempè possidentur, ἐπαινὸς seu laus ꝓprie convenit. Laudantur a. propter actiones, quia virtute instructi homines, res agere possunt honestas. Quoad fructus v. externos, quos edunt virtutes, nempè quoad actiones seu opera externa, ἐγκώμιον ijs debetur.

Per accidens bona.

Per accidens bona sunt bona fortunæ, q̃ sunt superiorũ veluti instrumenta. Itaq; ꝑ se nec laudem merentur nec præconium, cum perindè sint, ut ejus animus, qui ea possidet Quiuti scitei bona, illi, qui non utitur recte, mala. Sed de Fine vitæ beatæ, hactenus. Deinceps n. de reliquis causis, ex hoc veluti fonte deductis & præcipuè de Formali agemus.

THEMATA DE VIRTVTE MORALI

Respondente

VVERNERO FABRITIO Neomenasterienſi Holſato.

I.

RECtè in Philoſophia Moraliiuxta Methodum ἀναλυτικὴν de ſupremo hominis fine, ad quem omnia conſilia, omnesq; actiones & univerſi deniq; mortalium conatus ſunt referendi, primùm agitur: ac deinde media, quæ nos ad eum perducunt, ſedulò ac diligenter inveſtigantur, ut ita intentio noſtra certior, via rectior, & vita melior efficiatur. *CAP. XIII.* *Finis primum eſt conſiderandus.* *Deinde media.*

2. Quare, cum de illo, hoc eſt, de Beatitudine noſtra politica paulò antè egerimus, conſequens eſſe videtur, ut de his quoq;, id eſt, de virtute, & actionibus ab ipſa promanantibus hæc ſuſcipiatur diſputatio. ἐπεὶ δ' ἴσὶν] Quæcunq; enim ad clariorem beatitudinis intelligentiam faciunt, ea à nobis ſunt pertracta nda. Τάχα γὰρ] At virtutis cognitio *De virtute deinceps agendum.* *1. Ratio.*

ad clariorem Beatitudinis intelligentiam facit. E.

2. Ratio.

3. δοκεῖδὲ] Sed de virtute in hac Philosophia agendum esse, probat etiam hæc ratio: Si virtutis consideratio philosophiæ politicæ propria est, eius certè tractatio in ea est suscipienda. At verum prius: Namq; omnes boni politici in id sedulò incumbunt, ut cives suos legibus, quæ nihil aliud sunt, quam præcepta virtutis, obtemperantes faciant. Exemplo sint Cretensium & Lacedæmoniorum legislatores, quorum Resp. inter Græciæ politias p̄stantissimæ sunt judicatæ. E. verum quoq; est posterius, & de virtute nobis hoc loco est agendū.

Politici cives suos virtutiobtemperantes efficere student.

4. περὶ ἀρετῆς δὲ] Non a. de quavis, sed de humana duntaxat virtute agendum esse, hinc liquet: Qualis est consideratio finis, h.e. beatitudinis, talis quoq; consideratio est eorum, quæ ad finem pertinent, utpote virtutis. Atqui hìc tantum de humana beatitudine egimus. Nam de vita Beata, non caduca neq; vana, sed constante & sempiterna alia schola est habenda, quæ explicatur in sola Ecclesia demonstratoris & largitoris illius filij Dei Domini nostri Iesu Christi, cus ius cum patre, & sancto Spiritu est omnis

De virtute tantum humana hic est agendū.

laus, honor & gloria seculis infinitis: E. de virtute tantum humana deinceps erit agendũ: de heroica vero in 7. lib. agitur, non per se, sed ut virtus humana perfectius cognoscatur, quemadmodũ etiam de Beatitudine Theorica in 10. lib. agitur ut practica virtꝰ eo melius intelligatur.

5. Οὐ τὴν τοῦ σώματος] Cum a. homo sit homo ꝑ animam, non ꝑcorpꝰ, itaq; non virtutes corporis, ut puta robur, sanitas, visꝰ acumen etc. sed hominis propriæ, h. e. animi virtutes deinceps sunt explicandæ; quandoquidem beatitudinem, adq̃ virtꝰ refertur, animi ἐνέργειαν esse diximꝰ.

Humana virtus.

6. Εἰ δὲ ταῦθ'] Hinc est, quod Philosophus quoq; politicus de animo qdam tractare debeat. Nam qmadmodũ medici corporis humani affectꝰ qui sunt præter naturam, curare non aggrediuntur, priusq̃ eiꝰ naturã probe cognoverint: ita quoq; Philosophꝰ Practicꝰ, qui est Medicꝰ animi, habitus morũ h. e. virtutes & vitia prius aggredi non debet, nisi animi humani naturam habeat perspectam, eamque quantũ satis est ad institutũ explicet.

De animo hominis quædam sunt tractãda in Ethicis

καὶ μᾶλλον] Quinimo tanto maiore opus est consideratione, quanto præstantior est animus corpore καὶ τῶν ἀτρῶν] Atqui

medici boni & periti multùm operæ multumq; studij ponunt in cognoscendo subiecto suo. Θεωρητέον δὴ] E. Politicus etiam, qui quovis medico est præstantior, in animi cognitione multùm studij impendere debet.

Quomodo hic de animâ sit agẽdum, & quousq;.

7. Θεωρητέον δὲ τούτων χάριν] Verùm non adeò accurata & subtilis disputatio de animo hic est instituenda, sed rudis duntaxat, & quantum ad virtutis, quæ animi habitus est, declarationem satis esse potest: Atq; ita τοῦ δεῖ potius explicatio, quam τοῦ δεῖ præsentis est instituti. Accurata enim tractatio difficilior est, & maioris forte negotij, quàm ea ipsa, quæ nobis hic proposita sunt, atq; etiam ad libros de anima pertinet, ex quibus, quæ hic sunt necessaria, mutuanda sunt.

Animæ pars alia λόγος alia ἄλογος Scaliger de subtil. exercit. 307. sect. 5.

8. οἷον τὸ μὲν ἄλογον] Est igitur animi pars seu facultas alia rationis compos, alia rationis expers. Quamvis enim, ut cum divino Scaligero loquar, in animâ nostrâ per se consideratâ, nulla pars, nulla vis, nihil deniq; prorsus vel sit vel cogitari possit, quod careat ratione, cum ipsa per se divina suapte natura, sibi serviens, sibi imperans, si à corpore absolvatur: Quatenus tamen consideratur ut implicita corpori per eius officiales

partes recipit impressiones, fit propemodũ talis, quales illæ sunt; atq; ita τὸ ἄλογον esse in hominis anima affirmamus.

9. τοῦ ἀλόγου δὲ] Hæc autem pars animi quæ ἄλογος dicitur, duũm est generum: Altera est, quã homo non tantùm cum animantibus, sed etiam cum stirpibus habet communem, quam Aristoteles nominat τὸ φυτικὸν μόριον ψυχῆς, cuius tres sunt facultates principes, duæ scilicet, quæ individuo prospiciunt, ut Nutrix & Auctrix; & tertia, quæ speciei, ut Generatrix: quatuor vero facultates non principes sed ministrantes, ut Attractiva, Retentrix, Concoctrix & Expultrix. τῶν τοιούτων] Et hæc pars animæ, quam Latini etiam vegetativam appellant, communis est omnibus viventibus, quatenus nutriuntur, augentur & generant, & tàm imperfectis, ut Embryo in utero matris hærens, aut ut fructus cum semine de sua pendens arbore; quàm perfectis & à matre sua separatis. Probabile enim est, hanc vegetativam animam eandem esse cum eâ, quam in utero matris habuerunt.

Facultas animi vegetativa.

10. τούτης μὲν οὖν] Sed hæc τοῦ ἀλόγου facultas ad Philosophi Practici considera-

Vegetativæ facultatis

cognitio ad politicum non pertinet.

tionem non pertinet: Quæcunq; enim animæ facultas humanæ virtutis expers est, eius cognitio ad politicum non pertinet: At vegetativa facultas virtutis, secundum quam homo bonus & malus dicitur, expers est. E. Minor sic probatur: ὁ δ' ἀγαθὸς] Ea animæ facultas, secundum quam homo bonus & malus dicitur, in somno prorsus est otiosa, atq; ob id communi adagio dicitur, Beatos à miseris dimidia vitæ parte, quam ferè somno impendunt, non differre; cum in dormiente nulla virtutis actio edatur. Nam licet interdum insomnia bonorum meliora sint quam improborum: sunt tamen motus isti adeo exiles & imperfecti, ut ex ijs nemo bonus vel malus dici possit. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὕπνοις] Atqui vegetativa anima in somno minimè est otiosa, sed tunc vel maximè concoctio alimenti obitur. E. secundum vegetativam animam nec bonus quis dicitur nec malus, & propterea etiam non est facultas homini, ut homo est, conveniens, sed quatenus plantæ vitam vivit. Quæ etiam causa est, cur huius animæ consideratio ad politicum non pertineat.

Bonus à malo dimidia vitæ parte non differt

11. ἑτέρα δὲ κοινὴ ἄλλη] Altera ζῶν ἀλόγων animæ facultas est minus communis quam prior illa, & ab Aristotele nunc ὀρεκτικὴ nunc ἐπιθυμητικὴ appellatur, cuius una facultas princeps est & interna, quæ ὀρμητικὴ potest nuncupari, quæq; affectuũ sedes est; duæ vero non principes, sed principibꝰ inservientes αἰσθητικὴ sc. seu sensitiva & κινητικὴ κατὰ τόπον seu locomotiva.

Altera facultas ζῶν ἀλόγων *animæ.*

12. Μετέχουσα μὲν ὀρεκτικὴ] Et hæc animæ facultas ὀρεκτικὴ seu appetitiva per se quidem rationis expers est, cum etiam in brutis sit animalibus; sed tamen ratiõnis aliquo modo particeps fieri potest, id quod videre est in continentibus, & incontinentibus. In ijs enim liquidò constat inesse partem animæ alteram ratione præditam, quæ hortatur ad optima; alteram rationis per se expertem, quia rationi repugnat, quamvis in continente ratio tandem superet appetitum, in incontinente vero superetur ab appetitu. Quemadmodum enim paralyticus membrum vel attollere vel dextrorsum movere cupit, verum membri resoluti gravitas in contrarium movet: ita incontinens animi recta ratione ad honestatem impellitur, appeti-

ὀρεκτικὴ per se quidem rationis est expers, sed per accidens rationis particeps esse potest.

tus verò in contrarium abripitur: Quatenus autem appetitus tandem rectæ rationi paret post longam pugnam in continenti, eatenus per accidens rationis particeps esse videtur, & sic in homine reperitur: in brutis enim tantum est ἄλογος, & nunquam potest rationis fieri particeps. ἔτι δὲ ἴσως εὐνικοώτερον] Et quia in homine appetitus etiam perfectissimè subijci potest rectæ rationi, ideò eo ipso quis bonus dicitur, sicuti è contra malus, quando appetitus rationem penitus corrumpit.

Anima irrationalis duplex

Per se irrationalis est vegetativa.

Secundum quid irrationalis est appetitiva.

Patris rationem habere quid significet.

13. φαίνεται δὴ καὶ τὸ ἄλογον] Iam igitur ex ijs quæ diximus satis liquidò constat, animam irrationalem in homine alteram prorsus & absolutè & naturâ suâ esse rationis expertem, ut est anima vegetativa: alteram secundum quid esse rationis expertem, ut est ὀρεκτικὴ seu appetitiva, quæ imperio rectæ rationis parere debet, quemadmodum filius vel amicus patri aut amico rectè monēti paret, quod est λόγον ἔχειν. Patris autem et amicorum rationem habemus, non quod ratio patris & amicorum in nobis insit, aut cur pater & amici aliquid agant, rationem afferre nos possimus, sed ꝙ patris

tris & amicorũ voluntatem ſpectemus, atq; noſtra conſilia & actiones ad eam accommodemus. Aliter autem Mathematicus ſuarum concluſionum rationem habet; ſed hæc loquendi formula non eſt præſentis inſtituti.

Experientia docet, appetitum rationis participem fieri poße.

14 Ὅτι δὲ πείθεται] Animi verò partem ſecundũ quid rationis expertem rationi parere poſſe patet ex admonitionibus, præceptionibus, reprehenſionib⁹ & exhortationibus, quibus languentem appetitum excitamus, atq; ita cùm publicè, tùm privatim improbos ad meliorem mentem revocari poſſe in vita quotidiana experimur.

Rationalis anima etiam duplex eſt.

15. εἰ δὴ ἀλόγως τοῦτο] Quod ſi igitur hæc irrationalis animæ facultas, quam appetitivam diximus, rationis particeps eſſe poteſt, quid obſtat, quo minus etiam λογικὸν ſeu rationalem animæ partem duplicem eſſe fateamur? Altera quidem propriè & per ſe rationalis eſt, quæ eſt ipſa Ratio: altera impropriè & propter aliud eſt rationalis, ut appetitus, qui imperio rationis, tanquam reginæ, Dominæ & parentis parere debet, & quatenus paret, eatenus λόγου ἔχειν & ipſe dicitur.

Virtutum aliæ intellectuales aliæ morales

16. διορίζεται] Atq; ex hac animi divisione ac differentia virtutes quoq;, quæ ipsi animo tanquã firmæ qualitates difficulter mobiles inhærent, distinguimus in διανοητικὰς, quarum aliæ sunt Theoreticæ, ut Sapientia, Scientia, Intelligentia; aliæ practicæ, ut Ars & Prudentia: & in ἠθικὰς, ut est Liberalitas, Temperãtia & reliquæ. λέγουσι γάρ] Nam ἠθικὰς seu morales virtutes à διανοητικαῖς seu intellectualibus diversas esse, patet etiam ex communi usu loquendi; quia moratum dicimus, non eum qui intelligens est, aut sapiens, sed eum qui clemens aut temperans est. ἐπαινοῦμεν] Sed & sapientiam, adeoq; omnes intellectuales habitus virtutes esse, hinc patet: Habitus animi laudabilis vulgò appellatur virtus: At sapientia est habitus animi laudabilis, & sapiens propter habitum laudatur. E. sapientia est virtus. Sed de intellectualibus postea lib. 6. agemus: Nam de Ethicis virtutibus prius est agendum, quod eæ ad Beatitudinem politicam atq; ad mores hominum rectè conformandos, de quibus nostra suscepta est tractatio, maximè pertineant.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

17. Cum verò huius Philosophiæ primarius finis sit actio boni, secundarius verò cognitio veri; ideoq; primum quæ ad virtutis praxin seu exercitationem pertinent, per quam scilicet virtus acquiritur, & acquisita confirmatur, ex quatuor prioribus capitibus secundi libri explicabimus: deinceps quoq; in reliquis capitibus, quæ ad eiusdem Theoriam seu cognitionem pertinent, pertractaturi.

18. Primùm igitur, cum quæcunq; habet homo, aut alieno, Naturæ scilicet vel Doctrinæ; aut proprio beneficio, usu nempe & exercitatione habeat, utro modo virtus homini obtingat, controversum est. ἡ μὲν διανοητικὴ] Nos quidem virtutis dianoëticæ ortum & incrementum pendere asserimus ἢ πλεῖστον seu primariò ex doctrina. Idcirco enim experientiam requirit, per quam ex multis singularibus sensu cognitis unum universale, quod principium fiat scientiæ, in intellectu deducatur; & desiderat quoq;

CAP. I.

Virtus intellectualis ut plurimũ doctrina cõparatur.

quoq; tempus, cum nec die uno, nec uno anno, nec ætate una scientiæ vel inveniri vel constitui possint. Sed tamen aliquid etiam & secundæ partes in acquirenda intellectuali virtute tribuendæ sunt Naturæ & Exercitationi.

Ethica virtus ut plurimũ comparatur assuetudine

19. ἡ δ' ἠθικὴ] Sed Ethica seu moralis virtus, quæ appetitum nostrum veri boni consecutione perficit & absolvit, ἐκ πλείονος seu primariò ex more et consuetudine cõparatur. Hinc n. nomen habet ut Moralis dicatur, à more & consuetudine: sicuti ἠθικὴ vel ἀπὸ τοῦ ἤθους vel ἀπὸ τοῦ ἔθους denominatur. Quemadmodum enim in virtute internus consideratur habitus & externa actio: ita quoq; mores alij sunt interni seu habitus, secundum quos ποιοὶ seu quales, v.g. boni vel mali dicimur; alij externi, qui veluti testes sunt internorum. Distinctioris igitur doctrinæ causa ut interni ἤθη, sic externi ἔθη appellari possunt. Rursus, quemadmodum ex actionibus proveniunt habitus, sic ex ἔθεσι provenit ἦθος. Erit igitur ἡ ἔθος ipsa assuetudo, ἡ ἦθος verò mos ipsâ assuetudine comparatus.

Diff. ἔθος & ἦθος.

Virtus natura nobis non inest.

20. ἐξ οὗ καὶ δῆλον] Ergo virtutem Ethicam naturâ non comparari his liquet argumentis

gumentis. ὀυδὲν γάρ] I. Argument. Quæ naturâ insunt, ea perpetua sunt, & consuetudine mutari nequeunt: ut naturâ suâ ignis sursum, lapis deorsum fertur, neq; hic, ut sursum, neq; ille, ut deorsum suâ naturâ feratur, assuefieri ulla ratione potest. Atqui morum habitus consuetudine tàm ad bonum, quàm ad malum potest mutari. potest enim ex bono fieri malus, & vicissim è malo fieri bonus, ut experientia quotidiè testatur. E. virtus seu morum habitus nobis naturâ non insunt. *1. arg. à virtutis inconstantia.*

ὄντες παρὰ φύσιν] Quamvis enim habilitatem quandam & aptitudinem ad virtutem accipiendam suggerat Natura: perfectum tamen & absolutũ eius habitum non largitur, neq; illius vis in singulis hoc efficit, ut omnes virtute præstent.

21. ἃ δὲ κατὰ μὲν φύσιν] II. Argm. Quæcunq; nobis naturâ connascuntur, eorum δυνάμεις potentias seu facultates prius habemus, quam functiones aliquas edamus. Sic audiendi, videndi &c. δυνάμεις nobis contingunt, antequam audiamus, videamus. Non enim sæpius audiendo aut videndo sensum visus vel auditus consequimur; sed videmus, quia inest *2. arg. à modo acquirendæ virtutis.*

in no-

in nobis vis & facultas videndi, audiendi: sic prius accipimus loquendi, ambulandi facultatem, quam loquamur, ambulemus. Τὰς δ' ἀρετὰς] At virtutes adipiscimur postquam diu egerimus: id q; in artibus quoq; mechanicis usu venire cernimus: in quibus tanquam obstetrix præcedit, & tanquam filia sequitur artis effectio. Quemadmodum igitur ædificando architecti efficimur, & iam facti benè ædificare possumus: ita iusta sæpè agendo iusti evadimus, & iusti iam facti, iustè agimus.

3. Arg. ab authoritate legumlatorum & politicorum.

22. Μαρτυρεῖ] III. Arg. Si virtutes & vitia naturâ nobis insita essent, & si non esset in nobis agendi vel bonum vel malum libertas, & nisi ad bonarum actionum studia assuefieri possemus, nunquam legislatores & politici non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum pollicitatione bonos efficere in animum inducerent suum. οἱ γὰρ Νομοθέται] Atqui omnes legislatores in hoc unice incumbunt, ut cives suos assuetudine bonos efficiant. Namq; par est omnium legumlatorum voluntas, cives scil. suos bonos reddere legum assuetudine, qui naturâ tales non erant, q̃vis dispar sit

non-

nonnunquam ſucceſſus, cum quidam legumlatores ſui voti fiant compotes, quidam verò, quia minus rectè aſſuefaciunt, voto ſuo fruſtrentur. Atq; ita bona à mala Rep. diſtinguitur. Illa n. eſt quæ virtutis exercitijs recte eſt aſſuefacta: hæc verò, quæ non rectè. E. virtus natura nobis non ingeneratur.

23. ἔτι ἐκ τῶν αὐτῶν] Cum igitur virtus nobis naturâ non ſit inſita, videtur utique more & aſſuetudine comparari. Actiones enim more & conſuetudine nituntur, confirmantur. At virtus ex actionibus oritur. Quomodo enim ars comparatur, eodem quoq; modo virtus acquiritur, nimirum, ut ex ijsdem rebus bene ſe habentibus naſcatur, non bene ſe habentibus corrumpatur, & contrarius inducatur habitus. At verò actionum frequentia ars comparatur. Nam ex eo, quod fidibus canunt, boni & mali fidicines evadunt, prout quisq; in ijs ſe exercuerit. εἰ γὰρ μὴ οὕτως] Si enim artis bonus & malus habitus ſimilibus actionibus non compararetur, doctrinâ non eſſet opus, qua dirigerentur actiones, ſed omnes ex æquo vel boni vel mali redderentur artifices, nempè

Virtus comparatur more & conſuetudine.

Ex ſimilibus actionibus ſimiles habitus oriuntur.

absque

absq; doctrinâ. οὕτω δὲ καὶ] E. virtus quoq; actionum frequentia comparatur, & propterea more nititur & consuetudine. Quicunq; ergò iusta & honesta agit crebrius, iustus fit ac honestus: si quis verò in vitiorum gymnasio frequentius se exercuerit, is vitium quoq; contrahat necesse est.

24. Quamvis igitur Natura aptitudinem ad virtutem ingeneret, Doctrina vero actiones dirigat: usus tamen & exercitatio perficit & absolvit. Vnde non parvi, sed magnoperè, adeoq; ad summum refert, utrum benè vel malè iam inde à puero assuescamus. Consuetudo enim altera est natura, quæ si bona fuerit, bonos, elegantes & virtute præditos: si mala, malos, sceleratos, & turpissimis vitiorum generibus conspurcatos efficit. διὸ δεῖ] Itaq; danda est opera, ut actiones nostras diligenter & ad virtutem conformemus. καὶ γὰρ τούτων] Nam ex actionibus pendent habitus Ethici.

Consuetudo & assuefactio multùm potest.

25. Virtutem ergo consuetudine parari, ex ijs quæ iam diximus constat. Quali autem comparetur consuetudine nunc dicendum est. ἐπεὶ οὖν ἡ παροῦσα]

CAP. II.

Cum

Cum verò non contemplandi sed agendi consuetudine acquiratur, ob id, quomodo actiones ad virtutis acquisitionem conferant principiò cognoscendum est. Si enim virtutis consideratio in hoc Philosophiæ genere non cognitionis sed actionis causà suscipitur, quomodo actiones obeantur, diligenter considerandum est. Ex actionibus enim habitum conformari supra est dictum. ἡ παροῦσα πραγματία] Atqui virtutis consideratio hic non cognoscendi sed agendi causa suscipitur. Ea enim quæ ad finem huius Philosophiæ, nempe ad beatitudinem hominis practicam conferunt, hic sunt cognoscenda. οὐδὲν ἂν ἦν ὄφελος] At virtutis non cognitio sed exercitatio & actio ad beatitudinem confert. E. non tàm virtutis cognitio quam eiusdem exercitatio hoc loco expendenda est. Non enim virtutem consideramus, ut ex illius cognitione docti, sed ut ex illius exercitatione boni reddamur. ἀναγκαῖον] Ex quibus consequitur diligenter quoque considerandum esse, quomodo actiones obeantur & exerceantur.

26. τὸ μὲν οὖν καλὸν τὸν ὀρθὸν] Cum itaque

Secundum rectam rationem agere commune est omnibus virtutum actionibus.

taque actiones sint causæ habituum; ut hi boni comparentur, actiones secundum rectæ rationis dictamen nimium & parum declinando sunt instituendæ. Recta enim ratio virtutis omnis regula est, veluti efficiens actionum. Sed hæc fusius explicare, præsentis non est instituti: quia ad sextum librum pertinent, ubi de prudentia agitur quæ rectæ rationis habitus est. Hîc enim satius est, rudem & adumbratam, quam nullam horum habere cognitionem.

Omnis quæ de practicis rebus habetur disputatio rudi formæ constat.

27. ἐκεῖνο δὲ προδιομολογεῖσθω] Namque propter actiones quia singulares sunt, totam quæ de moribus est tractationem inconstantem esse iterum hîc innuit Aristoteles. Cùm enim talis esse debeat demonstratio, qualis est res quæ demonstratur, quemadmodum etiam præcedenti disputatione est ostensum, sequitur omnem, quæ de practicis rebus habetur, disputationem rudi duntaxat forma constare. τὰ δὲ ἐν ταῖς πράξεσι] Nam sive consideres ea quæ ad actiones pertinent, & ad beatitudinem conferunt in universum; nihil certè firmitatis habent & constantiæ, cum nihil simpliciter utile vel expediens dici possit, sed

hoc

hoc vel illo modo, loco, tempore. Quemadmodum etiam ea quæ salubria dicuntur apud Medicos, non omnibus in universum hominibus, sed hac vel illa temperie præditis salubria sunt: τοιοῦδε ὄντος] Sive consideres ea quæ aguntur particulatim; longè adhuc magis videntur incerta esse & instabilia, cum nullà arte seu præceptione comprehendi & dirigi possint, sed singularis observatio, quæ multis modis variare potest, requiratur, ut nempè tempus & occasio observetur; quemadmodum etiam Medici & Gubernatores præter universalia præcepta, quæ habent, multa particularia observare tenentur.

28. Ἀλλὰ καίτοι ὄντος] Cum igitur demonstrativè hæc, quæ ad actionem pertinent, tradere non possimus, saltem probabiliter & per similitudines singula tradentes, huic incommodo subveniamus. Δεῖ γὰρ τοῖς] Exempla enim perspicua, quæque in sensus incurrunt, ad demonstrandum ea, quæ obscura sunt, adhiberi debent.

29. πρῶτον μὲν τοῦτο] Diximus paulò antè actiones secundum rectam rationem esse instituendas, quia illa sit earum veluti causa

Forma virtutis & actionum. ti causa efficiens. Iam verò actionum practicarum & ipsius quoque virtutis formam esse Mediocritatem, ostendemus primùm ex actionibus habitum præcedentibus, quarum mediocritate habitū comparari & conservari bonum, & vicissim ex earundem immoderatione, quæ est in excessu & defectu, habitum bonum corrumpi, malum verò ingenerari & propagari hinc patet: ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἰσχύος] Quemadmodum corporis habitus, robur scilicet & sanitatem, comparari videmus: Ita quoque habitum animi, virtutem scilicet, comparari probabile est: τά τε γὰρ ὑπὸ τοῦ γυμνάζεσθαι] Atqui robur & sanitas immoderatione exercitationum & alimentorum corrumpuntur, moderatione verò eorum generantur, foventur, conservantur. οὕτω καὶ] E. Virtus quoque mediocritate generatur, fovetur, conservatur; sicuti vitia in excessu & defectu posita perniciem virtutibus & interitum minantur. Qui enim fugit & extimescit omnia, nihilque subit ac perfert, timidus evadit: Qui verò nullo planè terretur, sed ad omnia ruit, audax efficitur. Mediocritas autem est, quæ fortes & in genere

Actiones habitum præcedentes.

Arg. à pari.

hone-

honestas reddit actiones, quia omne quod corrumpitur ab extremis, id à medio generatur & conservatur.

30. Ἀλλ' οὐ μόνον αἱ γινόμεναι] Sicuti autem ex actionibus habitus, ita viciſſim ex habitibus promanant actiones, ex eorum ſcilicet mediocritate bonæ, ex immoderatione malæ. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν ἄλλων] Vt enim in iis quæ manifeſta ſunt v. g. in Robore corporis, quod ſenſu deprehenditur, ſe res habet: Ita quoq; ſe res habet in ijs, quæ occulta ſunt, & ſola ratione intelligi poſſunt, in habitibus ſcilicet animi internis. At in robore corporis ita ſe res habet, quod ex robuſto corpore robuſtæ actiones promanent. E. ita quoq; ſe res habebit in animi habitibus. Quemadmodum enim ex cibo & exercitijs robur corporis contrahitur, & qui viribus corporis iam pollent, ac robuſti evaſerunt, multum alimenti aſſumere, & magnos labores citra noxam poſſunt obire: Ita etiam Temperantes reddimur à voluptatibus abſtinendo, & cum Temperantes facti ſumus, ab illis maximè poſſumus abſtinere. Ad eundem quoq; modum fortes reddimur aſſueſcendo illis, quæ terri-

Actiones habitum conſequentes genere eædem ſunt cum actionibus habitum præcedentibus.

ribilia sunt, eaq; constanter ferendo; redditi autem terribilia maximé possumus agere. Ex habitu enim quando volumus, & absq; difficultate agimus.

CAP. III. 31. Σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι] Quando autem virtutis habitum per crebras actiones ex rectæ rationis præscripto profectas simus adepti, id propter naturarum diversitatem in diversis hominibus, quorum alij ad virtutem sunt aptiores quam alii, certo numero comprehendi non potest, quot nempè actiones in singulis hominibus ad habitum requirantur, sed coniecturam capere debemus ex voluptate & dolore, quæ actionum comites sunt & adiuncta. Quando enim cum voluptate quis rectè agit, virtute se præditum esse, exindè cognoscere potest: quando verò adhuc dolet & cum difficultate agit, virtutem nondum adesse certissimum est argumentum. Sic qui corporis voluptatibus abstinendo hac ipsâ abstinentiâ lætatur, hac delectatione aut lætitiâ seu voluptate actiones comitante Temperantiæ habitum subesse indicat. Qui verò tristatur, intemperantiæ subesse habitum haud obscurè ostendit.

Habitus acquisiti actionibus similibus delectantur, non dum acquisiti non delectantur.

32. nisi

32. περὶ ἡδονὰς γὰρ καὶ λύπας] Sed voluptas & dolor non tantum accidentia sunt actionum nostrarum, sed etiam communia obiecta, in quorum moderatione virtus & actio omnis occupatur. Vt enim primus motᵒ est animi affectuum, ita circa obiectum iucundum cum voluptate, circa triste cum dolore versatur: Et sic obiecta sunt habituum & actionum nostrarum. Vt verò in secundo motu recta ratio hunc perturbationis motum moderatur: Ita hanc moderationem nunc voluptas nunc dolor accidentaliter consectantur.

Voluptas & dolor sunt non tantum accidentia, sed etiam cõmunia obiecta habituum & actionum.

33. διὰ μὲν γὰρ ἡδονὴν] Voluptatem igitur & dolorem, obiecta esse communia in quibus Moralis occupatur virtus, multis probari potest argumentis.

I. Quod vitiorum, id quoq; ipsius virtutis est obiectum. Contrarii enim habitus circa idem versantur subiectum. Atqui voluptas & dolor vitiis subijciuntur. Nam propter voluptatem improba agimus propter dolorem ab honestis abstinemus, cum nihil acrius hominis animum invadat, quàm dolor; nihil periculosius, q̃ voluptas. Quare virtutis opera inprimis requiritur,

1. Argum. à contrario habitu.

ne voluptas nos impellat ad dedecus, quod in præsentia suavitatem habet coniunctam, nec molestia obstet laudi atq; virtuti, à quibus difficultas & labor non potest abesse, id quod etiam proverbium ostendit, quo dicuntur καλὰ καὶ ἡδέα seu ἡδέα καὶ καλὰ: sed ut ita voluptas & iucunditas, item molestia & odium animis insint, quemadmodum decet & rectũ est, & quisque oderit ea, quæ odisse debet, amplectaturq; à primâ statim ætate, ut Plato dicebat, quæ sunt amplectenda, atq; hoc pacto vir bonus efficiatur, & καλοκἀγαθὸς, qui perfectè fungitur officio suo; Quod si secus, malus evadet & ἀκρατὴς, qui officium suum negligit delinquendo.

Rebus honestis est gaudendum, turpibus verò dolendum

2. Argum 34. ἅμα δ' αἱ ἀρεταὶ] II. Argum. Actionũ & affectuum nostrorum voluptas & dolor sunt individui comites. At virtutem circa actionem & affectus hominum versari per se manifestum est. E. virtus quoq; circa voluptatem & dolorem versatur, quæ etiam actionibus & affectibus veluti condimenta quædam intermiscentur.

3. Arg. 35 μανύουσι δὲ καὶ] III. Argum. Virtus circa ea versatur, quæ sunt medelæ vitiorum

tiorum. Atqui vitijs mederi solemus voluptate & dolore, quemadmodum legumlatores præmiis & pœnis. Præmiis enim conservantur, foventur virtutes; pœnis autem & dolore curantur vitia; quippe cum omnis curatio fiat per contraria, Similia autem à similibus conserventur. Supplicium autem & dolor sunt vitiositati contraria, quemadmodum præmia virtuti conveniunt vt similia.

36. ἔτι ὧν καὶ κρίνειν] IIII Arg. Quæcunq; animi habitum bonum vel malum reddunt, in ijs præcipue requiritur virtutis opera. Habitus enim ex illorum victoria bonus efficitur, malus verò si ab ijs superetur: At voluptas & dolor animi habitum bonum & malum reddunt, quatenus scilicet affectus commovent, qui vel rationi parent, vel eius imperium antevertunt. ὑπόκειται ἄρα] E. Virtus in voluptatis & doloris moderatione versatur, id quod optimum est, & honestissimum agendo; vitium verò, id quod turpe est designando. 4. Argt.

37. διὸ καὶ ὁρίζονται] In moderatione dixi: quia falsum id esse puto, quod Stoici dicunt τὰς ἀρετὰς ἀπαθείας τινὰς εἶναι, καὶ ἕξεις Stoicorum error

ἀπάθειαν virtutem esse perturbationum vacuitatem, & statum animorum placidum, qui voluptate & dolore non perturbaretur: vitium econtra statum animi turbulentum οὐκ εὖ λέ] Peccant enim in eo, quod absolutè pronunciant, virtutis esse, à voluptate non turbari, nec conditiones à circumstantijs petitas addunt, *Quomodo*, *Quo tempore*, *Quo loco*, *Quantum* oportet à voluptate & dolore abstinere: quòdque existimant animum prorsus nullâ affectione moveri debere, sed planè quiescere; cum tamen multi sint affectus boni, congruentes cum recta ratione; atq; oporteat etiam in cordibus esse lætitiam, mœstitiam, amorem, metum, spem, iram, misericordiam; ut impellant ad expetenda convenientia & fugienda contraria. Si verò aberrant quidam affectus, ij certa ratione ad metas revocandi sunt, quia ratio ostendit, in quibus obiectis appetitiones & affectus resistere debeant. Stoici ergo potius secundum quid affectus tollere debuissent, nimirum quoad illorum summum & intensum gradum, non autem moderatos affectus.

Affectus nõ sunt prorsus tollendi.

Obiect. 38. Non autem virium habet quicquam,

quam, quod obijciunt, virtutem quò perfectior fuerit, eò magis affectum ſuperare, atq; ideò perfectiſſimam funditus tollere affectum, ut nullo modo ſentiatur amplius. Virtus enim affectum non tollit, ſed moderatur duntaxat, & vagantem extra metas ad mediocritatem reducit, quippè cum iraſci, dolere, metuere, & alij affectus natura inſint; ſed nimium vel minus quam oportet, quomodo non oportet, & quando non oportet iraſci, dolere, metuere, & affectibus indulgere naturâ non inſint, & propterea quoq; ad mediocritatem reduci poſſint. *Solut.*

39. Neq; etiam verum eſt, affectus & virtutes eſſe contraria, ut propterea ſequi ſit neceſſe, ſi virtutes ſint in aliquo, in eodem nullum poſſe affectum conſiſtere, cum contraria ſimul in eodem ſubiecto non ſubſiſtant. Namq; ſi virtus & affectus contraria eſſent, in eodem quoq; genere collocarentur; quod tamen fieri non debere, cuivis eſt notiſſimum, cum virtus ad primam, affectus ad tertiam qualitatis ſpeciem pertineant. Quod autem nonnulli affectus pugnent cum recta ratione, atq; ideo virtu- *Alia obiect.* *Solut.* ἔνεκσις

tibus adversari videantur, id fieri per accidens affirmamus. Non enim affectus, sed pravitas in ijs, quæ per accidens accessit, cum ratione pugnat & virtuti adversatur. Virtutis autem est, recta ratione affectus temperare.

Alia obiect. 40. Eodem quoq; modo ad illud respondebimus argumentum, quo aiunt sanitatem corporis omnem eius tollere morbum, atq; ideo sanitatem animi, quæ virtus est, omne πάθος seu omnem affectum removere, ne in operatione

Respons. impediatur. Removet enim virtus, quod improbum est & pravum in affectibus, à quo eius actio impeditur, non ipsos affectus, sine quibus nec Fortitudo, nec Temperantia, nec Mansuetudo, nec aliæ virtutes esse possunt. Illum affectum, qui in timido existit, & illum qui est in audace, ita moderatur Fortitudo, ut eum ad medium revocet. Sic in aliis quoq; virtutibus fieri solet.

41. Omitto iam reliqua argumenta, quibus Stoici ad opinionis suæ satis absurdæ utuntur defensionem: quia ex ijs quæ iam dicta sunt, sine ullo negotio refutari possunt. Sufficit hoc loco demonstrasse, quod virtus in moderatio-

ac affectuum, quorum individui comites sunt voluptas & dolor, sit occupata. V. Argc.

42. γίνοιτο δ' ἄν] Sed voluptatem & dolorem subiecta esse virtutis, etiam ex eorum divisione, quæ expetenda sunt & fugienda, ostendi potest. Vir enim bonus rectè agendo circa ea versatur, quæ expetenda sunt, & fugienda, quemadmodum vitium circa eadem versatur malè agendo. At voluptas & dolor ex eorum numero sunt, quæ sequimur & fugimus. *Expetenda* enim sunt bona, primariò quidem & per se animi bona ut Honestum; secundariò & propter aliud, nempe propter virtutem, quam promovent, comitantur, ornant, instruunt, illa quæ vel interius in anima residunt, ut iucundum; vel exterius circumstant hominem, veluti instrumenta & organa, ut utile. *Fugienda* autem sunt mala, primario turpe & inhonestum, secundario, quia turpitudinem promovent, honestatem impediunt interius Molestum, Triste; exterius Inutile. Vir igitur bonus & malus circa voluptatem & dolorem occupatur.

43. μάλιστα δὲ περὶ τῶν ἡδονῶν] Quod verò virtus, adeoq; philosophia politica inter

ter

ter omnes res expetendas & fugiendas maximè circa voluptatem versetur, hinc liquet: Inter ea, quæ expetenda sunt & fugienda, circa id maximè versatur virtus & Ethica philosophia, quod communissimum est: At voluptas longè communior est, quam honestas & utilitas, quia homini cum brutis est communis, & per se sola sæpe expetitur, nulla honesti aut utilis ratione habita: & quia, quicquid honestum est, quicquid utile, id quoq; iucundum videtur, non vero quicquid alicui iucundum, id statim honestum est, & utile. Præterea, quia & pueri voluptati assuescunt, & adulti facti actiones ferè omnes voluptatis ac doloris regula dirigunt, alij magis, alij minus. διὰ τοῦτ' ἀνάγκη] E. circa voluptatem & dolorem cùm virtus, tùm philosophia Ethica, quæ de virtute tractat, maximè versatur. Non enim parum momenti ad actiones adfert rectè aut perperam lætari vel dolere.

Philosophia Ethica maximè circa voluptatẽ versatur.

44. ἔτι δὲ χαλεπώτερον] Sed ideò quoque virtus maximè circa voluptatem versatur, quia difficillima est superatu. Circa id verò quod difficilimum est, ars & virtus præcipuè versatur. Nam in difficili-

in difficilibus ſplendor, & excellentia habitus elucet & clarius perſpicitur, quàm in ijs quæ facilia ſunt. At cum voluptate pugnare multo difficilius eſt, quàm cum ira, quippe cum illa quàm hæc plures habeat partes ad invadendum hominem. Quamvis enim ira forte potentior hoſtis ſit, & vehementior, atq; ideò propter illos vehementiores motus illi difficilius reſiſtatur: cum verò voluptas plures habeat invadendi partes, 1 quia nos latenter invadit; ſiquidem bonum ſemper pollicetur, & ſub ſpecie boni nos decipit. 2 quia maximam habet occaſionem invadendi & ſemper adſiſtit, quandoquidem nobiſcum nata eſt & enutrita, 3 quia maximè familiaris eſt naturæ noſtræ, atq; ideò ſemper occaſionem habet nobis inſidiandi; Indè ſequitur abſolutè difficilius eſſe cum voluptate pugnare, quam cum irâ. Hæc enim aperta eſt, illa verò callida & inſidioſa. ὥςε καὶ διὰ τοῦτο] E. circa voluptatem virtus præcipuè verſatur & per conſequens etiam politica Philoſophia. Nam qui circa voluptatem recte ſe gerit vir bonus erit: qui ſecus, erit improbus.

Difficilius eſt reſiſtere voluptati, quam iræ.

ἀνακεφαλαίωσις huius & præcedentis capitis.

45. Ἔτι μὲν οὖν ὑποκείμενον] Hactenus ostensum est materiam subiectam virtutis & actionum politicarum esse voluptatem & dolorem; formam verò actionum, ἐξ ὧν γίνεται, tum earum quæ virtutis habitum præcedunt, ἐξ ὧν γίνεται tum earum quæ virtutis habitū sequuntur, esse mediocritatem, atq; ita causas actionum & habituū easdem esse demonstratum est: nunc quæstionem ex superioribus ortam dissolvemus, An scilicet rectè dictum sit, iustè agendo iustos effici.

CAP. IV. obiectio.

46. ἀπορήσαι δ' ἄν τις] Dubitari enim ea de re potest in hunc modum: Quemadmodum se res habet in artibus, ita quoq; in virtutibus rem se habere veri simile est. Conveniunt enim in eodem genere habituum animi. At in artibus opera artis ab habitu proficiscì, & eundem declarare videntur. Nam qui Grammaticum quid præstat aut Musicum, is Grammaticus sit & Musicus h.e. Grammaticæ & musicæ habitum possideat necesse est. E. etiam in virtutibus actiones ab habitu interno proficiscuntur, non autem habitus ab actionibus ingenerantur. Nam qui iustas actiones obeunt, iam sint iusti necesse est,

nec

nec tum primùm iustitiæ habitum acquirunt.

47. ἢ οὐδὲ ἐπὶ τῶν τεχνῶν] Ad hanc obiectionem primùm respondemus per inficiationem. Negamus enim minorem. Nam Grammaticus statim non est, qui Grammaticum opus edit, siquidem hoc vel fortuitò fieri potest, ut si quis fortè linguæ Latinæ imperitus Latina quædam verba proferat, quod in Melancholicis interdum videmus lingua sibi ignota loquentibus; vel ex præscripto & suggestone aliorum, quemadmodum psittacus etiam suum χαῖρε promit. Grammaticus vero is tantum dicitur, qui Grammaticè loqui potest & rationem adferre, cur ita & non aliter loquatur vel scribat. *1. Respons.*

48. Εἰ οὐδὲ ὅμοιον] Deindè respondemus etiam ad maiorem per distinctionem, quod dissimilis sit ratio virtutum & artium. Nam artium opera perfectionem in seipsis habent, nec refert, quo habitu is, qui ea dèsignat, præditus sit. Sic calceus, domus, & alia artificum opera laudantur, etiamsi plerumq; ignoretur, quinam eorum fuerint artifices. At virtutum actiones in seipsis non habent *2. Respons.* *Dissimilis est artium & virtutũ ratio.*

Tres conditiones habitus virtutis.

bent perfectionem, sed eam mutuantur ab ipso agente, si nempè certo habitu instructus agat. Huius autem habitus tres sunt conditiones, Scire, velle, & posse agere. Itaque qui ex habitu agit, primum agat sciens necesse est. Nam fieri potest, vt quis iusta agat per ignorantiam; deindè vt προαιρούμενος volens certoque consilio agat, nempè non alio fine, quàm quia honestum sit ita agere. Tertiò vt constanter agat, quod potentiam in hoc habitu permanendi supponit. ταυτα δ'] Iam verò ex his tribus conditionibus, prima duntaxat ad artium opera scitè absolvenda est necessaria, nempè ut scientiam habeat eius artis, quam exercere cupit: Reliquæ verò, vt constantia voluntatis & electio actionis ad possessionem perfectionemq; artis non conferunt. Sed ad virtutis habitú comparandum scientia minimum confert, electio verò & constantia non parvam vim habent, sed multo maximam atq; adeò omnem. Nam qui eligit iustè agere, & in ea voluntate perstat, iustus appellari potest ac debet. Virtus enim crebris actionibus comparatur.

49. Ita

49. Τὰ μὲν οὖν πράγματα] Quæcunq; igitur actiones hoc modo non aguntur, (quales certè omnes illæ sunt, quas ante habitum edimus) etsi iustæ quodammodo dici possunt: Non tamen is, qui eas agit, ex ipsis iusti nomen promeretur, sed qui iusta vel temperantia edit opera iustè & temperanter, hoc est, tribus illis conditionibus, quibus iustos & teperantes, & in universum omnes eos, qui habitum virtutis possident, instructos esse debere diximus, concurrentibus, ille iustus & temperans est dicendus. Commune igitur quidem est iusto & non iusto iusta opera facere, sed iustè agere non nisi eius est, qui iustitiæ habitum possidet. ἓν οὖν λέγετ] Rectè ergò à nobis dictum est, ex similibus actionibus similes quoq; habitus comparari. Etenim bona & honesta agentes, viri boni efficiuntur, boniq; effecti non solum bona & recta, verumetiam benè & rectè agere possunt.

καταφατικῶς vera sententia ex præmissis explicatur.

50. Ἀλλ' οἱ πολλοὶ] Itaq; non sunt probandi, qui se probos & præclarè philosophari putant, si virtutis laudem atq; decus in disputationibus acutis & subtilibus de virtute collocent, licet vitam

Qui Curios simulant et Bacchanalia viuunt.

ſuam ſecundum eam non inſtituant, perſimiles namq́; videntur ægrotantibus, qui Medicos libenter atq́; attentè audiunt quidem, ſed nihil faciunt eorum, quæ præſcripta ſunt. Ideoq́; in utrisq́; ſanitas, ſi in hoc perſeverent, eſt deſperanda, in his, corporis, Medicinam non uſurpantibus, in illis, animi, philoſophantibus oratione.

CAP. V.

Sequitur Theoria virtutis, definitiuo inſtrumento explicanda.

51. Quæ ad virtutis praxin ſeu exercitationem pertinent, per quam ſcilicet virtus acquiritur, & acquiſita confirmatur, vnde viri boni ſunt & eſſe dicuntur, iam expedivimus. Sequitur de ipſius Theoria ſeu cognitione, ex qua non quidem viri boni ſed docti Philoſophi ſeu politici nomen trahunt, agamus, definitionem ſcilicet ipſius primùm inueſtigando, deinde ſingulas eius partes explicando.

Virtus aut affectus eſt, aut potentia, aut habitus.

52. Μετὰ δὲ ταῦτα] Genus autem virtutis eſſe ἕξιν ſic probamus: Cum virtus Ethica animi virtus ſit non corporis, atq; adeò animo ingeneretur aſſuefactione & conſuetudine, vnum ex his tribus, quæ ſunt in hominis animo, erit, nempè aut affectus ſeu perturbatio, aut potentia, aut habitus. Refertur enim ad

Catego-

Categoriam qualitatis, cuius quatuor genera siue species vulgò recitari solent. Quarta autem, utputa Figura seu Forma huc non pertinet, quia est corporeorum tantum. Relinquuntur igitur tres species.

53. πάθη μὲν οὖν οὐκ εἶναι] Manifestum verò est virtutem affectum dici non posse, 1. quia ex affectu neq; boni neq; mali esse dicimur. 2. quia ex affectu nec laudamur nec vituperamur. Non enim qui timet vituperatur, qui non timet laudatur, sed quomodo, quando, vbi & quantum oportet vel non oportet. 3. quia affectus seu perturbatio nullam electionem habet. Primus enim motus est sine consilio, sine electione. 4. quia perturbationibus mouemur. In primo enim motu statim animus mouetur ab obiectis externis. Iam verò ex virtutibus & vitijs 1. boni & mali dicimur, 2. laudamur & vituperamur. 3. & virtus consilium habet & electionem, 4. nec movemur virtutibus, sed quodam modo conformamur, ut possimus pro libitu operari & agere. In virtutum enim actione etsi obiecta externa concurrunt, non tamen ab illis vir bonus absolutè

Sed non est affectus.

lutè movetur, quemadmodum in affectibus, sed quantum recta ratio dictitat.

Neq; est potentia.

54. Διὰ ταῦτα δὲ] Iisdem pænè rationibus etiam patet, quod virtus non sit potentia, atque ob id ad secundam qualitatis speciem non pertineat, quia ex potentia nec boni dicimur nec mali, neq; laudamur neq; vituperamur. Deindè potentiæ nobis insunt naturâ. At virtus (ut antea probatum est) naturâ nobis non ineſt, sed industria, consuetudine & assuefactione acquiritur.

E. virtus est habitus,

55. εἰ οὖν μήτε πάθη] Cum igitur virtus nec affectus sit, nec potentia, relinquitur, quod sit habitus, atq; ad primam qualitatis speciem pertineat, ad quam etiam pertinet διάθεσις seu disposition. Nam qui habet id quod majus est & perfectius, habebit quoq; id, quod minus est & imperfectius, sine quo perfectius esse non potuit. Hinc fit, ut passim Aristoteles voce διαθέσεως utatur pro ἕξεως, cum διάθεσις sit via quædam ad ἕξιν.

CAP. VI.

Differentia virtutis est investiganda

56. Δεῖ δὲ μὴ μόνον] Sed nunc differentia virtutis est inquirenda. Non enim satis est dicere, virtutem esse ἕξιν seu habi-

habitum, sed ostendendum qualis sit habitus, bonusne an malus. Quod autem virtus bonus sit habitus ita probatur: Quicunq; habitus bonos reddit, ipse quoq; bonus sit necesse est. Atqui virtus Ethica bonos reddit. Si enim omnis virtus, id cuius est virtus, bene affectum reddit, & opus eius expolit & ornat; Ethica quoq; virtus & hominem, cui inest, & opus hominis bonum reddet. Sed verum prius. Nam virtus oculi cùm oculum ipsum probum efficit, tùm aptum ad munus suum explendum. Ita virtus equi est strenua & agilis celeritas, ipsumq; equum reddit σπουδαῖον, atq; ad currendum, equitemq; vehendum & hostes expectandos expeditum ac paratum. E. verum quoq; est posterius. Cum igitur virtus Ethica & hominem cui inest, & opus eius bonum reddat, erit utiq; bonus habitus. *Virtus est habitus bonus.*

57. πῶς δὲ τοῦτ' ἔστι] Sed quomodo τὸ διότι, seu propter quas causas bonus sit habitus, cùm jam antè diximus, ubi virtutem recta ratione niti asseruimus, tùm etiam magis perspicuum esse poterit, si qualis sit virtutis natura, quæq; eius forma, propter quam virtus est & esse dicitur, considerabimus. *cum virtus sit habitus bonus.*

85. ἐμ

Mediocritas est forma virtutis.

58. ἐρ πᾶν]ὶ δὴ σωιχᾶ] Naturam autem seu Formam virtutis esse Mediocritatem, patet ex eo, quod omnis actio quæ habitum præcedit & sequitur, si medium obseruet, bona sit, si ab ea recedat per excessum & defectum, mala

2. Argum.

judicetur. Cæterum omnis actio continua est & diuidua, quatenus magis atq; minus recipit. Vbi verò continuum est & diuiduum, ibi datur æquale quid & inæquale secundum plus & minus, κὰ τωῦτα] idq; vel respectu rei, cuius partes æquales inter se sunt, vel respectu personarum, quibus partes istæ accommodantur, vt si puero pondus decem librarum imponatur, juveni verò pondus 60 librarum, æqualia dicentur gestare pondera. τὸ δ' ἴσον] Porro ubi æquale est & inæquale, ibi quoq; datur medium inter duo inæqualia, excessum nempe & defectum. λέγω δ']οῦ μὲν πράγματο]

Mediū est duplex, Medium Arithmeticum, Medium Geometricum.

Medium autem duplex est, alterum rei, quod æqualiter ab utroq; abest extremo, semper idem, nunquam aliud, vt 2. 6. 10. Alterum personarum seu respectu nostri, quod nec transit modum in excessu neq; deserit in defectu, & personis, tempori, locis & similibus accommodatur,

vbi

vbi non in excessu, sed in excedendi ratione æqualitas seruatur, vt in his numeris 2. 4. 8. Hìc excessus quidem sùt diversi, quaternarius enim superat binarium duobus: & ab octonario superatur quatuor: sed excedendi ratio eadem utrobiq;, dupla scilicet. Hoc medium Geometricum appellant, prius verò Arithmeticum vocant. Iam verò medium amplectendum est, extrema verò tanquam inæqualia & mala sunt fugienda. οὕτω δὴ πᾶς ἐπιστήμων] E. in omni etiã actione vir prudens & intelligens medium amplectetur, excessum verò & defectum fugiet, Medium inquam non Rei sed personarum sive quoad nos.

59. Ει δὴ πᾶσα ἐπιστήμη] Si enim omnes artes & disciplinæ tùm suã cõsequuntur perfectionem, cum opera sua ad mediocritatem referunt, & si virtus omni arte perfectior est & limatior, multò magis ipsa virtus medium veluti scopum sectabitur. διὸ καὶ φιλοῦσιν] Sed omnes artes perfectionem suam consequi, quando ad mediocritatem opera sua referunt, testatur usitata loquendi consuetudo, qua dicitur nihil illis neq; addi neq; detrahi posse, & ipsi quoq; artifices con-

2. *Argum. Virtus Ethica medium habet propositum.*

confirmant, qui medium collineant, extrema fugiunt. ἡ δὲ ἀρετὴ] Et virtutem quoq; omni arte perfectiorem esse & limatiorem ostendit effectus melior, quia virtus virum absolutè bonum facit, & opus edit homini, vt homo est, conuenientissimum: Ars verò non facit virum bonum, sed peritum duntaxat artificem, neq; opus edit homini, ut homo est, conueniens. Ergò quia virtus omni arte præstantior est, maximè erit mediocritatis studiosa.

3. Argum. 60. λέγω δὲ τὰς ἠθικὰς] Porrò in affectibus & actionibus reperiuntur extrema duo, item & medium. Atqui virtutem Ethicam, de qua nunc agimus, circa perturbationes & actiones versari supra dictum est. E. virtus Ethica circa extrema quoq; & medium versabitur, illa quidem corrigendo, hoc verò amplectendo.

4. Argum. 61. ἡ δὲ ἀρετὴ] Præterea laudari & rectè agere virtuti propriè conuenit. At in affectibus & actionibus medium sequi & rectè agere laudem meretur, sicuti id, quod moderatione caret, & vel plus vel minus est, grauiter reprehenditur. E. in affectibus & actionibus medium se-

um ſequi & rectè agere virtutis eſt, extrema verò ſequi eſt vitiorum.

62. Ἐτι τὸ μὲν ἁμαρτάνειν] Deniq; errare multis modis poſſumus, rectè autem agere uno tantum modo, quippe malum ex Pytagoreorum ſententia infinitum, Bonum verò finitum & vnum ponitur quaſi centrum. Idcircò facilimum eſt à ſcopo ſive centro aberrare, ſed idem attingere difficillimum. Iam verò vitiorum eſt errare, ſed virtutis rectè agere. E. vitiorum plures ſunt modi, alter in exceſſu, alter in defectu, virtutis verò unicus in medio conſiſtens. Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, πανταχοῦ δὲ κακοί. *5. Argum.*

63. Ἐστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ] Eſt igitur Virtus Moralis nihil aliud quam ἕξις προαιρετικὴ habitus non temerè ſed certo conſilio ſuſcept⁹, (hoc genus etiã vitijs eſt commune) ἐν μεσότητι οὖσα πρὸς ἡμᾶς, in ea mediocritate conſiſtens, quæ ad nos comparatur; (hac differentia à cauſa formali ſumta differt à vitijs, quæ in extremis conſiſtunt) ὡρισμένη λόγῳ, quæq; ratione eſt definita, (ſic differt ab affectuum natiua mediocritate) καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν, atq; ut vir prudens definiret *Ex præcedentibus collecta virtutis definitio.*

niret (hæc differentia additur, quod rectam rationem, à qua aliàs omnes humanæ actiones proveniunt, in theorica simul & practica vitâ, hic non theoricam, neq; factivam, sed practicam, quæ reperitur in prudentibus, accipere debeamus.)

Dissolutio definitionis

64. Μεσότης δὲ δύο κακιῶν] Huius definitionis singulas partes vt explicemus, primò differentiam virtutis à causa formali sumtâ, nempe Mediocritatis naturam simul & accidentia considerabimꝰ, quia secundum illam virtus maximè est virtus. Quatenus ergo virtus considératur formaliter, sic quoad eius essentiam ἐν μεσότητι versari & μεσότης esse dicitur. Nam si perpendatur virtutum habitus, is certè mediocritas est inter duo vitia, quorum alterum in excessu, alterum in defectu; si verò perpendatur earum exercitatio siue ἐνέργεια, ita virtus στοχαστικὴ seu coniectatrix medij est, & mediocritatem in affectibus & actionibus amplectitur. Sed quoad suam perfectionem virtus dicitur esse ἀκρότης seu extremum & opponitur vitijs tanquam bonum malò, perfectũ imperfecto, quæ cũ longissimo intervallo inter se distét, extremè contraria dicuntur.

Primo loco μεσότης generatim explicatur.

65. οὐ

65. οὐ πᾶσαι δ' ἐπιδέχεται] Quatenus verò materialiter h. e. respectu subiectarum actionum & perturbationum consideratur virtus; sic cum mediocritas sit & mediocritatis parens, circa eas duntaxat versatur actiones & perturbationes, quæ mediocritatem admittunt, quemadmodum etiam Medici ijs duntaxat morbis medicinam adhibent, qui curabiles sunt, incurabiles verò non attingunt. Mediocritatem igitur laudabilem recipere possunt, quæ per se mala non sunt, sed respectu circumstantiarum vel rectè vel non rectè fieri dicuntur. *Virtus circa ea versatur, quæ per se mala non sunt.*

66. Ἔνια γὰρ εὐθὺς] Quædam verò sunt, quæ ipso nomine vitium præ se ferunt, & nec excessus nec defectus ratione, sed suâ naturâ mala sunt, quomodocunq; sumantur: ut ex affectibus Malevolentia, Invidia, Impudentia, item ex actionibus Furtum, Adulterium, Homicidium. Quod autem illa mediocritatem non admittant, ratiocinatione gemina ostendi potest. πάντα γὰρ ταῦτα] 1. Rat. Quæ non possunt ullo vel modo vel tempore fieri, ut se benè habeant, ea certè mediocritatis capacia non sunt. At prædictæ actiones & perturbationes quomo- *Quidam affectus & quædam actiones mediocritatis capaces non sunt.*

quomodocunq; fiant, nullo modo neq; ullo unquam tempore bonæ esse possunt, quia simpliciter & absolutè ac per se malæ sunt, non ratione sui excessus & defectus, neq; respectu circumstantium personarum, loci, temporis, modi &c. E. prædictæ actiones & perturbationes mediocritatis nunquam possunt esse capaces.

2. Rat.

67. ὅμοιον οὖν ἡ ἀξιοῦν] 2. Rat. Si in prædictis malis actionibus & perturbationibus medium ineſt, inerit quoq; medium in aliis quibusuis vitiosis actionib⁹, vt in faciendo iniuriam, intemperanter vivendo, ignauam vitam sectando & similibus. Nam eorum quæ generis eiusdem sunt, respectu eius generis eadem est ratio. At in vitiosis reliquis actionibus medium non ineſt. ἴσως γὰρ] Quia si in iniuria & timiditate & intemperantia medium daretur, daretur in ipso excessu & defectu medium, itemq; plus & minus, & sic fieret excessionis excessus, & defectionis defectio. ὅλως γὰρ] At excessus & defectus non admittit medium, neq; medium admittit excessum & defectum. Quoniam extrema inter se contraria commiscerì nequeunt. Virtus autem

autem & vitiositas sunt contraria extrema. E. cum virtus & vitiositas, quæ est vel excessus vel defectus, inter se commisceri nequeant; neq; in iniuria, in intemperantia & timiditate, neq; in prædictis actionibus & perturbationibus medium inerit.

68. Δεῖ δὲ τοῦτο] Mediocritatis naturam in genere explicuimus, & virtutem in mediocritate consistere in universum & confusè diximus: Nunc verò hoc ipsum ad singulas eius formas seu species adaptare oportet. Generalis enim tractatio particulari tractatione confirmanda est & illustranda. Nam in hoc Philosophiæ genere orationem vniuersalem minus certam esse & evidentem, quàm est particularis, hinc patet: Περὶ γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα] Omnis oratio Ethica, quò actionibus est similior, eò certior est atq; evidentior. At singularis oratio Ethica actionibus similior est & accommodatior. E. singularis oratio Ethica certior est atq; verior.

CAP. VII. Vniversalis oratio minus certa, singulari certiore & veriore confirmanda est.

69. Λεπτέον οὖν ταῦτα] Vt autem in singulis virtutibus idipsum, quod nempè in mediocritate consistant, eò commodius ostendamus, eas primùm in duo genera

Virtutum series & distributio.

genera tribuemus. Aut enim absolutè considerantur, quatenꝰ ipsum possidentem perficiunt, aut relatiuè, quatenꝰ referuntur ad alios suum cuiq; tribuendo.

Virtutes absolutè considerata.

Absolutè consideratæ virtutes non tàm pro obiecti varietate quàm pro eo motu, quem obiecta nempe animo, corporis & fortunæ bona animi imprimunt variæ sunt. Nam quatenus homo impressionem illorum recipiens agit, & ad præclaras actiones ab obiectis istis vel incitatur confidendo, vel deterretur formidando, Fortitudo existit. Quatenus verò impressionem illorum recipiens patitur, reliquæ existunt virtutes, ex quibus Temperantia versatur circa ea, quæ in animo iucunditatem vel tristitiam excitant, & insunt homini, nempe circa voluptatem & dolorem corporis. Circa ea verò quæ in animo iucunditatem vel tristitiam excitant, & homini non insunt, sed eam circumstant, & bona malaq; externa dicuntur, quæ sunt vitæ humanæ vel instrumenta & adiumenta, vel ornamenta, circa illa inquam v. g. circa diuitias & opes Liberalitas & Magnificentia; Circa hæc nempè circa honores, dignitates, & Magistra-

Magistratus, Magnanimitas & Modestia mediocritates sunt. In quotidiana vita autem, quatenus conversamur cum aliis, quædam virtus versatur circa δυσκοινωνησία, quę conversationem possunt labefactare, vt sunt Ira, Odium, Dissensio, Rixa, circa illa inquam versatur Mansuetudo. Quædam verò virtutes versantur circa εὐκοινωνησία, quæ conversationem conciliant, fovent & conservant, vt Veritas & candor in dictis & factis, Vrbanitas, quæ in otio, & Humanitas, quæ in negotio suauitatem ac iucunditatem spectat. Relativè autem considerata virtus est iustitia. *Virtus relativè considerata.*

70. περὶ μὲν οὖν φόβους] Fortitudo igitur circa ea bona malaq; animi, corporis, & fortunæ versatur, quæ confidentiam aut timorem in animo excitare possunt, & præcipuè moderatur metum & fiduciam circa mortis pericula in bello, atque ita mediocritas est inter audaciam tanquam excessum, & timiditatem tanquam defectum. *Fortitudo.*

71. περὶ ἡδονὰς] Temperantia ut diximus versatur circa voluptatem & dolorem corporis, communem scilicet nobis cum beluis, quatenus animum per- *Temperantia.*

turbare & lætitiæ vel tristitiæ motu in eo excitare potest. Estq; virtus hæc mediocritas inter Intemperantiam, quæ est excessus, & ἀναισθησίαν seu stupiditatem, quæ est defectus.

Circa divitias versantur

72. περὶ δὲ δόσιν] Cum varia bona malaq; externa circumstent homine. Quædam enim objiciuntur vt instrumenta & adiumenta vitæ v.g. diuitiæ & opes. Circa has easq; mediocres versatur Liberalitas, q est mediocritas inter excessum nempe ἀσωτίαν seu profusionem, & defectum ἀνελευθερίαν seu auaritiam. Circa easdem vero sed magnas versatur μεγαλοπρέπεια Magnificentia, quæ medium tenet inter ἀπειροκαλίαν & βαναυσίαν excessu, & μικροπρέπειαν defectum

Liberalitas

Magnificentia.

Circa honores versantur

73. περὶ δὲ τιμὴν] Ad eundem quoque modum circa bona malaq; externa, quæ objiciuntur animo vt ornamenta, v. g. honores, dignitates, magistratus duæ versantur virtutes, quæ duntaxat respectu quantitatis distinguuntur. Nam circa honores magnos Mediocritas est μεγαλοψυχία Magnanimitas inter excessum χαυνότητα, seu superbiam, & defectum μικροψυχίαν. Circa paruos honores virtus quædam nomine carens, quæ à magnanimi-

Magnanimitas.

Modestia.

nimitate differt, vt liberalitas à magnificentia, & σαφηνειας ἕνεκεν appellari potest Modestia, mediocritas est inter excessum Ambitionem, & defectũ Nimium honoris contemtum. Quia verò hoc medium nomine proprio caret, ideò extrema de medio tanquam loco vacuo certant, & tùm is, qui ultra quam oportet, tùm alter, qui minus quam oportet honores amplectitur, medium se tueri asserit, καὶ ἡμεῖς δὲ ἐσὶ] quemadmodum etiam nonnulli extremorum nominibus abutuntur, ad medium habitum designandum, nunc φιλότιμον, nunc ἀφιλότιμον laudantes. Sed huius rei causam lib. 4. explicabimus.

74. ἔσι δὲ καὶ περὶ ὀργὴν] Etsi autem homo etiam conuersationis est studiosus, interdum tamen ei occurrunt quædam, quæ conversationem possunt labefactare, corrumpere & tollere. Circa ea igitur, quæ δυσκοινώνητα sunt, & conversationi contraria ac inimica, virtus quædam quæ etiam nomine caret, sed docendi causa Mansuetudo appellari potest medio critas est inter iracundiam excessum, & ἀοργησίαν seu lentitudinem defectum.

Viriutes ὁμιλιτικαὶ.

Mansuetudo.

75. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι] Sunt verò etiam tres aliæ virtutes ὁμιλιῶναι, quæ inter se conveniunt, quod in conversatione obiecta habent ἐυκοινώνητα h. e. ad sermonum & actionum communionem per se facientia: Sed differunt ex obiectorum diversitate. Nam quatenus conversationem humanam fovet veritas reiecta omni simulatione, medium est, quod caret quidem etiam proprio nomine, sed appellari potest Veritas seu candor, seu Integritas. Extrema sunt in excessu, ἀλαζονία arrogantia, in defectu εἰρωνεία dissimulatio. Quatenus verò conversationem conciliat, fouet & conseruat jucunditas, Medium est in otio quidem εὐτραπελία seu vrbanitas inter excessum βωμολοχίαν & defectum Rusticitatem: in negotio verò & rebus serijs, Popularitas, affabilitas seu humanitas, in qua excedens, siquidem absq; causa, ἄρεσκος, si emolumenti sui causa κόλαξ: at qui deficit & in omnibus inhumanus est δύσερις καὶ δύσκολος: cui nisi quod ipse facit, nihil placeat, appellatur.

Veritas seu Integritas.

Vrbanitas.

Humanitas

Affectuum mediocritas quate-

76. εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς πάθεσι] Sed & in affectibus quibusdam medium datur, & extrema, quatenus natura duce etiam in primis

linquimus. E. illa quoq; vitia, ad quæ naturâ proclives sumus, virtuti maximè sunt contraria. Proinde in illis fugiendis virtutis excellentia spectatur.

CAP. IX. *Medium invenire in omnibus rebus difficile est & arduum.*

84. Primum accidens mediocritatis iam expediuimus, Restat adhuc alterum accidens, quatenus nimirum mediocritati ex sui natura accidit, vt difficulter acquiratur. ἐν ἑκάστῳ γάρ] Namq; medium in quavis arte & exercitatione invenire admodum difficile est, v. g. centrum in circulo invenire non cuiusvis est, sed docti duntaxat Mathematici. ἔστι μὲν οὖν] At virtus est medium. διὸ καὶ ἔργον] E. virtute præditum esse difficile est atq; operosum. Irasci enim & pecunias dare facilè quidem est; sed quantum, quo modo, quando, cui, admodum difficile est, atq; hoc ipsum est, quod absolutum & perfectum vocamus, & rarum & laudabile & honestum. Tritissimum enim sermone est proverbium χαλεπὰ τὰ καλά.

Difficultas superanda labore est.

85. διὸ δεῖ τὸν συντείνοντα] Vt igitur hanc difficultatem superemus, tribus præceptis nos oportet esse instructos. πρῶτον] Primum igitur ab eo extremo, quod medio seu virtuti maxime con-

2. Præcept. Quod medio maximè contrarium est, fugiendū.

trarium est, recedendum est, & ad illud declinandum, quod medio est propinquius. Sic Vlysses monebat gubernatorem navis, vt Charybdin periculosissimam fugiens ad scopulum minus periculosum navim appellat.

2. Præcept. In contrariam partē abstrahere nos oportet.

86. σκοπεῖν δ' ἐν] Deinde explorandum est, ad quod extremum seu vitium quisq; naturâ sit maximè proclivis, quod ex voluptate & molestia, quam ex vitiosis actionibus percipit, facilè cognoscet, atq; tum adversus illam suâ propensionem seu inclinationem niti, & se ipsum in contrariam partem abstrahere debet. Et quemadmodum illi faciunt, qui contorta ligna in rectum dirigunt, & sæpe in contrariam partem vltra mediocritatis terminum flectunt, qua quidem flexione immoderatâ tandem dirigi solent: Ita nos à naturâ ad aliquod vitium propensi animos ad rectum, id est in contraria vitia ad medium sensim flectere & reuocare debemus.

87. ἐν παντὶ δὲ μάλιστα] Et quia omnes à labore procliues sumus ad libidinem, ipsa certè voluptas, quæ singulis horis ac mo-

ac momentis occasionem nobis insidiandi quærit, semper & ubiq; nobis suspecta esse debet, quoniam blanda & insidiosa domina suis illecebris facilime nobis imponit, vt de illa incorrupte & sinceriter iudicare non possimus. Vt igitur Consiliarij sive seniores illi Troiani apud Homerum Iliad. γ. de Helena judicarunt; ita & nos erga Voluptatem affectos crebro eorum vti sermonibus decet: Quamvis sis pulchra, quamvis sis jucunda, nihilominus tamen te ablegabimus potius, quam vt turpitudinis periculum propter te subeamus, Hac ratione vtentes facilè poterimus Cyrcem & Syrenem fugere.

3. *Præcept. Insidiosa voluptas semper suspecta est habenda.*

88. Χαλεπὸν δ' ἴσως] Sed etiamsi tribus istis præceptis instructi simus: nihilominus tamen magna adhuc erit difficultas, propter actionum particularium varietatem, de quibus nec præcepta dari possunt, nec judicia hominum eadem sunt, cum bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo sepe vocetur, & regum Tyrannis severitas, parentum nimia indulgentia

Obiectio. præcepta ea iudicia.

gentia in liberos amor nuncupetur.

Responsio. Ἀλλ' ὁ μὲν μικρὸν] At enimvero, quod ad hominum judicia attinet, quamvis sint,

Judicia hominum qui nimium errent, pleriq; tamen in hoc ferè conveniunt, quod eos, qui à medio parum recedunt, non vituperẽt, eos verò, qui plurimum recedunt, ita vt illorum errata in oculos atq; mentes hominum vehementer incurrant, uituperio dignos censeant. ὁ δὲ μέχρι τίνος]

Præcepta singillatim non possunt dari, Ad præcepta autem quantum spectat, fatendum quidem est, quod singularia, cuiusmodi sunt actiones virtutum, ratione & oratione explicare difficile sit; Sensibilia enim non ratione sed sensu apprehenduntur. At singularia sunt sensibilia. E. singularia, & propterea etiam actiones virtutum non ratione

sed vniuersim possunt. sed sensu potius cognoscuntur. ἀλλ' ὅμως ἔφη] Sed tamen in genere statui potest, mediocritatem solam esse laude dignam, extrema verò vituperanda: & declinandum esse nunc ad nimium, nunc ad id quod parũ est, ut medium acquirere possimus.

LIBER TERTIVS

THEMATA

DE ΠΡΟΑΙΡΕΣΕΙ

seu Consilio.

Respondente

MARTINO HALLERVORDIO

Osnabruggensi VVestph.

Cur tractatio de Proæresi reijciatur in 3. librũ.

QVemadmodum Aristoteles fere parem librorũ magnitudinẽ observat, etiamsi materia subiecta non patiatur, necessitati forte librariæ serviens, atq; ob id quoq; in prima parte tertij libri Ethicorum præcipuè de illa particula definitionis virtutis, quæ προαιρέσεως nomen habet, agit: Ita nos quoq; vestigijs præceptoris nostri insistentes, ne præcedens disputatio nimium excresceret, de προαιρέσει seu consilio hic separatim agere voluimus, primùm per se & primariò eius naturam explicando, deinde per accidens & secundariò quæstiones exinde oriundas,

nempè de fine voluntatis, & de ijs quæ ad finem tendunt, dissolvendo.

Cur de spontaneo hic sit agendum.

2. Cum autem τὸ προαιρετὸν postea deniatur esse ἑκούσιον προβεβουλευμένον h. e. spontaneũ eius, cuius deliberatio præcessit; ideo ut definitio προαιρέσεως melius intelligatur, vocum istarum τοῦ ἑκουσίου scilicet seu spontanei & βουλεύσεως seu consultationis explicatio rectè præmittitur.

3. τῆς ἀρετῆς] Sed & de spontaneo & eius contrario nempè invito etiam ideò in Ethicis est agendum, quia illorum theoria confert ad virtutis cognitionem: id quod duobus hisce argumentis constat.

1. argum. à virtutis subiecto.

1. Quicquid facit ad actionum & perturbationum, quæ sunt subiectum virtutis dijudicationem, illa quoq; ad virtutis cognitionem conferunt. τῆς ἀρετῆς] Atqui τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον faciunt ad actionum & perturbationum dijudicationem. E.

2. argum. à virtutis adiuncto.

2. Quicquid ad laudem & vituperium facere potest, id quoq; ad virtutis cognitionem facit. Nam virtus sola laude digna est, quemadmodum vitium vituperio. καὶ ἐπαίν] Atqui τὸ ἑκούσιον & ἀκούσιον ad laudem & vituperium facere potest, quandoquidem

dem ἑκούσια laudantur vel vituperantur: ἀκούσια verò nunc veniam nunc misericordiam merentur. E.

4. χρήσιμον] Deinde τοῦ ἑκουσίου & ἀκουσίου theoria confert etiam ad virtutis actionem. Quicquid enim utile est Politico & Legislatori ad rectè constituendam & prudenter gubernandam Remp. id à nobis in Eth. præcipuè considerandũ est. At τὸ ἑκούσιον & ἀκούσιον Politico & Legislatori & ad rectè constituendam & prudenter gubernandam Rempub. conferũt, quia præmia bonis, qui sponte honesta agunt, & pœnas improbis, qui sponte delinquunt, constituere potest. E.

Spontanei consideratio facit etiam ad virtutis actionem.

5. δοκεῖ δὲ] Quid igitur sit ἑκούσιον seu spontaneum id cognoscitur ex contrario τοῦ ἀκουσίου. Contraria enim iuxta se posita magis eluescunt. Est ergo τὸ ἀκούσιον τὸ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γιγνόμενον, quod vi fit, aut per ignorantiam admittitur.

Explicatio spontanei obliqua.

6. Utraq; huius definitionis pars accuratiùs est declaranda. τὸ βίᾳ γιγνόμενον igitur seu βίαιον, id est, id quod vi fit, seu violentum, est cuius principium seu causa extra est, neq; is, qui agit aut patitur, aliquid adiumenti adfert. Ut

Violentum.

Quæ sint violenta.

ergò violentum quid esse dicatur, tria concurrant opus est, 1. Vt principium quod movet sit extra, sive inanimatum sit, ut ventus, sive animatum, ut brutum, homo. 2. ut tale principium movendi potentiam habeat. 3. ut quod movetur principio foris moventi nihil adiumenti adferat. Ut si Socrates manu Platonis apprehensa Gorgiam percutiat; hæc percussio respectu Platonis est violenta, quia principium & caussa foris movens est Socrates, quæ causa talem habet potentiam, ut ei resistere Plato non possit. Neque etiam Plato quicquam confert. Si enim quid adjumenti conferret, iam non esset violenta actio. Sic cum vento vehementiori ferimur, quo nolimus, vi ferimur, cui resistere non possumus.

Quæ non sint violenta.

7. ὅσα δ' ἐξ αὐτῶν φύσει] Dixi violenta non esse, quorum principium quidem externum est, sed tamen is, qui cogitur, aliquid confert, vel externâ necessitate compulsus, vel interna cupiditate persuasus. Hinc enim (ut de iis, qui externâ necessitate compulsi agunt, primum dicam) quæstio oboritur, qualia sint illa, quæ quis necessitate coactus,

ctus agit, vel metu maioris mali, quod ut declinet minus malum patrare patiq; eligit, vel boni maioris spe, quod ut consequatur minus malum subire non veretur. E.G. Maioris mali metu: ut si Tyranno iubente fiat aliquid turpiter, quo facto parentes & liberi potestati ipsius subiecti conserventur, interficiantur verò, nisi illud fieret. Item si quis exortâ tempestate in mari, ad præcavendum naufragium, rerum ac fortunarum faciat iacturam. Hic duo mala proponuntur, nempè vel fiat aliquid turpiter, vel interficiantur parentes. Item vel fiat naufragium vel eijciantur merces. Quia vero minus malum est eijcere merces, quàm naufragium pati, itaque maioris mali metu, & ad præcavendum naufragium præeligitur mercium iactura. Sic boni maioris spe, mortem quis pro patria subit, quia honestas suadet. *Qui externa necessitate compulsi agũt.*

8. Ἀμφισβήτησιν ἔχει] Cum autem has actiones neque absolutè & simpliciter spontaneas, quia principium movens foris est, neque etiam planè invitas merito dicamus, quia, qui agit, aliquid confert, placet Aristotelis sententia, *Mixtæ actiones.*

qui eas, siquidem partim extrinsecus per vim, partim intrinsecus per voluntatem fieri videntur, mixtas seu medias appellat, quamvis magis ad voluntatem propter electionem, q̃ ad vim propter impulsionem accedant. Nam causa cogens ad actionem vel passionem externa quidem est, sed tamen consentiens ad agendũ vel patiendum interna est, in ipso scilic. homine, qui agit vel patitur.

Mixtæ magis accedũt ad voluntarias actiones.

9. αἱρετ]αὶ γὰρ εἰσὶ] Si ergo consideretur electio & consensus eius qui cogitur, videntur actiones istæ de quibus diximus, magis esse voluntariæ quàm invitæ. Quæ enim αἱρετὰ sunt, hoc est, certo consilio & fine fiunt, illa sunt ἑκούσια. ἀἱρετ]ὰι] At quæ à coactis fiunt, tunc quando aguntur sunt ἀἱρετ]ὰ & certo consilio & fine suscipiuntur. Nam licet hic finis non p se eligatur, eligitur tamẽ κα]ὰ καιρὸν pro præsentis temporis & occasionis ratione. Sic Lucretia absolutè novit satius esse mori, quàm stuprum pati, at propter circumstantias præelegit stuprum pati, quam stupri infamiam cum cæde perpeti. Nam ex duobus malis minus malum, cùm rationem boni quodammodo habeat, eligendum

Argum. à fine actionis, quem eligit.

Finis vel per se est eligibilis vel per accidens.

Lucretia

esse

esse omnes sani judicant. Sic Susanna minus malum esse existimabat in manus hominum incidere, quàm Deum offendere. E. ea quæ à coactis fiunt, tunc quando aguntur sunt ἑκούσια. *Susanna*

10. καὶ τὸ ἑκούσιον δὴ] Id quod etiam hac ratione liquet: Actio ἑκούσιος vel ἀκούσιος dicitur, quando agens, tunc cum agit, vel volens vel nolens agit. πράττει δὲ] At hæc quando quis agit, vel patitur, volens & consentiens agit. probatur. ἐν δ' ἐν αὐτοῖς] Quarum rerum in aliquo principia agendi insunt, earum quoq; agendarum vel non agendarum penes eum potestas est. καὶ γὰρ ἡ ἀρχὴ] At harum actionum & passionum principia in eo, qui agit aut patitur insunt. Nisi enim voluntas organicas moveret partes, h. e. nisi quis ea vel suis ipse manibus faceret, vel per famulum, non vtiq; fierent. ἑκούσια δὴ] E. Cum harum actionum potestas penes agentem & patientem sit, atq; ob id à volente & consentiente suscipiantur, sunt vtique ἑκούσιοι seu voluntariæ. *Arg. ab actionú circumstantijs*

11. ἁπλῶς δ' ἴσως] At verò si per se spectentur eiusmodi actiones & passiones, non habita ratione circumstantiarum, atq; *Absolutè consideratq; ta actiones*

ατq; ita simpliciter & indistincte de illis quis loquatur, recte dicuntur ἀκούσιοι seu invitæ. Quæ enim per se nemo eligit facere, ea si aliquando faciat, invitus facere videbitur. οὐδὲ γὰρ] At hæc per se facere nemo eligat. E.

Mixtas esse actiones probatur etiam ab adiuncto.

12. Hinc patet istas actiones & Spontaneas esse & invitas & propterea ab Aristotele rectè appellatas esse mixtas. Id quod etiam ex actionum & passionum accidentibus, quorum etiam supra th. 3. facta est mentio, probatur. Quæcunq; enim actiones accidentia habent ἐκουσίων & ἀκουσίων illæ etiam ἑκούσιαι sunt & ἀκούσιαι. Cæterum actiones prædictæ accidentia habent, tùm ἐπαινετῶν, laudem scilicet & vituperium, tùm ἀκουσίων, nempè veniam & misericordiam. E.

Laudem merentur.

13. ἐπὶ ταῖς πράξεσι] Namq; cum indecorum aliquid seu insolens aut durum subeunt homines, quod magnitudine & honestate compensatur, veluti vt patriæ suæ prosint vel parentibus vel liberis, eos laudare solemus, v. g. Solonem, qui pro patriæ commodo insaniam simulavit. Sic Zopyrus à suis laudabatur, quod sibi nasum & aures præciderit

si derit, ut Babylonios hoc astu Dario subjiceret: & Vlysses qui mendici habitu cum Iro in suis ædibus certavit, ne à procis agnosceretur. Hi enim omnes propter maius bonum minus malum fecerunt & pertulerunt.

14. ἐν δ' ἀνάπαλιν] E contrà verò si propter minus bonum maius malum fecerint aut pertulerint, & si adeò abiecto fuerint animo & viles, ut pro honesto & iusto nihil pati velint, vel si turpe & probrosum admiserint pro levibus & indignis causis, meritò vituperantur. v. g. Dolon, qui à Græcis comprehensus metu mortis Troianos suos hostibus prodit. Et Parasitus ille in Persa Plauti, qui filiam suam externo ornatu productam venire patitur, ne amittat saginam apud Toxilum. *Vituperium merentur.*

15. ἐν ἰδίοις δ'] Aliquando illis, qui turpia ferunt, neq; laus neq; vituperatio ex eo accidit, sed venia datur, quando illa comminantur Tyranni, quæ vim naturæ humanæ superant, & eiusmodi sunt, quæ nemo omnium subiturus & perpessurus esse videatur. Item si qui tormentis tolerandis impares in quæstionibus crimen falsum confitentur. *Propter necessitatem* *Veniam merentur.*

16.

Veniam non merentur.

16. ἔνια δ' ἴσως] Quædam verò eiusmodi sunt, in quibus vis & necessitas locũ non habeat, ac mors potius per atrociſsimos cruciatus oppetenda ſit, quàm talia deſignanda. Quamvis enim cauſæ impellentes ſint grauiſsimæ, graviores tamen exiſtunt prohibentes Quis enim ignoſcet ei, qui parricidia vel homicidia committit, item adulterium, proditionem patriæ, fidei abnegationem, ob tormentorum aſperitatem? Meritò igitur Alcmæonem Euripidis execramur, qui matrem interfecerat, quod corrupta monili aureo maritum Amphiaraum Polynici prodidiſſet. Rectius longè Anaxarchus & Zeno: quorum is ferreis piſtillis contuſus, hic linguam dentibus abſciſſam & contritam in os Tyranni expuens, coniuratos prodere noluit.

Difficultas in dijudicandis actionibus.

17. ἔστι δὲ χαλεπὸν] Quod autem eiuſmodi differentiæ & contraria accidentia in actionibus reperiantur, id ob difficultatem ſit in duobus malis, utrum levius ſit, dijudicandis. Eſt enim difficile interdum decernere, quale pro quali ſuſcipiendum, quid pro quo ſit ſuſtinendum. Et difficilius nonnunquam in eo,

eo, quod constitutum sit perseverare. Nam plerumq; τὰ προσδοκώμενα, quæ expectare oportet, sunt molesta, gravia, aspera & horribilia, τὰ ἀναγκαζόμενα vero ad quæ scilicet impelluntur homines, turpia. E. g. Vt Lucretia stuprum à Tarquinio pateretur, ἡ προσδοκώμενον erat infamia, ἡ ἀναγκαζόμενον verò erat stuprũ. Difficile igitur erat Lucretię dijudicare, an, ut adulterij infamiam fugeret, stuprum à Tarquinio pati deberet.

18. δόξειν ἐπαινοῖ καὶ ψόγοι] Atq; hinc laudatio & vituperatio oritur, cum vi aliqui coacti aut non coacti fuerint. Quando n. in ijs, quorum electio aut actio facilis est, peccatur, summæ vituperationi loc' est, quando verò est difficilis electio, & tamen non peccatur, id laudi summæ vertitur. ἢ μὴ] Laus verò & vituperatio locum non habet, sed venia tantum & misericordia, quando videlicet in ijs, quorum electio difficilis est, peccatur. Sic Lucretiam sexus sui & fragilitas & imprudentia excusat, quod famæ iacturam iacturæ pudoris anteposuerit.

19. τὰ δὴ πῶια φατέον] Ex superioribus iam colligimus proprie quidem id violentum dici, quod paulò antè definivimus. *Collectio ex præcedentibus.*

mus. Impropriè autem & non absolutè, quod necessitate coacti fecimus. Id enim per se quidem ἀκούσιον est, quoniam principium cogens extrà est, sed tamen secundum quid & respectu circumstantiarum est ἑκούσιον, quia accedit consensus eius, qui vim patitur, atq; ita electionis principium in ipso est.

20. Μᾶλλον δὲ ἔοικεν ἑκουσίοις] Ista tamen ἑκούσια magis esse quam ἀκούσια duabus adhuc rationibus ex superioribus deductis confirmatur. ταῦτα δὲ] 1. Arg. Actiones singulares certis circumstantijs loci temporis, personarum, finis, veluti circumscriptæ, sunt voluntariç & sponte suscipiuntur. Sunt quidem ista absolutè & sine circumstantijs considerata non expetenda, neq; voluntaria. Huic autem homini, qui hoc tempore, hoc loco, & hoc fine agit, fiunt voluntaria vnde tritum illud sermone: Tu si hic sis, aliter sentias. αἱ γὰρ πράξεις] At prædictæ actiones sunt singulares, hoc est, huic homini peculiares, propter certas & particulares circumstantias. Ε. πολλαὶ γὰρ] II. Arg. Singulares actiones, utrũ amplectendæ sint an fugiendæ, propter varietatem circumstantiarum dijudica-

1. Arg. à materia subiecta, quia singularis est.

2. Arg. ab adiuncto quia difficilis est.

re

re difficile est. At prædictæ actiones sunt singulares πολλὰ δ' ἀντὶ] Ergo prædictæ actiones difficulter dijudicari possunt, & quæ quibus sint optabiliora, non ita facile est verbis ostendere.

21. ἃ δ' ἀναγκ τὰ ἡδέα] De ijs, quæ externa necessitate impulsi agimus, quomodò scilicet violenta sint, & quomodo spontanea, diximus. Sed utrum etiam ob internam cupiditatem, διὰ θυμὸν ἢ ἐπιθυμίαν, actiones nostræ sint inuitæ, quæstionis est. Plato enim lib. 9. de Leg. & in Timæo neminem sponte malum esse ex hac causa affirmavit, quod ea quæ iucunda sunt & molesta, cuiusmodi sunt, quæ per cupiditatem aut iram fiunt, violenta esse videantur, quandoquidem cum extra nos sint, nos ad quidvis agendum vel patiendum tanquam imperiosissimi domini cogunt. Sed hanc Platonis ratiocinationem falsam esse, sic demonstrat Aristoteles: ἃ δ' ἀναγκ τὰ ἡδέα] Si iucunda & molesta violenta essent, omnes hominis actiones essent violentæ, quia impellente dolore & voluptate cuncta agimus, easq; actiones, quæ fiunt invite, tristitia, q vero sponte fiunt, iucunditas comitatur. γελοῖον δὴ]

Violenta non esse quæ fiunt propter internam cupiditatem.

Atqui

Atqui multæ sunt hominis actiones, quæ non sunt violentæ.

Actionum causæ principes & nõ principes.

22. Hæc Minor propositio vt rectius intelligatur, distinguendum est inter actionum causas principes & non principes, nempè inter hominem ipsum seu rationem hominis & obiecta externa. Hæc enim per sensus offeruntur appetitui, qui ad ea movetur motu primo. Homo verò seu ratio motum hunc ceu tumultum ex arce animadvertens ad eum fovendum vel sedandum movetur secundo motu. Iam igitur primi motus non sunt in nostra potestate, sed secundi tantum, quia ab obiectis appetitum moveri, tàm naturale est, quàm oculum videre, quàm aures audire, at motui huic hominem consentire, voluntarium est. Indè patet argumentum: In causas non principes referre actiones potius quàm in principes ridiculum est & absurdum. Atqui princeps causa actionum est homo ipse seu ratio ipsa, non princeps causa verò est motus obiectorum externorum in animo excitatus. γελοῖον] E. in obiecta externa causam referre potius, quam in semetipsũ huic motui assentientem, ridiculum est & absurdum. 23. καὶ

23. καὶ τῶν μὲν καλῶν] Sed & si honestæ actiones voluntariæ sunt, ridiculum erit, turpes actiones, quæ voluptatis aut doloris impulsu suscipiuntur, violentas opinari. Contrariorum enim eadem sub eodem genere est ratio. Atqui ex ipsius etiam Platonis sententia honestæ actiones sunt voluntariæ. E. turpes quoq; actiones sunt voluntariæ. *Altera probatio Minoris ex actionum differentijs, quod aliæ sint honestæ, aliæ turpes.*

24. Hinc iam sequitur, ea quæ iucunda sunt & molesta, violenta non esse, quamvis externa sint. ὅσαι δὴ] violenta enim sunt, sicuti supra diximus, quorum principium extra est, in cogente, coactus vero nihil confert. At qui voluptate & dolore movetur, confert aliquid, assensum scilicet & electionẽ. E. *Conclusio disputationis de violento.*

25. Hactenus de prima particula in definitione τοῦ ἀκουσίου adhibita, nempè de eo, quod vi fit, seu de violento. Sequitur nunc altera particula, nempe de eo, quod per ignorantiam admittitur, explicanda. Namq; non omnis ignorantia invitam facit actionẽ. ὃ δ' ἂν δι' ἄγνοιαν] videtur quidem non volens egisse, qui ignorans agit, ἀκούσιον] Sed is tantum ἄκων seu invitus fecisse videbitur, quem facti pœnitet, ita ut voluntas actionem *Actio per ignorantiã communiter accepta.*

subse-

ſubſequens voluntatem præcedentem declaret ὁ γὰρ] Si verò eum qui facinus deſignavit, facti non pœniteat, reſpectu voluntatis ſubſequentis μὴ ἄκων, at reſpectu præcedentis μὴ ἑκών feciſſe dicetur.

26. τοῦ δὴ δι' ἄγνοιαν] Hinc manifeſtum evadit, de quanam ſpecie ignorantiæ, particula illa in definitione τοῦ ἀκουσίου poſita, ſit accipienda, nempè de illa, quam ſequitur μεταμέλεια ſeu pœnitentia, quando ſcilicet eius, quod quis per ignorantiam egit, eum poſt factum pœnitet. Et hoc eſt ἀκούσιον δι' ἄγνοιαν. ὁ δὲ μὴ] Quádo verò eum poſt factum non pœnitet eius, quod per ignorantiam deſignavit, actio non quidem ἀκούσιος eſt, quia non pœnitet, neq; ἑκούσιος, quia ignorans egit, ſed appellari poteſt μὴ ἑκούσιος. Et hoc eſt μὴ ἑκούσιον δι' ἄγνοιαν.

27. Ἕτερον δ' ἔοικε] Sed cum ignorantia practica vel ipſius finis ſit, vel eorum quæ ad finem tendunt, atq; illa à malo habitu proveniat, hæc verò non proveniat, & illa dicatur ἄγνοια τοῦ συμφέροντος, τοῦ τέλους, τῆς προαιρέσεως, ἢ καθόλου, & ἧς αὐτὸς αἴτιος, hæc verò ἄγνοια τῶν πρὸς τὰ τέλη, τῶν πράξεων, τῶν καθέκαστα & ἧς αὐτὸς μὴ αἴτιος;

ob id

ob id actio δι' ἄγνοιαν propriè appellatus ea, quam obit quis per ignorantiam eorum quæ tendunt ad finem, & ὃς αὐτὸς μὲν ἄλλο. Nam cuius ipse sibiipsi causa est, ea ab ignorante quidem, non tamen per ignorantiam fieri dicitur. Proinde aliud est ignorantem agere, aliud per ignorantiam. Ignorans enim agit, non per ignorantiam, qui agit inductus perturbatione aliqua vel corporis (ut morbo & ebrietate) vel animi (ut irâ, gaudio, invidia) judicium rationis veluti obfuscante. Respectu igitur perturbationis, non dicitur per ignorantiam agere, sed vel per Ebrietatem, vel per Melancholiam, vel per Iram, vel per invidiam. Respectu autem rationis, cuius assensum non expectat perturbatio, sed in primis motibus nimia celeritate eam antevertit, dicitur ignorans agere.

Ignorans agit inductus aut perturbatione:

28. Ἀγνοῶ] Ad eundem modum ignorans agit, non autem per ignorantiam, qui agit inductus habitu aliquo vitioso, cuius ea vis est, ut judicium ipsius mentis corrumpat, ne possit cernere verum. Sic ignorans agit omnis improbus, non tamen per ignorantiam, sed per improbitatem. Unde liquet non omnia, quæ

aut habitu animi vitioso.

ab ignorante fiunt, fieri per ignorantiam propriè dictam, sed per aliam quandam ignorantiam illa fiunt, quæ dicitur respectu finis ἄγνοια τοῦ συμφέροντος, quando quis nescit, quid revera bonum sit: respectu formæ, ἄγνοια τῆς προαιρέσεως, quando nescit, quid eligendū sit, quidque facere expediat, corrupto judicio per vitiosum habitum: respectu efficientis infra nuncupatur ἄγνοια ἧς αὐτοὶ αἴτιοι, quia etsi corruptum est judicium, hujus tamen corruptionis quisque sibiipsi auctor est. *Ignorantia actionem invitam non efficiens.* *Ignorantia universalium seu juris.*

Οὐδ' ἡ καθόλου] In genere autem appellatur ἄγνοια καθόλου, quando in universum, quid faciendum sit, ignorat. Et hanc impropriè dictam ignorantiam actionem non reddere invitam hinc liquet: propter quæ vituperamur, ea non sunt ἀκούσια. At propter ignorantiam καθόλου vituperamur. E. ignorantia καθόλου non est ἀκούσιον.

29. Ἀλλ' ἡ καθ' ἕκαστα] Illa igitur ignorantia, cujus principium non ab eo qui ignorat (mente enim constat, neq; vel morbo, vel ebrietate vel improbitate quadam impeditur) sed à principio aliquo externo provenit, actionem reddit verè invitam. Hæc ignorantia in genere *Ignorantia actionem invitam efficiens.*

nere vocatur ἄγνοια τῶν παθέντα, ignorantia eorum, in quibus & circa quæ versatur actio: in specie verò appellari potest, respectu finis, non τοῦ συμφέροντος, neque τοῦ τέλους, sed τῶν πρὸς τὸ τέλος, eorum quæ ad finem tendunt, ἄγνοια: respectu formæ, non τῆς προαιρέσεως, sed τῆς πράξεως, quippe cum non in eligendo, sed in eo, quod elegeris, efficiendo, error contingat: respectu efficientis, ἄγνοια ἧς αὐτοὶ μὴ οἴδασι. Nam propter singularium indefinitas circumstantias fieri potest, ut vel prudentissimus quisq; interdum fallatur, nempe propter rei perplexitatem. *Ignorantia singulariũ seu facti.*

30. Quod autem hæc ignorantia actionem reddat invitam, ut quis non ignorans tantum, sed etiam per ignorantiam feciſſe dicatur, sic probari potest: Quæ veniam aut misericordiam merentur, sunt ἀκούσια. ἐν τούτοις] At quæ per ignorantiam] τῶν παθέντα fiunt, veniam aut misericordiam merentur. καὶ ὁ τούτων] Eaque per ignorantiam τῶν παθέντα fiunt, sunt ἀκούσια.

31. Sed ut hæc ignorantia verè sit invita, oportet respectu actionis ignorare circumstantiam aliquam, & respectu voluntatis actionem subse-

quentis, ejus quod ignorans commisit, pœnitentia duci, & factum infectum cupere.

Enumeratio circumstantiarũ.

32. ἴσως οὖν] Sunt autem circumstantiæ, quæ ignorari possunt, licet non omnes simul, variæ, quæ consistunt vel in actionis causis, vel in ejus natura. Causa efficiens designatur per QVIS. FINIS, h. e. Eventus ipsius actionis, per CVIVS GRATIA. Materia per CIRCA QVID. Organon seu instrumentum per QVO. Quod si actio ipsa consideretur, ejus natura exprimitur per QVID. Si mensura, habemus tempus, locum & modum, quæ ostenduntur per QVANDO, VBI, QVOMODO. Quæ quidem, excepta una, comprehenduntur omnes in vulgato versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

33. Απαντα μὲν οὖν] Horum vero etiam singularium ignorantia si nimium crassa fuerit, & vel supinam negligentiam vel insaniam agentis indicaverit, ἀκούσιον non est. Vt si quis ignoret prædictas circumstantias omnes, is jure pro insano habeatur: vel aliquas v. g. efficientem. Quomodo enim quis sanæ mentis se-

tis ſemetipſum agentem ignoraverit. Sed tum demum ſingularium iſtorum ignorantia ἀκούσιος eſt, quando rerum tanta eſt perplexitas, ut ratione comprehendi vel præcaveri nequeant.

34. Ὁ δὲ πράττει] Namque ignorare quis poteſt, QVOD agit, ut ſi quis arcanum aliquid evulgarit, excuſat ſe per ignorantiam facti, quia vel neſciverit arcanum eſſe, vel ſciverit quidem, verùm ignorarit ſe id evulgare, ſed ſibi imprudenti excidiſſe. Vel ſi quis catapultam emiſit, cum oſtendere tantum vellet rationem emittendi. Ita ignorare poteſt, IN QVO agit. Sic Merope filium putabat eſſe hoſtem. item QVO agit v. g. haſtam obtuſam eſſe, quæ acuta ſit, & lapide aliquem graviter lædere, quem pumice tantum terrere volebat. Item PROPTER QVOD agit, eventum ſcilicet, (Nam finem ipſum, h. e. id quod eligendum eſt, ignorare non debet,) vt ſi quis percutiens aliquem ſtertentem excitatur, eum interficiat, aut ſi muſcam fronti inſidentem abactur, percutiat. Item QVOMODO agit, leniter, an remiſsè, ut ſi quiſpiam eorum, qui ſummis tantum manibus conſertis certaturi ſunt,

neque plagis rem gerere audent, in pugnæ præludijs corporis agilitatem cum artis peritia ostentando alium per imprudentiam percusserit, cum leniter intensis digitis ostendere tantum voluisset, & si leniter aliquem impulsurus ob debilitatem nihil planè resistentem terræ afflixerit.

35. περὶ πάντα δὴ] Ex dictis jam colligitur, simpliciter ἀκύριον esse, si quis eorum, quæ diximus, aliquid ignoraverit, maximè verò, si ea quæ sunt maximi momenti ignoraverit, subjectum scilicet & eventum, & si actionem istam secuta fuerint dolor & pœnitentia.

ἀκούσιον.

36. οὗτος δὲ ἀκουσίως] Quid igitur sit ἀκούσιον, ex superioribus est manifestum, ex quib. etiam definitionem τοῦ ἑκουσίου constituere facile est, quod scilicet ἑκούσιον sit, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ (sic opponitur βιαίῳ) εἰδότα τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. (sic opponitur τῷ δι' ἄγνοιαν.)

Explicatio definitionis τοῦ ἑκουσίου.

37. Porrò hæc definitionis τοῦ ἑκουσίου particula (εἰδότα τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις) non indiget ulteriori explicatione, ut puta quæ in superioribus satis sit explicata. Sed hanc particulam, (οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ) Aristoteles adhuc problematicè expli-

explicat, & cum ἡ ἀρχὴ & principium agendi internum non tantum sit animi pars rationalis, ipsa scilicet Ratio, sed etiam irrationalis, ipse videlicet Appetitus, ob id ἑκούσια quoq; esse ea, quæ διὰ θυμὸν ἢ ἐπιθυμίαν fiunt, de quib⁹ supra diximus, quod non sint βίαια & propterea etiam nec ἀκούσια, sequentibus liquet argumentis. πρῶτον] I. Arg. Si quæ fiunt per iram & cupiditatem, non sunt dicenda spontanea, nullum certè animal, ut neq; pueri, qui per iram & cupiditatem agunt fere omnia, sponte quicquã agent. Sed pueri & bruta εἰκότως agunt, licet non σπουδαίτως. E. *1. arg. ab efficiente.*

38. ἢ]α πότε] II. Arg. Si ἀκούσια sunt ea, quæ per iram fiunt & cupiditatem, tum vel omnia talia erunt, vel certè aliqua, nimirum honesta ἑκούσια, turpia verò ἀκούσια. ἢ γελοῖον] At neq; omnia sunt ἀκούσια, quia quæ per iram & cupiditatẽ fiunt adstipulante ratione omnium testimonio sunt ἑκούσια. Neq; etiam aliqua tantum, utpote sola turpia, sunt ἀκούσια, cum honesta non minus quàm turpia ab eodem principio quamvis aliter atq; aliter affecto proveniant. E. quæ per iram aut cupiditatem fiunt, nulla sunt ἀκούσια, sed omnia ἑκούσια. *2. arg. à genere & specie.*

3. arg. ab adiuncta appetitione honesta.

39. ἄλογον] III. Arg. Quæ honestè appeti possunt, illa non sunt ἀκούσια. δεῖ δ'] At Ira & cupiditas nonnunq̃ honestè appeti possunt. Nam vir etiam bonꝰ ex officio quibusdam irascitur, quędã appetit. E.

4. arg. ab adiuncta voluptate.

40. δοκεῖ δ'] IV. Arg. Omnia invita sunt λυπηρὰ seu molesta. At quæ ex cupiditate proficiscuntur non creant molestiam, sed jucunda sunt. E.

5. arg. ab adiuncta fuga.

41. ἔτι δὲ τὰ] V. Arg. Si omnia delicta tàm ea, quæ quis adhibita ratione committit, quàm quæ iræ impulsu designat, fugienda sunt, quia utraq; sunt mala, sequitur illa non magis quàm hæc voluntaria esse. Nam si illa essent invita, non utiq; essent fugienda. φυτὰ μὲν γὰρ] Sed verum prius. Quia enim utraq; mala sunt, utraq; certe fugienda esse omnes statuunt. E. ea quæ per iram fiunt non differunt ab ijs, quæ per rationem fiunt, quod illa ἀκούσια sint, hæc verò ἑκούσια, sed utraq; erunt ἑκούσια.

6. arg. à causa efficiente.

42. δοκεῖ δ'] VI. Arg. Ea quæ sunt hominis propria, non sunt ἀκούσια, seu quorũ principium & causa in nobis est, ex ijs non potest invita actio effici. At ὀργὴ & ἐπιθυμία sunt quidem ἄλογα πάθη, sed tamen hominis propria, cum principium suum

in

in nobis habeant & omnino in nobis oriantur. αἱ δὲ πράξεις] Actiones n. hominis tùm ab Ira, tùm à cupiditate nascuntur, ut ob id ira & cupiditas ab hominis natura non videatur esse aliena. ἄτοπον] Ergo θυμὸς & ἐπιθυμία non sunt ἀκούσια.

43. διωρισμένων] Sed de vocibus istis, τοῦ ἑκουσίου scilicet & ἀκουσίου hæc in præsentia sufficiant. Sequitur, ut de Consilio dicamus. οἰκειότατον] 1. Quia eius cognitio non tantum ad virtutis cognitionem, quandoquidem ipsa definitur ἕξις προαιρετικὴ, καὶ μᾶλλον] 2. sed ad eiusdem quoq; praxin seu exercitationem plurimum conducit. Non enim si quis hoc vel illud fecit, bonus vel malus erit: Sed si hoc vel illo consilio inductus fecit, ut ob id magis à προαιρέσει, quàm ab actionibus mores dijudicari videantur.

CAP. II. De προαιρέσει agendũ esse.

44. ἡ προαίρεσις] Genus igitur προαιρέσεως seu Consilij est ἑκούσιον. Nam ᾧ προαιρετὸν & ᾧ ἑκούσιον non sit prorsus idem sed ᾧ ἑκούσιον latius pateat, sic probari potest. τοῦ μὲν γὰρ] Quæ nec in ijsdem reperiuntur, nec de ijsdem dicuntur, illa non sunt eadem. Atqui ᾧ προαιρετὸν et ᾧ ἑκούσιον neq; in ijsdem reperiuntur, nec de ijsdé dicuntur, quia pueri & reliqua animalia ἑκόντως quidem

Genus τῆς προαιρέσεως.

quidem agunt, sed non προαιρέτως; & adultiores quoq; nonnunquam repentino impetu aliquid agunt volentes quidem, sed non προαιρούμενοι. E.

Differentia προαιρέσεως investiganda.

45. οἱ δὲ λέγοντες] Ut autem differentiam προαιρέσεως ex generis divisione deducamus, necesse est considerare quomodo ἡ ἑκούσιον dicatur esse ἀρχὴ seu principium. Per principium autem intelligimus animam ipsam, quæ vel ὀρεκτικὴ est vel γνωστικὴ. ὄρεξις in parte animæ irrationali dicitur θυμὸς & ἐπιθυμία, in rationali verò, quatenus absq; discursu id, quod bonum esse cognoscit vel opinatur, appetit, βούλησις seu voluntas dicitur, sed quatenus discursu & ratiocinatione in utramq; partem, quid expediat, inquirit, βούλευσις seu consultatio appellatur. γνῶσις autem sive cognitio & judicium dicitur respectu eorum, quorum beneficio cognoscimus, nempè respectu sensus interioris γνῶσις φανταστικὴ, respectu exterioris γνῶσις αἰσθητικὴ, respectu Rationis verò, quatenus cognoscit vel absq; discursu principia prima, νοῦς, vel cum discursu & ratiocinatione διανοητικὴ γνῶσις nuncupatur, & vel ἐπιστήμη est & σοφία, quatenus constans

stans est cognitio; vel δόξα seu opinio, quatenus cognitio est inconstans.

46. Ex his manifestum evadit προαιρέσεως differentiam esse vel θυμὸν vel ἐπιθυμίαν, vel βούλησιν, vel βούλευσιν, vel φαντασίαν, vel αἴσθησιν, vel νοῦν, vel ἐπιστήμην vel σοφίαν vel denique δόξαν. Sed cum γνῶσις φαν[τ]αστικὴ καὶ αἰσθητικὴ item νοῦς, ἐπιστήμη & σοφία ad praxin Ethicam nihil faciant, ideoque eorum nullam Aristoteles facit mentionem, quippe cum per se clarum sit, προαιρεῖσθαι, quæ ad praxin Ethicam inprimis pertinet, nihil eorum esse. Sed neque etiam θυμὸν esse, neque ἐπιθυμίαν, neque βούλησιν, neque δόξαν, ex sequentibus patebit.

προαίρεσιν non esse ἐπιθυμίαν 4. probatur argumentis.

47. Quod enim προαίρεσις non sit ἐπιθυμία hinc patet. οὐ γὰρ κοινὸν] 1. quia προαίρεσις non cadit in bruta. At θυμὸς & ἐπιθυμία cadunt in bruta. E. καὶ ὁ ἀκρα[τ]ὴς] 2. quia προαίρεσις & ἐπιθυμία in eandem actionem non incidunt. Incontinens enim secundum ἐπιθυμίαν agit, non secundum προαίρεσιν, cum appetitus vincat rationem. Contra vero continens, in quo Ratio primas tenet, secundum προαίρεσιν non secundum ἐπιθυμίαν agere dicitur. καὶ προαίρεσ[ις] 3. quia cupiditas cupiditati

in

in eadem materia castigando non adversatur, quamvis pugnando adversari possit. Sed cupiditati in eodem negotio προαίρεσις sæpè est contraria. Nam προαίρεσις cupiditatem appetitus refrænat. ὡς ἡ μὲν ἐπιθυμία] 4. quia ἐπιθυμία seu cupiditas ejus est, quod jucundum est, & priusquam assequatur id, quod cupit, molestè fert ejus absentiam. At προαίρεσις nec jucundi est, neq; molestiam habet junctam, sed in rebus spectat tantum, quid honestum sit & utile, quid inutile; ac noxiũ, & consultat, quomodo id quod honestũ & utile adipisci queat.

προαίρεσιν non esse Iram.

48. ἤπιος] Cumq; hinc pateat, προαίρεσιν cupiditatem non esse: multo minus jam θυμὸς seu Ira dici poterit, quia ut paulo antè dictum est, Ira cadit etiam in bruta, & præcipuè, quia Ira inimica est consilio. Nam impedit Ira animum, ne possit cernere verum.

προαίρεσιν nõ esse βούλησιν.

49. Ἀλλὰ μὴν] Quod προαίρεσις etiam non sit βούλησις, quamvis valdè sint inter se affines, his liquet argumentis: προαίρεσις μὲν γὰρ] 1. quia προαίρεσις non est eorum quæ esse vel fieri non possunt. Nam qui de impossibilibus consultat, insanus esse cẽsetur. Atqui βούλησις seu voluntas sæpè est impossibiliũ. Volumus n. non

mori. E. ὡσὰ ἡ μὲν βούλησις] 2. quia βούλησις sæpè est alienorum negotiorum, q̃ in nostra non sunt potestate, vt si quis velit histrionem illum vel athletam superiorem discedere. At προαίρεσις tantum est propriorum, quæ scilicet nos ipsi acturi sumus. E. ἴδ] 3. quia voluntas magis est ipsius finis, vt sanitatis, felicitatis, victoriæ. Sed προαίρεσις non est ipsius finis, sed magis eorum quæ ad finem pertinent. v. g. Benè valere volumus. Sed consilium capimus, vt eas res adhibeamus, quibus benè valeamus &c. quippè cum προαίρεσις tantum ad eas res pertineat, quæ in nostra sunt potestate. E. προαίρεσις non est βούλησις.

προαίρεσιν non esse δόξαν.

50. οὐδὲ δὴ] Sed nec δόξαν seu opinionem esse προαίρεσιν his convincitur argumentis. 1. Quia quorum causæ sunt diversæ, etiam ipsa diversa esse necesse est. At δόξα & προαίρεσις causas habent diversas. ἡ μὲν γὰρ] Illa enim quoad materiam versatur circa vniversa, tàm æterna & caduca, quàm ea quæ non sunt, & quoad finem vel vera est vel falsa & cum quadam dubitatione copulatur. ἡ δὲ προαίρεσις] At προαίρεσις versatur tantũ circa res gerendas, & est vel bona vel

1. Argum.

mala

mala, atq; etiam cum quadam certitudine coniungitur. ὅλως μὲν οὖν] E. in genere δόξα & προαίρεσις non sunt idem.

51. ΑΛΛ' οὐδέ τινι] Sed neq; in specie, si nempe quasdam opinionum conditiones & differentias, quæ προαιρέσει non
2. Argum. conveniunt, consideraverimus, vnum & idem sunt. τῶν γὰρ] 2. Quia eligendo bona vel mala boni vel mali dicimur. ὧδε δὲ] At opinando docti vel indocti
3. Argum. appellamur. καὶ προαιρούμεθα] 3. Quia eligendo res prosequimur aut fugimus. δοξάζομεν] At opinando res tantum co-
4. Argum. gnoscimꝰ. καὶ ἃ μὲν] 4. Quia προαίρεσις à bonitate commendatur, & magis q; scilicet id, quod bonum est, elegit, quàm q; rectè fuerit instituta. ἃ δὲ δόξα] Sed opinio laudatur à veritate. καὶ προαιρούμεθα]
5. Argum. 5. quia eligimus, quæ bona esse persuasum habemus. δοξάζομεν] at opinio etiam est incertorum, de quibus subdubitamus.
6. Argum. δοκοῦσί τε] 6. Quia si idem essent, sequeretur, vt quicunq; optimas opiniones haberet, etiam optima eligeret, adeoq; optimus esset. ΑΛΛ' ἔνιοι] Sed nonnulli melius quidem opinantur, & vt Medea apud Ovid. vident meliora probantq;, sed tamen id quod deterius est,

eligunt

eligunt & sequuntur, vt incontinentes. εἰ δὲ προγίνεται] Quomodo autem comitetur electionem opinio, infra lib. 6. dicetur. In præsentia enim non quærimus præcedat opinio electionem nec ne. Sed quod idem non sint προαίρεσις & opinio ex ijs, quæ dicta sunt, satis liquidò constat.

52. Τί οὖν] Ex istis igitur omnibus sit manifestum, cum προαίρεσις sit quidem ἑκούσιον, τὸ δὲ ἑκούσιον] nec tamen ἑκούσιον sit quatuor prædictarum specierum; ἀλλ' ἄρα] quod sit ἑκούσιον προβεβουλευμένον, ὃ μὲν γὰρ] Quia sicuti βούλευσις ita quoque προαίρεσις ratione & discursu nititur. Vndè προαιρετὸν dicitur quasi ὃν πρὸ ἑτέρων αἱρετόν. Concurrit ergo ratiocinatio & discursus, quodnam inter duo & plura, quæ proposita sunt, magis eligendum sit, vel optandum. *Rudis definitio προαιρέσεως.*

53. Rudis ergo & imperfecta est hæc τῆς προαιρέσεως definitio, quod sit ἑκούσιον προβεβουλευμένον, spontaneum eius, cuius deliberatio præcessit. Hanc autem si declaremus, exindè exactior eius constituetur definitio. βουλεύονται] Primum igitur rudis istius definitionis, τὸ προβεβουλευμένον resolvendo declarabimus. Utrũ autem *CAP. III. Transitio ad perfectiorem definitionem τῆς προαιρέσεως.*

Non de omnibus deliberatio iustitui potest

autem de omnibus, an de aliquibus tantum consultatio suscipiatur, quæstionis est, quam ex causis cùm efficiente, tum materiali & formali expediemus.

Respectu efficientis quæ cadat sub deliberationem.

54. λοιπόν] Respectu igitur efficientis τὸ βελευτὸν non est illud, de quo stupidus aliquis aut fatuus deliberat, sed illud de quo vir prudens.

Respectu Materiæ, de quibus deliberatio instituatur.

55. περὶ δὲ τῶν ἀιδίων] Respectu autem materiæ ea quæ in deliberationem cadunt primum considerantur secundum causam efficientem, quæ est ipse homo, in cuius potestate quædam sunt, quædam non sunt. Ergo quæ in hominis deliberantis potestate non sunt, de ijs etiam deliberatio non est instituenda, qualia sunt primum æterna, vt extra intellectum mundus, in intellectu propositiones æternæ veritatis. ἀλλ' οὐδὲ] Deinde quæ moventur motu perpetuo & constante: οὐδὲ περὶ] Tertiò, quæ naturâ quidem sunt vel fiunt, sed non semper sunt vel fiunt, vt canum fieri, Dentire: οὐδὲ περὶ τῶν ἀπὸ τύχης] Quartò incerta & fortuita, ut thesauri inventio: ἀλλ' οὐδὲ] Deniq; , quæ ad alium pertinent. De ijs enim sollicitè inquirere πολυπράγμονος est & nimium curiosi,

de quo

de quo rectè dicitur: Tua quod nihil interest, percontari desine. Sic nullus Laconum de instituenda Repub. Scytharum deliberaverit.

56. βουλευόμεθα] Res igitur humanæ, quę in deliberantis sunt potestate, materia subiecta sunt deliberationis. Nam deliberatio suscipitur aut de illis rebus, ἃ δὲ] quarum causæ sunt extra homine, & vel certæ vt Natura & Necessitas, vel incerta, vt Fortuna. ἃ] Aut de illis quarum causæ sunt in homine, & vel Ratio vel Appetitus. Sed non suscipitur de illis rebus, quarum causæ efficientes sunt extra eum, qui deliberat. τοῦτο δή] E. deliberatio suscipietur de illis, quarum causæ sunt in homine, vt Ratio & appetitus, vel quarum causa est ipsemet, qui deliberat. τῶν δ' ἀνθρώπων] Omnes autem homines non de alienis, sed de suis tantum deliberare consueverunt. Et de amicorum rebus consultamus, tanquam de nostris, propter studiorum & voluntatum paritatem, cum idcircò ἑταῖροι ὡς ἕτεροι αὐτοὶ nuncupentur, & amicus sit quasi alter ego.

Deliberamus de rebus humanis, quæ in nostra sunt potestate.

57. τὰ περὶ μὲν] Cum verò quæ in homi-

Sed nec tamẽ omnia quæ in nostra sunt potestate, sub consultationem veniunt.

minis sunt potestate, ab eoq; aguntur, vel certa sint indubitata & perpetua, vtputa, quæ p scientiam aliquã sunt determinata, vel incerta, quorum nonnihil incertus dubiusq; est eventus: de his non de illis deliberamus, v. g. cum artem scribendi quis didicit, non deliberat, quomodo sit scribendum, quandoquidem secundum scientiam & secundum præcepta semel posita scribit: Sed utrum scribendum sit, nec ne, de hoc deliberationem instituere potest. διορ] Sic de ijs deliberamus, quæ ad Medicinam & artem pecuniæ quærendæ pertinent. καὶ περὶ] & magis de illis, quæ magis sunt incerta ac dubia, quàm de ijs quæ certiora sunt & consultationi minus obnoxia.

De quibus magis dubitatur, illa maximè in deliberationẽ cadunt.

58. μᾶλλον δὲ] Magis autem in artibus quàm in scientijs consultationi locus est. Quia quæ utplurimum ita eveniunt, & de quibus plus dubitatur, illa maximè in deliberationem cadunt. μᾶλλον γὰρ] At circa artes magis dubitatur quàm circa scientias, cum artium subiectum singulare infinitis modis variare possit; scientiarum verò subiectum vniversale vno modo se habens consideretur.

retur. E. συμβούλους] Hinc fit, ꝙ consultores quoq; adhibeam⁹, quando nobisipsis diffidimus, quod certè non fieret, si ea, quæ in deliberationem cadunt, non essent dubia & incerta.

59. βουλευόμεθα] Si verò deliberationis materiam considerauerimus secundum finem, certè de fine consultatio non suscipitur. Nam finem volumus tantum, atq; ita de eo non consultamus, vt ob id finis voluntatis, non deliberationis sit obiectum. ἀλλὰ] suscipitur ergò deliberatio de illis tantum, quæ ad finem pertinent, h.e. per quæ finem propositum assequamur. Sic namq; finem non vocat in consultationem Medicus, an sanare debeat: nec Rhetor, an persuadere debeat: nec Politicus, an bonis legibus ciuitatem informare oporteat: nec quivis alius artifex. Sed scopum duntaxat supponit, ad quem omnes suas cogitationes dirigat. Et quæ ad finem pertinere videntur, quivis artifex in consultationem vocat, per quænam & quomodo finem oporteat consequi.

Non de fine, sed de ijs, quæ ad finem faciunt, deliberatio instituitur.

Respectu formæ non vna idemq; est consultandi modus.

60. καὶ διὰ πλειόνων] Sequitur vt de Forma modoq; deliberandi agamus. Est a. forma deliberationis considerandæ quo-

Forma deliberationis quoad materiam.

ad eorum, quæ in deliberationem veniunt, tum materiam, tum efficientem & finem. Quoad materiam: si ea, per quæ finem consequi posse videmur, sunt numero plura; tum ζητεῖν & videre solemus, per quodnam istorum facilius & melius finem consequi possimus. δι' ἑνὸς] Si verò non sunt plura, sed unum aliquod, ἀναλύειν & videre oportet, quomodò finis per hoc vnum obtineri queat, & quia causa causam, tanquam lana lanam trahit, à quonam priore, veluti à causa pendeat hoc unum, & illud à quo tertio, & sic deinceps, donec ad primam causam finis acquirendi perveniatur, quæ in hac inventione ultima est. ὥσπερ] Quemadmodum enim Mathematici suas descriptiones inquirunt & retexunt: Ita qui consultat, à primo per media ad ultimum descendere consuevit.

Quid per ζήτησιν & ἀνάλυσιν hic intelligatur.

61. φαίνεται] ζήτησις autem generis locum obtinet & latius patet, quàm βούλευσις. Datur enim Mathematica ζήτησις, quæ tamen non est βούλευσις, atq; ita βούλευσις est species ζητήσεως. καὶ ἐπεὶ] Quoniam vero actionis gratia consultamus, idcirco consultatio ἀνάλυσις erit, actio verò

verò γένεσις : quodq; in ἀναλύσει, hoc est in consultatione ultimum est intentione, id primum est in γενέσει, ab eoq; actionis initium est faciendum.

62. κὰν μὲν ἀδύνατα] Quoad efficientem, utrum scilicet à deliberante fieri & obtineri possint nec ne, modus deliberandi hic est : Si deliberando incidimus in impossibilia factu, tunc cessat omnis cogitatio & conatus. v. g. Si pecunia sit opus, eiusq; expediendæ nulla ratio inveniri possit. ἐὰν δὲ] Si verò possibilia factu fuerint, tunc non cessat conatus, sed ad actionem revocatur. δυνατὰ] Sunt autem possibilia, quæ vel immediatè à nobismet ipsis fieri possunt, vel mediatè per amicos. Nam quorum agendorum principium in nobis est, ea à nobis fieri videntur. ἡ γὰρ ἀρχὴ] At quæ ab amicis nostro nomine fiunt, eorum agendorum principium in nobis est, propter studiorum & voluntatum paritatem. Idcirco ἑταίρους q. ἑτέρους αὐτοὺς appellari suprà diximus. E

Forma deliberationis quoad eorum quæ in deliberationem cadũt, causam efficientem.

63. ζητοῦται] Ea deniq; quæ ad finem consequendum faciunt, investigamus, in genere quidem, quia actioni conferunt, in specie verò, quia pertinere videntur,

Forma deliberationis, quoad eorum quæ

in deliberationem cadunt, finem.

dentur, vel ad actionis efficientem instrumentalem; Sic ergò quando instrumentum non adest, eius acquisitio spectatur, v. g, an pecunia ad bellum gerendum comparanda sit. ἡνικά] Quando verò adest, eius usus quæritur. Vt pecuniane hostes corrumpendi, an milites conscribendi: ὁμοίως] vel ad actionis efficientem principem. v. g. Qui milites & Imperatores sint deligendi. ἢ πῶς] vel ad ipsam formam, qua arte aut quo instrumento (διαζεύξεις) sint socij parandi, pecuniane, an persuasione, an coactione.

προαίρεσιν esse ἑκούσιον 1. Ratione efficientis.

64. ἔστι δ' ἡ] Hactenus rudis definitionis τῆς προαιρέσεως differentiam, nempe ἡ προβεβουλευμένον explicuimus: nunc ipsius quoq; genus, nempe quod προαίρεσις sit ἑκούσιον, cùm ratione efficientis, tum ratione subiectæ materiæ; & formæ adhuc explicabimus. Ratione igitur efficientis homo est ille, qui deliberat & consultat, ea sui parte, quæ discurrere potest, & propterea principium actionum in seipso habere dicitur, sicuti etiam supra ἑκούσιον definivimus, cuius principium sit in eo qui agit, vel secundum rationem, vel secundum appetitum.

65.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0212
DFG

65. ἡ δὲ βουλὴ] Ratione materiæ προαίρεσις in ijs versatur, quæ in nostra sunt potestare, vt ea faciamus, vel non faciamꝰ. Sic consultatio propter actiones instituitur: αἱ δὲ] actio verò ad finem dirigitur. οὐκ ἂν] Quæ igitur in nostra non sunt potestate, quorumq́; principiũ in nobis nõ est, in ijs non versatur προαίρεσις. Itaq; de fine non deliberamꝰ, sed eo supposito, quibꝰ medijs obtineri queat, consultamꝰ. οὐδὲ] Res quoq; singulares in deliberationẽ non venire sic ꝓbatur: Nemo de ijs, quæ sub sensum cadunt, quatenus sub sensum cadunt, deliberat, sed sensu illa cognoscit & apprehendit. αἰσθήσεως] At singularia sub sensum cadunt. οὐδὲ δὴ] E. de singularibus nemo deliberat. ὅιον] v. g. An hoc sit panis, aut sitne ita pistus ut oportet. εἰ δὲ ἀεὶ] 2. Si de singularibus sub sensum cadentibus deliberatio institueretur, semper consultandum esset, & abiretur in infinitum, quia singularia sunt infinita. At progressus in infinitum non datur neq́; in Eth. neq; in Physicis. E.

2. Ratione materiæ.

66. βουλευτὸν] Ratione formæ, sicuti ἡ βουλευτὸν est ἑκούσιον, ita etiam ἡ προαίρετον est ἑκούσιον. Atq; in eo conveniunt ἡ βου-

3. Ratione formæ.

βουλευτὸν & τὸ προαιρετὸν. πλὴν] Interim tamen differunt vt confusum à distincto, definitum & decisum ab indefinito. τὸ βουλευτὸν enim est id, de quo consilium capitur: τὸ προαιρετὸν verò illud, de quo consilium captum est, h. e. quod consultatione adhibita alijs fuit præpositũ. Differunt ergò evidentia, perfectione & tempore, quod βούλευσις prior, προαίρεσις posterior est, illa imperfecta, hæc perfecta. Id enim quod in inquisitione & consultatione vltimum est, τὸ προαιρετὸν dicitur, & actio ipsa προαίρεσις. καὶ ὅλως] Atqui consultando principium agendi ad seipsum reducere, & ad eam sui partem, quæ princeps est, & affectibus imperat, & cuius proprium munus est, προαιρεῖσθαι, h.e. ad rationem, id in inquisitione & consultatione vltimum est, & tunc cessat omnis inquisitio. τὸ γὰρ] E. hoc ipsum τὸ προαιρετὸν erit, & actio ipsa προαίρεσις. ὅλως] Quemadmodum enim in veteribus Rebusp. reges cæteris dormientibus pro salute Reip. excubant, & quid agendum sit consultant, consulta populo exequẽda proponunt. Ita hic quid factu sit optimum, princeps ratio videt, & quid faciendum sit,

inferio-

inferioribus animæ potentijs, tanquam famulis & miniſtris præcipit.

Perfecta definitio προαιρέσεως colligitur ex coniugatis.

67. ὄντος δὲ] Ex ſuperioribus iam colligitur perfecta definitio προαιρέσεως. Si enim τὸ προαιρετὸν eſt βουλευτὸν ὄρεκτὸν τῶν ἐφ' ἡμῖν, certè προαίρεσις etiam erit ὄρεξις βουλευτικὴ τῶν ἐφ' ἡμῖν. Conſulta expetitio eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate. Sed verũ prius E. & poſterius. ἐκ τοῦ] præcedit n. βούλευσις ſive conſultatio, ſequitur προαίρεσις, quæ ex plurimis in deliberatione venientibus id, quod melius eſſe videtur, eligit, & obtinere deſiderat.

CAP. IV. Connexio.

68. Explicata τῆς προαιρέσεως definitione, duæ adhuc quæſtiones ex ſuperioribus ortæ, quarum altera eſt de fine voluntatis, altera de ijs quæ ad finem conſequendum pertinent, reſtant explicandę.

Dubium.

69. ἡ δὲ βούλησις] De fine igitur voluntatis, quem βουλητὸν appellant, ambigitur, utrum voluntati id bonum obijciatur, quod revera tale eſt, an illud quod per ſe quidem bonum non eſt, ſed alicui tale videtur tantum, an vero utrumque. Diſcrepantes enim ea de re ſunt Academicorum, Stoicorum, & Peripateticorum opiniones.

70. συμβαίνει] Sed Stoicorum opinionem,

Explicatio dubij ἀποφατικῶς.

nem, quæ & Platonis fuisse creditur, qua id tantum bonum voluntati obijci existimatur, ꝙ revera & sua natura est bonum, meritò improbamus, cum indè sequatur, id quod improbus vult, aut ipsum non velle, aut si velit, id etiam re ipsâ bonum esse, quia id tantum aliquem velle arbitrantur, quod revera bonum est. Atqui absurdum est dicere, improbum id quod vult, non velle, cum sit implicatio contradictionis. ἦν δὲ] Et quatenus improbus est, & ut improbus vult, non vult id quod revera bonum est, ita enim non esset improbus, sed vult id, quod opinione ipsius bonum est, revera autem malum. E.

Academicorum opinio refutatur.

71. Τοῖς δ'] Academicorum quoq; qui non revera bonum, sed quod opinione bonum est, pro voluntatis obiecto habent, error inde fit manifestus, quod ijs datis, nihil sit sua natura exoptabile, sed apparenter duntaxat & opinione, & sic nulla erit certitudo, sed aliud alijs erit bonum, sæpe etiam homini diversa & contraria erunt bona. Sic intemperans Venerem damnosam sequitur. At nullam in bonis esse certitudinem, & vnum idemq; eidem homini simul bo-

num

num esse atq; malum, dicere perquam absurdum est. E.

72. ἀ λ] Veram itaq; Peripateticorum statuimus esse sententiam, utrumq; bonum tàm revera bonum, quam apparens bonum voluntati hominis subijci asserentium. ῷ μὲν] Viro enim bono bonum est, quod simpliciter & sui natura & semper bonum est, vt est honestum & beatitudo ipsa. ῷ δ λ] Improbo autem bonum est id, quod ipsi apparet bonum esse, neq; hoc semper eidem est idem, sed pro cupiditate eius aliud atq; aliud. *Peripateticorum opinio vera.*

73. ὥσπερ] Quemadmodum enim salubria sano videntur, quæ revera & semper talia sunt, ægro autem neq; ea quæ revera neque eadem semper videntur esse. ὁμοίως] Dulcia quoq; & amara, calida & frigida, gravia & levia pro varia corporis dispositione nunc hoc nunc illo modo se videntur habere. v. g. Mel sano dulce, icterico amarum. Ita quoq; viris bonis, qui in rebus judicandis veram mensurã ac regulam rerum omnium & veritatis magistram rectam scilicet rationem adhibent, nihil bonum apparet, nisi idem sit verè bonum. καθ' ἑκάστην *Confirmatur similitudine à corporis sẽsu ad mentem translata.*

Boni id quod verè bonum est, vident.

ἑκάστην] Qualis enim viri boni est habitus, tale etiam eius erit iudicium. καὶ διαφέρει] At viri boni habitus est rectus, cum recta nitatur ratione, quæ est mensura rerum omnium, quia tales esse res existimat quales revera sunt. ἀπλῶς] E. viri boni judicium quoq; rectum erit in bono & malo judicando.

Improbi id quod malum est tanquam bonum sequuntur.

Improbis verò, quicquid aliqua voluptate tinctum est, bonum est, licet sua natura malum sit. Qualis enim est improbi habitus, tale eius est judicium. τοῖς πολλοῖς] At improbi habitus vitiosus corrupta ratione à voluptate, quæ cum bona non sit, boni tamen speciem habet. ἀμφοῦν] E. improbi quoq; judicium est vitiosum, vt verum bonum ab imaginario dijudicare nequeat, sed voluptatem simpliciter & indistincte vt bonum sequatur, dolorem verò uti malum fugiat.

CAP. V. *Explicatio alterius quæstionis.*

74. Sequitur altera quæstio, de ijs quæ ad finem tendunt, expedienda, nempe de actionibus virtutum & vitiorum ac de ipsis quoq; habitibus bonis & malis, vtrũ sint ἑκούσιοι an verò ἀκούσιοι. Quamvis autem Plato virtutum quidem actiones & habitus spontaneos esse concedat,

cedat, sed vitiorum neget. Nos tamen omnes actiones tàm malas quàm turpes in nostra esse potestate, & ex harum assiduitate similes habitº malos nempè vel bonos contrahi liquidò affirmamus.

Virtutis habitum esse spontaneū.

75. ἄνθ- δὴ] Bonum igitur voluntatis habitum esse spontaneum sic probatur. Quæcunq; actiones & subiectū & finem habent spontaneum, ipsæ quoque spontaneæ sint necesse est. αἱ δὲ τοῦ] At actiones virtutum subiectum & finem habent spontaneum. Finem n. volumus. Subiectum autem ad finem pertinens consultando eligimº. Ε. ἐφ' ἡμῖν] Inde sequitur: Si actiones virtutum sunt spontaneæ, ipsum quoq; virtutis habitum esse spontaneum & in nostra potestate situm, quippe cum ex actionibus laudabilibus suum trahat ortum.

Vitiositatis habitū esse spontaneū probatur itidem ex universalis actionum naturâ.

76. ὁμοίως δὲ] Vitiositatis quoq; habitum esse spontaneum hoc syllogismo confirmatur. ἃ δ' ἐφ' ἡμῖν] Si in nobis est facere item non facere honesta & turpia, & si hoc est probos esse & improbos, quoniam habitus similibus actionibº & comparatur et declaratur; utiq; in nobis quoq; erit habitus laudabilis virtutum & vituperabilis vitiorum,

atq;

atq; ita nostri quoq; arbitrij erit, vt probi simus & improbi. Atqui in nobis est facere item non facere turpia & honesta, & hoc ipsum est probos esse & improbos. E. in nobis quoq; erit, vt habitum non tantum virtutis, sed & improbitatis comparemus, & ex eo habitu vel boni simus vel improbi.

77. Minor propositio huius principalis syllogismi sic probatur: ὡς εἰ τὸ πρᾶττειν] Si honesta facere in nobis est, quod quidem est laudabile, etiam non facere honesta, quod est vituperabile, est in nobis. καὶ εἰ τὸ μὴ πράττειν] & si turpia non facere, quod est laudabile, est in nobis, etiam facere turpia, quod est vituperabile, est in nobis. Sed verum est prius omnium opinione, ϕ nempè in nostra potestate sit id, quod laudabile est, nimirum & honesta facere & turpia non facere. E. verum quoq; est posterius, quod videlicet in nostra etiam potestate sit id quod est vituperabile, nimirum honesta non facere, & turpia facere.

78. Consequentia maioris propositionis huius Prosyllogismi sic probatur. ὧν γὰρ ἐφ' ἡμῖν] Quarumcunq; actionum potestas in nobis sita est, vt eas designemus,

mus, earum quoq; potestas in nobis sita est, vt non designemus: & quarum potestas in nobis sita est, vt non designemus, earum quoq; actionum potestas in nobis sita est, vt eas designemus. Potentia n. aptitudinem ad utrumque contrarium denotat. Id namq; posse dicitur, quod contrarium potest. v. g. possum scribere, ambulare, possum non scribere, non ambulare, prout volo. Ignis autem proprie non dicitur posse urere, quia non potest non urere, sed unum duntaxat effectum ex necessitate producit. Sic lapidem non dicimus posse non loqui, cum contrarium non possit nempe loqui. Loqui enim & non loqui sunt contraria. Si igitur lapis hoc posset, posset & illud, sicuti homo, qui pro arbitrio suo potest loqui, & potest non loqui, potest agere, & potest non agere, atq; ita potest agere turpia, & potest non agere turpia, potest agere honesta, & potest non agere honesta. Atqui Plato & ipsius assecłæ concedunt actionum laudabilium potestatem in nobis esse, vt eas designemus, nempe vt agamus honesta, & turpia non agamus. E. etiam vituperabilium actionum potestas

testas nobis inerit, turpia scilicet agendi & honesta non agendi.

79. ὃ δὲ λέγειν] Hæc igitur Platonicorũ opinio, quam hoc senario (οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ) exprimunt, in eo vera est, q̃ fateantur, neminem invitũ effici beatum, sed falsa est, quatenus dicunt, neminem sponte improbum effici. Vitiositatem n. sponte nostra contrahi, duobus probari potest argumentis. εἰ γὰρ] 1. Si vitiositas sponte nostra non contrahitur, homo non erit principium actionum, h. e. actiones non essent in hominis potestate, vt posset agere & posset non agere. εἰ δὲ ταῦτα] At consequens falsum, si modo ea, quæ paulò ante diximus vera sunt, vt certè sunt, quippè cum nemo de ijs dubitet. E. ἀρχὴ καὶ ἀρχαὶ] 2. arg. ferè idem cum priore. Quarum rerum principia & causæ nobis insunt, illæ in nostra sunt potestate. εἰ δὲ] At vitiositatis principia nobis insunt, vt antè ostendim⁹. E. 80. τοιοῦτοις] Actiones autem ex quib⁹ vitiositas contrahitur, spontaneas esse ostendit animadversio illa, quæ institui solet erga vitiosè agentes tum publicè, tum privatim. Primum igitur actiones vitiosas

Improbitatem esse spontaneã, quia exactionũ vitiosarũ assuetudine comparetur.

Actiones vitiosas spõtaneas esse ostendunt supplicia publica in facinerosos

vitiosas spontaneas esse, ex eo liquet, & propter eas homines improbi publicè castigentur, & supplicijs afficiantur. καὶ τοὺς πρὸς ὅσα] Ad ea, quæ in nostra non sunt potestate nullus legislator cohortabitur, neq; ab ijs, quæ in nostra non sunt potestate, dehortabitur. ὡς καδὲν] Quemadmodum n. frustra quis homini persuadeat ea non pati, quorum perpetiendorum potestas in ipso non est sita v. g. non calere febricitanti, non dolere ei qui uritur, vel secatur, non esurire famelico: Ita etiam frustra quis hominem hortetur ea agere vel non agere quorum potestas in homine non sit sita. κολάζουσι] Atqui legislatores eos, qui res flagitiosas atq; improbas committunt, castigant, supplicioq; afficiunt, si modo non per vim aut per ignorantiam, quæ ipsorum culpâ contracta non sit, admiserint: eos autem qui res honestas & præclaras gerunt, præmijs & honoribꝰ ornant. Atq; ita hos ad virtutem cohortantur, illos autem à vitijs deterrent. E. actiones honestæ simul & inhonestæ in nostra sunt potestate.

81. καὶ γὰρ ἐπ' ἀνθρ] Quamvis n. nonnulli ignorantes videantur agere, tamé

Ignorantia affectata nō excusat.

quia huius ignorantiæ ipsi sibipsis autores sunt, idcirco tanq̃ sponte agentes jure puniuntur à legis latoribus. Est n. illa ignorantia spontanea, quæ actionē minimè invitam efficit, quippe cum ex ea ignorantes quidem, sed non p ignorantiam agere dicamur. οἷον τοῖς] Hinc Pittacus ebrios duplici pœna afficiebat, tum q̃ peccassent, tum q̃ vino se ingurgitassent, & ignorantiæ suæ sibiipsis fuissent causæ. Quorum n. peccatorum principium in nobis est, ꝓpter ea meritò castigantur. ἡ γὰρ ἀρχὴ] At horum quæ ebrij designant, principium in ipsis est. Poterant n. à vino abstinendo ebrietatē vitare, & per consequens, facinꝰ illud, q̃ ebrij designarunt. E. facinora quæ designant ebrij, meritò castigantur.

Ignorantia Iuris.

82. καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας] Præterea legislatores quoq; in eos animadvertunt, qui ignorant id, q̃ scire debebant & poterant vel ex instituto hominū cùm particulari, nempè aut ex jure scripto, aut non scripto, seu consuetudine, q̃ ab eo qui alicuius Reip. civis est, nec ignorari debent, nēc si vel mediocrem adhibeat diligentiam, ignorari possunt; tum universali, quod jus gentium vocant, vt si ignoret legatos non esse violandos: vel

Naturæ ductu, quod ius naturale vocãt, vt ꝙ liberi educandi, ꝙ parentes honorandi. ὅσα δι' ἀμέλειαν] Illa n. ignorare arguit ſupinam quandam negligentiam. Poterant n. ſibi, vt diligentiam adhiberent, imperare. Cæterùm alijs dediti ſtudijs, ea quæ minimè oportebat, neglexerint.

83. ἀλλ' ἴσως] Si quis verò obijciat: Qui improbitatis habitum contraxerunt, diligentiam adhibere nequeunt, licet maximè velint, nec videre poſſunt, quid agendum ſit, præoccupati iam à vitioſo habitu judicium mentis corrumpente: Atq; ita nolentes improbè videntur agere, & ꝙ conſequens venia potius & excuſatione, quàm pœna & ſupplicio digni eſſe. Ei reſpondendum eſt, illos omnino ſpõte agere, & ſupplicio dignos eſſe, quia vitioſitatis huiꝰ à qua, ne diligentiã adhibere poſſint, impediuntur, ipſi ſibimetipſis autores fuerunt. Etenim improbitatis habitus, antequam contrahatur, in poteſtate eſt noſtra, vt eum vel contrahamus vel non contrahamꝰ. Itaq; cur tales evadãt, ipſi in cauſa ſunt, quoniam diſſolutè & negligenter viuũt, & cur injuſti & intemperantes evadãt,

Obiectio.

Reſponſio.

Habitus antequã contrahatur, in noſtra eſt poteſtate.

causam in seipsis habent, propterea ꝙ hi in crapula, illi in maleficijs ætatem consumunt.

Habitum sponte contrahunt, quia actionibus habitum comparari sciunt.

84. αἱ γὰρ περὶ ἕκασα] Id ꝙ etiam hac ratione probatur: ὁ δὲ μὴ ἀγνοῶν] Si quis sciens eas res agit, quib⁹ evadat iniustus, is certè sua sponte iniustitiæ habitum contrahit. At qui iniuste agunt, sciunt hisce actionib⁹ habitum iniustitiæ comparari. E. Minor sic probatur. Quod semper fit, id nemo sensu prædit⁹ ignoraverit. αἱ γὰρ περὶ ἕκασα] At ex actionibus assiduis habitus semper contrahitur. Quod ex ijs quoq; perspicuum esse potest, qui se in quovis certamine aut actione exerçent. ὁ μὲν οὖν] E. ex actionib⁹ contrahi habitum, nemo ignoraverit sensu præditus.

Qualia quis tractat talibus etiã delectatur.

85. ἔτι] Deinde cum qualia quisq; tractat, talibus etiam delectari videatur, absurdum esset, si dicerent, se invitos intemperantes aut iniustos esse, ideoq; honestis rebus non posse operam dare. Qui enim vult causam alicuius effectus, is effectum ipsum velle videtur, & qui volens obit actiones, habitum quoq; ex actionibus illis provenientem velle videtur.

86.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0226
DFG

86. οὐ μὴν ἐάνγε] Et quamvis etiam habitus, posteaq̃ contractus fuerit, non amplius sit in nostra potestate, vt eum deponamus: Nihilominus tamen voluntarius est, quia tum, cum contraheretur, à volentibꝰ contractus est. Quẽ admodum n. corporis morbi, quando volueris, deponi nont possunt, cum tamen illorum plurimi sint voluntarij, vtputa intemperantiâ contracti, & quemadmodum ille, qui lapidem proijcit, non statim potest retrahere, licet liberam antea habuerit voluntatem nó proijciendi. οὕτω δὲ καὶ] Ita quoq; morbꝰ & affectio animi vitiosi, nempe vitiositas, v. g. Iniustitia, Intemperantia, vbi semel contracta est, abijci nequit, nisi post longum tempus, & assiduam bonarum actionum assuetudinem, cuius ipsius tamen contrahendæ potestas in nobis fuit.

Habitus iã contractus licet difficulter deponi posit, nihilominꝰ tamen voluntarius est.

87. οὐ μόνον δὲ] Actiones esse voluntarias hactenus demonstravimus ex pœnis & supplicijs, quibus improbi publicè afficiuntur. Nunc verò idipsum constat etiam ex reprehensione, quæ privatim fieri solet. ἐπὶ δ' οὕτω] Quemadm. n. se res habet in corporis affectionibꝰ; ita etiã

Actiones vitiosas sp̃taneas esse, quia propter eas improbi priuatim reprehendũtur.

in ægritudinibus animi rem se habere probabile est. τῶν δὲ] At in corporis affectionibus propter ea vitia, quæ sponte sunt contracta, reprehenduntur, propter ea autem, quæ sponte non sunt contracta, non reprehenduntur. Deformes n. naturâ vel casu nemo sanæ mentis reprehendit, sed eos tantum, qui heluationibus & crapula, atq; immodica libidine sibi deformitatem & & morbos contrahunt, vt podagricos, aut defluvio capillorum gallico laborãtes. E. animi quoq; ægritudines propria culpa contractæ reprehensionem merentur priuatam, tùm politicè civium, amicorum; tùm œconomicè coniugum parentum, dominorum.

Alia obiectio.

88. ἀ δέ τις λέγοι] Porrò obijcitur, quemlibet id agere, q̃ bonum esse putat: sed vt alicui verum bonum appareat, penes ipsum non esse. Tale n cuiq; apparet, qualis est animi iudicantis habitus, qualeq; eius ingenium. Sed hæc obiectio hoc modo confutari potest: ἀ μὲν οὖν] Si habit⁹ cui⁹ cunq; contrahendi sibi quisque autor est, erit etiam quisque autor contrahendæ visionis, seu cognitionis, h.e. vt hic vel ille finis ipsi arrideat. At

Confutatio

unus-

unusquisq; sibi autor est contrahendi cuiuscunq; habitus tam vitiosi quam boni. E.

89. Hæc minor propositio bifariam declarari potest, nempe vel ex adversariorum affirmatione vera, virtutem sponte contrahi, vel negatione falsa, improbitatem sponte non contrahi. Ex illorum igitur negatione falsa, veram eorundem affirmationem tolli hinc patet: *Si vitium non est in nostra potestate, neq; virtus erit, quod est absurdum.*

ἐὰν δὲ ταῦτ' ἐστὶν] Si vitium in nostra non est potestate, neq; virtus erit. Est n. eadem utriusq; habitꝰ ratio. ἀμφοῖν] Nam & finis appetitio vtrobiq; vel Naturâ ingeneratur, vel consuetudine comparatur, & ea, q̄ ad finē pertinent, consequenter ex fine ipso diriguntur. Nā bonæ & malæ actiones ex boni & mali finis appetitione ꝓmanāt. ὁ δὲ μοχθηρὸς] Malè n. quis agit, ex eorum opinione, non sponte, sed ignoratione boni finis. Nam putat his actionibus finem, quem ipse bonum putat esse, cum revera sit malus, obtineri posse. ἡ δὲ τοῦ τέλους] Atqui finis appetitio, non voluntatis sed naturæ est, rectum vel perversum iudicium veluti mentis oculum ingenerantis. Sic n. aliquis erit ἰνφρὼν, cui acies ista rectè constituta est Naturæ beneficio. ἡ γὰρ μίγισον]

cuiq; ea q̃ p̃stantissima sunt & pulcherrima domi nascũtur, vt op⁹ non habeat ea aliundè mutuari. At ꝙ Naturâ ingenerat in nostra non est potestate. E. secundũ opinionẽ illorũ bon⁹ & mal⁹ habit⁹ in nostra non est potestatè, ꝙ tamẽ secundum illos, atq; etiam secundũ veritatem est falsum.

Si virtus est in nostra potestate, etiam vitium erit in nostra potestate.

90. εἴτε δὴ τὸ τέλος] Ad eundem quoq; modũ ex illorũ affirmatione vera, falsã eorundẽ negationẽ tolli, sic ꝓbatur. Si virt⁹ spontanea est, vel quia finis appetitio non tam naturâ est insita, q̃ voluntate cõparata, vt nos verè sentim⁹, vel quia naturalis est; etiam vitiositas erit spontanea. ὁμοίως γὰρ] Nam vitiositas quoq; etiamsi non quoad finis appetitionem, certè tn. quoad actionum ad finem ꝑtinentium designationem, in nostra potestate videbitur esse. εἰ οὖν] At virtus spotanea est, καὶ γὰρ] quia habitũ virtutis actionib⁹ honestis comparam⁹, quo cõparato finẽ similẽ appetim⁹. καὶ αἱ κακίαι] E. vitiositas etiam erit spontanea. ὁμοίως γὰρ] Nam vt sup. dictũ est, lib. 2. cap. 1. 2. vitiosi reddimur vitiosè agendo, & vitiosi redditi, non possum⁹ non vitiosum finem eligere.

91.

91. κοινῇ μὲν οὖν] Hucusq; de virtutibus in genere, quod sui ambitu omnes species comprehendit, proximis hisce duabus disputationibus, prout instituti ratio postulabat, disseruimus, nempe præcedenti disputatione ex libri secundi cap. 6. & 7. eas esse mediocritates, & cap. 5. eiusdem libri esse habitus: Et à quibus rebus gignuntur ij habitus, etiam easdem ab ijs promanare, ex capite 1. 2. 3. & 4. secundi. Nam qui virtutis habitu præditus est, is in bonis actionibus assiduè versari potest. Idq; per se, non per accidens. Actiones n. bonæ ab habitu bono per se, vti radij à sole, vti fructus ab arbore, promanant. Deniq; in hac disputatione ex tertio libro, habitū esse in nobis sitos, & nostra sponte suscipi, & ita vt recta ratio practica præscripserit.

Ἀνακεφαλαίωσις eorū quæ de virtute hactenus dicta sunt κοινῇ.

92. οὐχ ὁμοίως] Sed aliter actiones sunt spontaneæ, aliter habitus. τῶν μὲν γὰρ] Etenim virtutis actiones spontaneæ dicuntur, quoniam illæ à principio usq; ad finem in nostra sunt potestate, quando rerum singularium, circa quas versamur, cognitionem habere possumus exactam, secundum omne genus causa-

Quomodo actiones sint spontaneæ.

Quomodo habitus sint spontanei.

rum, quas sup. th. 32. recensuimus. τῶν ἑκόντων] Habitus autem spontaneus dicitur propter principium ipsum. ὥσπερ] Quemadmodum n. morbi contrahendi principium in nobis est, v. g. podagræ lippitudinis oculorum ex crapula. At postquam contractus est, non ita facilè deponitur. ἀλλ' οὐ] Ita etiam habitus bonus vt contrahatur, in nostra est potestate & spontaneus propter actiones singulares, quæ in nostra sunt potestate, ex quibus habitum similem contrahimus. Sed postquam contractus est habitus, non est in nostra potestate amplius illum, quando volumus, deponere. τῶν κατάπαυσιν] sed actiones bonas designamus, non cognitione singulari & bonæ sint persuasi, sed habitu per assiduitatem benè agendi comparato inducti. Vt enim improbus non ignorantia singulari, sed vniversali ignorantia laborat: Ita vir probus non scientia singulari, sed vniversali probus est.

THE-

THEMATA

DE FORTITVDINE ET TEMPERANTIA.

Respondente

PETRO BOETHIO V. Holsat.

CAP. VI. Continuatio.

1. Ἀναλαβόντες] Quæ de morum virtute in vniversum disputari debuerunt, ea superioribꝰ disputationibus magna ex parte pertractavimus. Nunc deinceps singularum virtutum specialem explicationem σὺν θεῷ subiungemus, atq; adeò in hac συζητήσει præceptoris nostri vestigijs insistentes omnium primum de FORTITVDINE agemus, ac deinde de TEMPERANTIA.

Omnes virtutes aliquo modò de principatu contendunt.

2. Quamuis autem vnaquæq; virtus peculiari quadam ratione suam habeat dignitatem, eamq; eminentissimam, vt singulæ de principatu inter se meritò contendere possint, & quod in ijs summopere mirandum est, quo magis de principatu contendunt, eo arctius & flagrantius se invicem amplectantur & diligant: Non tamen sine ratione in earum explicatione Fortitudinem primum accepisse locũ ab Aristotele summo ordinis ac Methodi in artibus ac disciplinis artifice existimandum est.

Fortitudo cur primũ locũ obtineat.

3. Namq; primum ei locum assignasse videtur Aristoteles, non tantum, quia generis sui, de quo hactenus est disputatum, nomen persæpè retinet, & καθ' ἐξοχὴν ἀρετὴ seu virtus, & aliàs, quod viro maximè conveniat, & verè mascula sit virtus, ἀνδρία propriè nuncupatur: verum etiam, quia circa materiam difficilimam maximeq; arduam versatur, & ob id priscis illis temporibus tanto in precio fuisse constat, vt in quibus ea maior videretur, illos & Heroes vocarent, & veluti semideos venerarentur.

Definitio fortitudinis.

4. δὴ μὲν οὖν] Cum autem Fortitudo formaliter definiatur esse μεσότης περὶ φόβους καὶ θάῤῥη, h. e. mediocritas, quæ in metu & confidentia vertitur, eius natura eò melius innotescet, si istius definitionis singulas partes σωματικῶς & breviter declaremus, & primùm differentiam à subiecto sumtam.

Fortitudo duorum affectuum moderatrix.

5. Duo n. sunt affectus, quorum moderatrix est Fortitudo, metus videlicet & fiducia. Ille ab agendo deterret, hæc ad agendum invitat. Nam quæ nocitura videntur, metuimus naturaliter & declinamus; quæ verò bona sunt, ea appetimus.

6.

6. Fortitudo igitur metum, qui recessum quendam animi, & tanquam fugã habet, sedabit, & fiduciæ legem statuet, ne plus æquo fiat animosior, & à recto recedat.

Fortitudo quomodo moderetur affectus.

7. Quia verò τὸ φοβερὸν seu formidabile obiectum est externum, quod φόβον seu terrorem incutit; & τὰ θαρραλέα sunt ea, quæ extrinsecus τὸ θαρρεῖν, id est, fiduciam in nobis excitare possunt; utrumq; considerandum est, vt ita quid & quomodo metuere, & in quibus & quousq; confidere conveniat, videamus.

Obiecta fortitudinis externa.

8. τὸ φοβερὸν autem dupliciter potest considerari, cum simpliciter & per se ex naturâ ipsius rei, tùm respectu personarum. ταῦτα δὴ] Si ergò simpliciter & per se ex naturâ ipsius rei consideraverimus τὰ φοβερά, rectè profectò & naturaliter, quæcunq; nocendi vim habent metuuntur. Quæ autem nocendi vim habent, mala sunt. Atq; ideo omnia mala, siue animi, siue corporis, siue fortunæ sint, metum incutiunt. Unde metum definiunt προσδοκίαν κακοῦ, expectationem mali.

τὸ φοβερὸν bifariam explicatur. 1. simpliciter.

Mala non unius sunt generis.

9. ἀλλ' οὐ] Mala autem non unius sunt generis. Quædam enim graviora sunt, quædam

quædam minus gravia. Et vt bonorum quædam per se expetenda sunt, quædam propter aliud: Ita malorum quædam fugienda per se sunt, quædam per accidens.

Mala per se fugiēda.

10. Mala per se fugienda sunt animi mala, Ignorantia scilicet & Improbitas: ἴνια] quæ honestum est metuere, & ni metuantur, turpe & flagitiosum ducimꝰ. Quinimò cum hęc mala ipsa morte sint graviora, quia æternæ mortis sunt ianua, tantopere declinanda sunt, vt mori præstet, quàm hanc & æternam infamiam propter ea subire. ὁ μὲν γὰρ φοβούμενος] Qui igitur hanc infamiam, quæ vitiositatem consequitur, moderatè metuit, ἐπιεικὴς dicitur & αἰδήμων, cum pudor virtutis vel anteambulo sit vel pedissequus. ὁ δὲ μὴ] Qui autem illam minus metuunt, quam oportet, ij ἀναίσχυντοι impudentes appellantur, quamvis fortè à vulgo, qui pessimus est cum dicendi tum sentiendi autor, etiam fortes dicantur, quod vt verè fortes mortem non metuunt, ita nec illi metuant ignominiam, atq; ita inter se convenire videantur in eo, quod non metuant.

11. κατὰμ] Per accidens mala sunt corporis

poris & fortunæ mala, quæ vel malorũ animi instrumenta sunt, vel bonorum impedimenta. vt ægritudo & paupertas non nostrâ sed alienâ culpâ contracta, quæ idcirco non sunt metuenda. οὐδ'] Ergo qui paupertatem non metuit, is proprie non dicitur fortis, sed potius liberalis, licet κατ' ὁμοιότητα & improprie etiam fortis dicatur. Non esse autem fortem, ita probari potest: contrarij habitus in eodem esse nequeunt, v.g. timiditas & fortitudo, ἐνίοι γάρ] At timiditas bellica propriè dicta (quæ veræ fortitudini contraria est) & confidentia in divitijs spernendis, in unum eundemq; cadere possunt hominem. E. timiditas bellica & divitiarum contemtus non sunt contrarij habitus, & per consequens divitiarum contemtus non est fortitudo.

Mala per accidens, quorum causa est incerta.

12. οὐδὲ δή] Ad eundem quoq; modum, quæ nobis nostrisq; dolo aut vi aperta inferuntur, ut stuprum, calumnia, verbera, exilium, &c mala sunt per accidens. Qui igitur ea metuit, timidus propriè non est, οὐδ' ἐὰν λαμβάνῃ] vt neq; fortis appellationem propriè meretur, qui magno & excelso animo ea perfert,

Mala per accidens, quorum causa est certa.

13.

Malũ ſummum, quod hominem omnino tollit.

13. Deniq; malum aliquod eſt omniũ terribiliſsimum & extremum omnium malorum, quod non tantum τὸ εἶναι, ſed etiam ipſum εἶναι hominis & ipſam vitam tollit, mors ſcilicet. Sublato n. τῷ εἶναι, τὸ εἶναι ſupereſſe non poteſt. Et cum vita ſit primum bonum & reliquorum bonorum veluti baſis; Mors certè reſpectu ipſius vitæ, quam omnino tollit, ſummum malum, & propterea ſummè etiam metuenda eſt. Si tamen ipſi naturæ primogenium inſtinctũ ſpectaueris, quæ vitioſitatem, vtpote Deo contrariam ſummum malũ eſſe dictat, quia in locum ſummi boni, nempè imaginis Dei ſucceſſit, improbitas maius malum exiſtit morte. Cæterum poſteaquam Protoplaſtus peccavit, peccato poſito, mors intravit in orbem terrarũ, & ſicuti peccatum reſpectu Dei ſummum fuit malum: ita ſtipendium peccati videlicet mors reſpectu hominis, ſũmum extitit malum. Itaq; ſi malorum principium ſpectes, Improbitas: ſi malorum exitum, Mors ſummum malum cenſeri debet.

Quomodo improbitas & quomodo mors ſummũ ſit malum.

Fortitudinem in ſũmo malo

14. περὶ ποῖα] Fortitudinem igitur circa malum horribiliſsimum nempè circa Mortem verſari, hoc ſyllogiſmo oſten-

ditur: περὶ ποῖα] Circa summum malũ summa versatur Fortitudo. οὐδὲν γὰρ] Nulla n. alia virtus est, quæ res formidulosas & asperas patientius ferat. φοβερώτατον] Atqui mors est summum malũ & maximè formidandum. πέρας γὰρ] quia mors est veluti colophon omnium malorum, quoad hanc vitam, cum mortuo nihil amplius videatur bonum esse vel malum. E.

nempè in morte spectari.

15. δέ γε] Sed mortis etiam non vnum est genus, ac propterea non circa omnẽ mortem versatur fortitudo. Nam mors illa, quam necessitate coactus v. g. à magistratu captus perfert, & quam alicui necessitas vel naturalis vt morbus, vel fortuita, ut ruina aut naufragium, adfert, pulchra non est, cum pulcri causa non perficiatur. Itaq; fortitudo versatur duntaxat circa illam mortem, quæ ἐν μεγίσῳ καὶ καλλίσῳ κινδύνῳ in maximo & pulcherrimo periculo, nempè in bello oppetitur. Hanc n. multò pulcherrimã esse mortem, docet suo exemplo Horatius, qui cum rescindi pontem juberet, intelligebat certè quid ageret, sed charitas tamen patriæ, vt Cicero ait, ac nobilitas mortis & gloria eripiebat omnem

Mors pulcherrima, quæ in bello pro patria oppetitur.

omnem animo vulnerum atq; aquarum metum. Idem docent infiniti alij fortissimi viri, qui cum p patria, & Reip. salute occumbere non sunt veriti, in æternum adhuc post fata per gloriam vivere intelliguntur.

Honores exhibẽtur ijs, qui pro salute Reip. moriũtur.

16. ὁμολογοῖ] Et verò florentissimæ vrbes, populiq; rectè instituti, & Reges præclari quibus laudibus quantaq; gloria virorum fortium obitus sint prosecuti, illud sanè docet, quod nonnullos in numerum Deorum retulerint, alijs statuas ponere, honores quàm maximos habere consueuerint, vt ita in bello mori, & in maximis belli periculis intrepidum se & invictum gerere longè sit pulcherrimum

Circa mortem, quam perferre pulchrum non est, vir fortis propriè non versatur.

17. οὐ μὴν] Hinc est, quod viri fortes in maris periculis, ubi nullam evadendi spem habent, mortem ut ignavam, quę nullum decus sit allatura, detestentur, cum virtuti suæ nullum sentiant locum inter transtra remosq; relictum. Ita Æneias gravissima illa tempestate vexatus terq; quaterq; beatos exclamat, queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis, contigerat mori. Sed tamen quando in mari deprehensi à tempestatibus

tibus sibi moriendum esse vident, non sunt ita consternati, vt humiles dimissique appareant, quemadmodum nautæ, qui principio propter assuetudinem bene sperant, & quam non præsentem esse putant mortem non metuunt, sed quando periculũ ingruit certum, prorsus & omninò desperant.

18. ἅμα δὲ] Quod igitur ille, qui circa hæc, quæ coactus necessitate perfert, versatur, fortis propriè non sit dicendus, ex hoc Syllogismo patet: Fortis propriè versatur in ijs periculis, quæ robore animi & corporis propulsare potest, vel si propulsare nequeat, mortem honestè perfert. ἐν τοῖς τοιούτοις] Atqui pericula maris neq; robore animi aut corporis propulsare potest, nec mortem illam honestatis causa perfert. E.

CAP. VII.

19. ὁ δὲ φοβερὸν] Si verò consideraverimus τὰ φοβερὰ seu terribilia respectu hominum, tum alia sunt, quæ simpliciter & omnino captum hominis exsuperãt, & propterea cuiq; sanæ mentis extimescenda sunt. Quis n. terræ motus & inundationes, quæ oppida vrbesq; non quassant modo, verum etiam funditus evertunt, non expaveſcat? Sic fulmina

τὰ φοβερὰ respectu personarũ.

& ful-

& fulgura, Ætnæ incendia, & id genus alia etiam fortissimos concutiunt. Alia verò sunt homini tolerabilia, quæ quidem concutere animos solent, sed tamen ita, vt vires nostræ ijs pares esse possint: qualia sunt bellica pericula, & ea maximè, quæ homini ab homine inferuntur, quorum ratio hæc est, vt tùm magis tum minus quàm oportet, aut etiam quantũ oportet, timeri possint, atq; ideo circa hæc duntaxat Fortitudo versetur.

τὰ δεινὰ multis modis dicuntur.

20. ὁμοίως] Cum iam viros fortes non circa omnia φοβερὰ, sed circa quædam duntaxat occupatos esse constet, & τὰ δεινὰ multifariam dicantur, eadem etiam ratione non circa omnia, quæ fiduciã adferunt, sed circa quædam duntaxat versabitur Fortitudo.

δεινὰ in genere.

21. Quemadmodum autem ea, quæ offutura videntur, mala sunt & φοβερὰ: ita quæcunque ad salutem incolumitatemq; naturæ adiumentum habent, bona existimantur esse & δεινά. Et sicuti mala naturaliter metuimus, & quia metuimus, declinamus: Sic bona naturaliter expetimus, excitamurq; aggrediendis illis, quibus ea nos assecturos confidimus.

22.

22. Sunt etiam respectu personarum τὰ θαῤῥαλέα perinde atq; τὰ φοβερὰ dixim⁹, duplicia: τὰ ὑπὲρ ἄνθρωπον, quæ cunctis hominib⁹ recta ratione præditis fiduciã adferunt, in quibus non confidere non est humanum, & τὰ κατ' ἄνθρωπον, quæ p personarum diversitate alijs magis, alijs minus excitare possunt fiduciam. *τὰ θαῤῥαλέα respectu personarũ.*

23. Deinde simpliciter & per se τὰ θαῤῥαλέα sunt cùm in genere omnia bona, tàm corporis & fortunæ quàm animi, quæ animũ nobis dare possunt ad quidvis agendum; tum in specie tàm minora quàm maxima bona, & tàm per se quàm per accidens expetenda. *θαῤῥαλέα simpliciter & per se considerata*

24. Cum igitur respectu naturæ nostræ vita summum sit bonum, vt antè diximus, huius certè tuendæ ac conservandæ causa quæuis alia corporis & fortunæ mala subire humanum & fortis viri esse videtur.

25. Itaq; Fortitudini illa τὰ θαῤῥαλέα subijcientur propriè, quæ maxima sunt bona, quia vitam hominis tuentur & conservant.

26. Circa quænam igitur φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα versetur Fortitudo, diximus, atq; *Genus formale* Fortitudinis differentiam eiusdem explicuimus:

Iam

titudinis μεσότης scilicet explicatur.

Iam in vtrisq; mediocritas & immoderatio consideranda veniunt, vt hac ratione genus formale Fortitudinis eò magis innotescat.

27. Obiecta n. materialia Fortitudinis inter eam & reliquas virtutes discrimen constituunt: sed quatenus per mediocritatem definitur, eatenus ab extremis seu oppositis vitijs & speciebus quibusdam non veræ sed simulatæ Fortitudinis discriminatur.

Vir fortis quomodo se habeat in φοβεροῖς.

28. Medium ergo seruat Fortitudo circa τὰ φοβερὰ partim ea metuendo, partim tolerando. ὁ δὲ ἀνδρεῖος] Vir n. fortis ἀνέκπληκτος seu imperterritus quidem est, sed ut homo. Nam in ijs quæ humanã superant naturam, imperterritum esse, ac spectra & dæmones non metuere, non humanum est, sed vel heroicum vel prorsus ferinum. Timebit igitur vir fortis, quippe qui hominem se esse meminerit, verum vt decet, & quàm opus est, naturamq; , q̃ hunc affectum mortalibus non frustra dedit, ita sequetur, vt rationem, qua eum affectum moderetur, non abijciat. Idem quoq; quæ dura ceciderint, tolerabit, feretq; acerba, eâdem hac ratione & duce & comite.

te. Atq; hæc quidem honesti, quod virtus hæc vbiq; spectat, & assequi nititur, causa.

29. ὁμοίως] Circa τὰ δεινὰ καὶ θαρραλέα eodem se modo habet vir fortis, vt scilicet ea dũtaxat aggrediatur, quæ recta ratio præcipit aggredi, obseruatis loci, temporis, & alijs circumstantijs, & videat inprimis, quàm id, quod aggredi parat, iustũ sit, siquidem animi celsitudo, quæ cernitur in periculis & laboribus, si iustitia vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, non modò virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis. *Quomodo se habeat in δεινοῖς καὶ θαρραλέοις.*

30. ὁ μὲν οὖν] Quocirca si fortis vir constare sibi vndiq; cupit, vt certè debet, ita quidem & metuet & tolerabit, & confidet, & aggredietur, vt pro rei subiecta dignitate, pro temporis & loci commoditate, & vti ratio recta postulat, omnia agat, & in ijs alijsq;, quæ ex eodem sunt genere nunquam à seipso recedat. Quippe cum intelligat, ad Fortitudinem nisi per fortia, ad decus quoq; ac pulchrum nisi per honesta decoraq; perueniri nequaquam posse, vt ita perpetuo quodam tenore à primis statim *Explicatio Fortitudinis.*

ſtatim progreſsionibus vsq; ad finem πεπαίγνιον ἄνευ φόβου, vel vt Poëta loquitur, Securus, mundi inſtar habens, teres atque rotundus appareat.

CAP. IX. *Fortitudo in φοβερροῖσ potiſſimum elucet.*

31. Cum verò metum ſedare, quàm fiduciam regere difficilius ſit, fortis vir in illo magis, quàm in hoc perſpicietur & nobilitatur. quandoquidem τὰ φοβερὰ naturæ hominis planè ſunt contraria, & formidinis impetu rectam rationem veluti ſtrangulant, & metus vbi vehementius animum turbarit, non modò conſilium eripit, ſed mentem quoq; ita labefactat, vt cum nihil timendum videamus, timeamus tamen.

32. ὁ γὰρ ἐν τούτοις] Quocirca qui aſperis in rebus ἀτάραχοσ eſt, & non turbatur, nec tumultuans, quod Cicero ait, de gradu deijcitur, ſed præſenti animo & conſilio vtitur, ille ſibi iure primum in arce Fortitudinis locum vendicat.

Reſpectu finis, qui honeſtus eſt, fortitudo eſt res jucunda.

33. διὸ καὶ ἐπίλυπον] Et quamuis vir fortis ſentiat ſæpè vulnera, & doleat, & graviter ſecum agi intelligat, præſertim cum vita quoq; ipſa cum morte ſit commutanda: Magno tamen animo & invicto fert omnia, doloris aculeos contemnit, mortis acerbitatem tolerantiâ

rantiâ vincit, imo nonnunquam serena fronte horribilem aspectu mortem exosculatur, idq; ideò, quod honestum, quod pulchrum, quod se dignum id judicet, ac si secus fecerit, turpe, molle, ac fœmineum esse.

34. οὐδὲ δὴ ἐν ἀπάσαις] Idem contingit etiam in reliquis virtutibus. Nam earũ actiones per se non sunt jucundæ, sed tantùm respectu finis, quem cum in agendo viri boni habeant propositum, fit, vt actiones, licet per se molestæ, reddantur jucundæ. Sic pecuniam & facultates suas erogare per se molestum est, sed propter finem, nempe propter honestum seu virtutem, quæ per se amabilis est, iucundum existit. Omnes enim actiones ex virtute sunt iucundæ. Idcirco Aristoteles lib. 2. dixit, ex voluptate actiones comitãte coniecturam capere nos debere, vtrum virtutis habitum simus adepti.

Omnium virtutum finis est jucundus, licet actiones per se sint molestæ.

35. Diximus de vera Fortitudine. Sed quia sunt, quæ fortitudinem æmulari videantur, cuiusmodi sint illa, breviter videamus. Quemadmodum n. in rebus naturalibus aliæ vere tales sunt, quales esse videntur: aliæ videntur quidem,

CAP. VIII.

Non veræ fortitudinis species.

revera autem non sunt, vt hominum alij revera formosi sunt, alij videntur propter fucum, cum formosi revera non sint: sapientũ alij vere sapientes sunt, alij tantum videntur, Sophistæ: Sic in Ethicis quidam verè boni sunt, quidam virtutis speciem præ se ferunt, revera tamen ἀνδρεῖοι non sunt: quidam verè fortes sunt, quidam videntur tantum & non sunt, qui nempè in quibusdam veram fortitudinem æmulantur.

36. Cum autem veram Fortitudinem recta ratione & honestate niti ex superioribus sit conspicuum: non vera fortitudo erit, quæ vel honestatem pro fine non habet, vel recta ratione caret, soloq; impetu veram æmulatur.

37. Eius impetus in agendo patiendoue occasio in quibusdam hominibus indè provenit, quod periculum malumq; præsens, quale & quantum sit, nonnulli cognoscant, nonnulli verò non cognoscant.

38. Qui cognoscunt, ij ad illud subeundum seu perferendum adducuntur vel non sponte, vtputa coacti ab ijs, quæ cogendi vim habent: vnde prima species non veræ Fortitudinis, quæ quia ad civita-

civitatis conservationem & propugnationem multum quoq; facit, πολιτικὴ dicitur: Vel sponte seu volentes, ipsa scilicet experientia & assuetudine periculorum animati, ex quo secunda species non veræ fortitudinis, quæ quia δι' ἐμπειρίαν τὴν καθ' ἕκαστα exiſtit, ἐμπειρικὴ appellari potest.

39. Qui verò periculum adeunt, quod non cognoscant illud, ij quo minus cognoscant, impediuntur vel affectuum impotentia, qui ratione, vt nequeat periculo attendere, præoccupant; vel rationis imbecillitate & imprudentia. Affectuum, vt Iræ, vnde tertia species non veræ Fortitudinis διὰ θυμὸν seu Irascibilis oritur, ad quem referri quoque ea potest, qua δι' ἐπιθυμίαν boni sui consequendi, audax facinus designant famelici & venerij: aut Spei, ita vt præter rationis assensum de futuro eventu benè sperent, vnde quarta species δι' εὐελπισίαν, à qua εὐέλπιδες dicuntur. Quinta deniq; species quia ex imprudentia oritur, δι' ἄγνοιαν seu casualis aut fortuita vocari potest.

40. πρῶτον μὲν] Politica rursus duplex esse videtur, quandoquidem ea quæ

Prima species non veræ Fortitudinis Politica.

vim necessitatemq; afferre videntur, duplicis sunt generis. Aut enim leges hortantur & impellunt ad agendū metu pœnarum & pollicitatione præmiorum, item honore & infamia; aut homines qui imperare possunt, & nolentes cogere metu mortis & verberum.

41 Itaq; nonnulli non propter virtutem, sed honoris causa agunt, cuius sunt studiosissimi, & turpia defugiunt, ne procul à repub. ciuilibusq; muneribus vivendum sit, quare opprobria timent, fugitant increpationes, nihil magis quàm malam de se populi opinionē veriti. Qui cum propter verum finem non suscipiant pericula, fortes dicendi non sunt. Nonnulli autem nunc minis aut metu pœnarum coacti, nunc loci necessitate, in quo vel armis, vt puta in prima acie locati, vt ex adverso hostes habeant, à tergo suos, à quibus, si ex acie fugiant, cedantur, vel fossa, flumine & præcipitio, vt sublata fugæ spe omnē in gladio spem esse positam sciant, circumdantur, impulsi pugnant. Sed hos prioribus deteriores esse per se satis liquidò constat, cum non pudore adducti sed metu coacti rem gerant, & hoc faciant

ciant, non quod turpitudinem fugiant, sed quod dolorem.

42. δευτ. δὲ] Ad ἐμπειρικὴν fortitudinem referimus milites, qui exercitatione freti & digladiandi peritia, non animi firmitate in certamẽ prodeunt. Quemadmodum n. in alijs periculis alij sunt exercitati, vt in navigatione nautæ, in iactura mercatores, in venatione venatores: Ita in bello milites efficiuntur, qui in periculis versati diutius, plura contemnunt, quæ bellicæ rei imperitos terrificant. Sunt namq; τινὰ πολλὰ τοῦ πολέμου multi inanes belli terrores, quos quia propter experientiam facile agnoscunt veterani milites, ijs minus terrentur, quam alij qui non cognoscunt.

Secunda species non veræ fortitudinis: Empirica.

43. Sed & propulsando ex diuturna laborum perpessione exercitati, quæ alijs aspera videntur, tolerant, & quia noverunt, qua ratione ictus adversarij declinari queant, quomodo etiam petendus hostis sit, nonnunquam armatis inermes occurrunt. Ex quo fit, quod fortes videantur, à quibus tamen eos longè distare, tum ea quæ supra diximus, satis docent, tum quod ubi acrius hostis ingruerit, aut vbi locus iniquior fuerit,

proiectis armis in fugam vertuntur, vnde Empirica hæc fortitudo etiam ipsâ politicâ multo est inferior.

Tertia species non veræ Fortitudinis; Irascibilis.

44. κατὰ τὸν θυμὸν] Qui verò doloris & iræ stimulis agitati in pericula feruntur, ij sæpè homines feri sunt, atroces, sanguinolenti, & vultus eorum sunt truces, fædi animi, & impetus quales sæuientium beluarum, quæ ubi vulneratæ telum sensêre, dolore rabieq; præcipites in percussores rapiuntur. Et hos à verè fortibus longissimè disiunctos esse quis non videt?

45. Quanquam enim ira homini frustra non est insita, quandoquidem ira animos sæpè movet ad res præclaras adoriundas, & ad pericula fortiter obeunda calcar habet maximum, vnde & Cos fortitudinis à quibusdam appellata est; Sed tamen vbi vehementior fuerit, vbi contemto rationis imperio amens, atq; in furorem acta desæuerit, tum quid habet, quod accusari jure non debeat? Qui igitur ἀλόγῳ θυμῷ sine rationis ductu in hostes invehuntur, Fortes non sunt.

46. Multò etiam minus in ordine fortium numerandi sunt, qui δι' ἐπιθυμίαν, ob li-

ob libidinem amoresq; vel adoriuntur periculosa vel perpetiuntur tristia. Nã & asini, cum esuriunt, ea ratione fortes essent, & adulteri quoq; cum illi à pabulo verberibus dimoueri nequeant, & & hi multa audeant, plura etiam, quamuis grauia, æquo animo ferant.

47. οὐδὲ δὴ οἱ] Præterea ex numero verè fortium eximendos esse diximus εὐελπίδας, qui ob hanc spem periculum adeunt, ꝙ confidant nullis interim tolerandis adversis, nullo aut certè qàm leuissimo obeundo periculo se superiores euasuros, qui mihi haudquaquam temulentis, quibus ex vino nihil est confidentius, aut ijs, qui rem sibi cum imbecillioribus, aut cum ignauo futuram hoste putant, multum absimiles esse videntur. Hi igitur quamprimum spe sua se frustrari sentiunt, proiectis armis vertuntur in fugam, nec reputãt, quam turpe sit terga dedisse. Judicant enim præstabilius esse ignauiter fugiendo vitam tueri, quàm fortiter pugnando egregiè cadere. A quo judicio vir fortis longè est alienissimus.

Quarta species non veræ Fortitudinis δι' εὐελπιστίαν.

48. ἀνδρεῖοι] Deniq; qui δι' ἄγνοιαν seu propter ignorantiam periculi intrepidè

Quinta species δι' ἄγνοιαν.

periculum subeunt, eos, quia nullam penitus præconceptam opinionem, & nullam planè subeundi aut profligandi mali voluntatem habent, ad primum aduersarij telum ilicò pedem referentes videas, atq; ideò verè fortes nemo dixerit, cum etiam illis, quibus spes victoriæ animum addit, multò sint deteriores. Illi enim ad tempus aliquod durant, hi autem quam primum aliquod subesse periculum cognouerint, eo non expectato fugiunt.

Extrema fortitudinis.

49. Sed & præter quinq; iam enumeratas species non veræ fortitudinis, cui definitio veræ fortitudinis competere nequit, adhuc vitia huic opposita restãt, quæ, cum & metuere virum fortem & confidere, ac medium in utroq; retinere, vt dictum est, oporteat, tum in hoc tum illo medium deserunt, & cum virtute e diametro pugnant.

Excessus.

50. Τῶν δὲ ὑπερβαλλόντων] Sunt enim, qui non solum nimis multa fiducia in ijs q̃ terribilia sunt, utuntur, sed etiam metum ipsum, qui homini naturalis est, omni ex parte abijciunt, quos translato nomine μαινομένους vel ἀναλγήτους seu stupidos insanos aut torpidos appellaueris, quales

quales fuisse Celtas Aristoteles affirmat, quod nec terræ motus nec marinos fluctus pertimuerint, quinimò id unum duntaxat se timere, ne cælum ruat, Alexandro Magno confidenter responderint.

51. ἐκ τοῦ θαρσαλέου] Sunt etiam, qui è nimia fiducia & aggrediuntur, quæ aggredienda nullo modo sunt, & postquam sunt aggressi viribus animoq; ita deficiunt, vt licet antè periculum præcipites sint & confidentes, in periculo tamen à metu superentur atq; tardi fiant & diffidentes, vnde & nomine satis convenienti θρασυδάλους eos appellat Aristoteles. θρασυδάλους.

52. Ex horum numero quidam etiam ijq; leuissimi homines, verbis quam re sunt ferociores, quibus ventosa in lingua pedibusq; fugacibus Mauors est, qui sunt post principia, & inde omnib⁹ signum dare cupiunt, quorumq; hæc glorioſa vox est: Curate ut splendor meo sit clipeo clarior, quàm solis radij esse olim, cum sudum est, solent, vt vbi vsus veniat, contra conserta manu præstringat aciem oculorum in acie hostium: Exemplo sint Thraso Terentia- *Plaut. in Mil. glorio.*

nus & Pyrgopolynices Plautinus. Ij qui tam multa magnaq; gloriantur, vt in conſpectum mulierc̃larum & adverſarij veniunt, vt ſtatim ſe perijſſe dicunt; ac deprecabundi vapulant, vinciuntur, tandemq; exſoluti gratiam ſe habere dicunt.

Defectus. 53. ὁ δὲ τῆς φοβεῖσθαι] Sunt præterea, qui ἐν τῷ δειλίᾳ planè deficiunt, & nimis extimeſcunt, quos timidos ac meticuloſos dicimus, qui nec in eo ſolum peccant, quod etiam non metuenda pauitent, ſed etiam, quod ea, quæ timenda ſunt, nequaquam, vt oportet, timeant. Itaq; in bellis tanquam galeati lepores trepidant, horreſcunt, pallent, fugit animus, & metu membra quatiuntur.

54. Et cum meticuloſi etiam ob ſummam animi molliciem atq; imbecillitatem in doloribus cernantur, quã ſint demiſſi, vt nihil durũ tolerare poſſint, nihil aſperũ pati, idcircò dum doloribꝰ excruciati finire ſemel illos, & cunctis liberari moleſtijs volunt, quas vel ob amorem, vel paupertatem vel alia mala ſentiunt; aut laqueo, aut gladio, nonnunquam caſibus, aliquando inædia vitam finiunt.

55.

55. Quamobrem timidi est mortem sibi conscisscere, quo molestijs ac laboribus defungatur. Neq; n. Catonem defendo, quem Valerius Max. & alij commendãt quod constantissme in gladium incumbendo magnum hominib⁹ documentũ dederit, quanto potior esse debeat probis dignitas sine vita, quam vita sine dignitate: neq; illos Philosophos excuso, qui mortem sibi conscisse memorantur, vt corporis carcere effracto se in libertatem assererent. Quanto n. satius illis fuisset & præstabilius, si non ante abire voluissent è vita, quam exantlatis prius ijs, q̃ sunt hominũ, & quidẽ Philosophorum hominum. Pari ratione & regium illum morem, venena secum ferendi ad incerta fortunæ, improbam⁹, & timidi potius esse quam fortis viri putam⁹. Sed parcius ista reprehendim⁹ propter autoritatem maximorum ducum, qui exempla huiusmodi ipsi aut ediderè primi aut ab alijs edita tanquã legem sunt secuti. Sed de Fortitudine eiusq; extremis & simulatæ Fortitudinis speciebus, hæc breviter dixisse sufficiat.

De ijs qui mortem sibi conscisscunt.

DE TEMPERANTIA.

CAP. X.

Connexio.

56. μετὰ δὲ ταύτην] Cum autem virtutũ Ethicarum communissimæ sint Fortitudo & Temperantia, ut post illam, quę ἡ θυμοειδὴς seu irascibilem animæ facultatem, quæ militi comparatur, circa τὰ φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα moderatur & perficit, etiam hæc, quæ ἡ ἐπιθυμητικὸν, seu concupiscibilem potentiam, quæ, quia & individuo & speciei consulit, Agricolæ assimilatur, circa corporeas voluptates gustu & tactu perceptas, rectè se habere facit, explicetur, ordinis rationi consentaneum esse videtur.

Temperantia bifariã accipitur.

57. Et licet Temperantia etiam communiter seu impropriè ꝓ quavis, adeoq; pro omni virtute interdum ponatur; Nos tamen hoc loco de ea, quatenus propriè solet accipi, & circa voluptates duntaxat corporeas occupatur, agem⁹.

Definitio temperantiæ.

58. ἡ μὲν οὖν] eaq; ab Aristotele definitur, ꝙ sit μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας, seu virtus, quæ mediocritatem servat in expetendis & fruendis voluptatibus, inq; perferendis illis doloribus, qui ex rei jucundæ privatione animo percipiuntur.

59. In hac definitione si gen⁹ respiciamus

mus, convenit hæc virtus cum reliquis; differt autem à vitijs sibi oppositis: si verò differentiam consideremus, convenit cum suis extremis, & differt à reliquis virtutibus.

Temperantia versatur circa voluptates.

60. ἐν τούτοις] Quod autem circa voluptates corporeas versetur Temperantia, id probat eius contrarium, nempè Intemperantia, quam circa eiusmodi materiam versari & omnium consensu constat, & nos paulò post rationibus ostendemus.

non animi.

61. οἱ περὶ τὰς] Circa animi voluptates igitur Temperantia non est occupata, cum propter eas nemo temperans vel intemperans appelletur. Nam quando animus delectatur honoribus & doctrinâ, φιλοτιμία καὶ φιλομάθεια dicitur, quando conversatione & colloquio hominum, virtus ὁμιλητικὴ v. g. Urbanitas, Affabilitas &c. nuncupatur, quando acquisitione opum & amicorum prosperitate, Frugalitas & humanitas appellatur.

Non circa omnes corporis voluptates.

62. οὐ πάσας] Sed nec circa omnes corporis voluptates versatur Temperantia vel Intemperantia. Cum n. quinq; sint sensus exteriores, qui per organa corporis obiecta percipiunt, ex eaque per-

perceptione vel delectantur vel contristantur, circa eas duntaxat voluptates, quæ homini cum brutis sunt communes, quæq; gustu & tactu, non autem circa eas quæ visu, auditu & odoratu percipiuntur, Temperantia proprie dicta est occupata.

Temperantia proprie non versatur circa voluptates visu, auditu & odoratu perceptas.

63. οὐκ ἴσι δ' οὐδ'] Etsi n. bruta etiam his tribus sensibus, visu nempe, auditu & odoratu utuntur; Non tamen horum sensuum jucunda affectione ducuntur per se, sed per accidens tantum, quatenus nimirum horũ affectio phantasiam excitat tactilis alicuius aut gustatilis voluptatis. Nam canis leporum odore nó per se delectatur, sed propter futuram prædam, quâ famem sublevet. Sic Darij equus voluptatis præteritæ recordatione eo in loco, ubi proceres Persarum convenerant, primus hinnire cepit. Leo mugitus bovis gaudet, quia escam adesse ipso auditu percipit. Neq; n. si viderit vel audiverit bovem, cervum vel sylvestrem capram, voluptate aliqua afficitur, nisi quia cibum inde habiturus sit, quo vescatur.

64. Et licet homo horum sensuum usu interdum per se delectetur, non autem

tem propter gustum vel tactum, cum puritate aeris visus, harmonia auditus, odore rosarum, pomorum, suffituum, odoratus per se delectentur; in ijsq; & mediocritas, & nimium & parum detur: quia tamen huiusmodi voluptates nobis cum brutis non sunt communes, atq; in ijs raro etiam & non tam enormiter peccari solet, circa eas temperantia proprie dicta non versatur.

65. φαίνονται] Cumq; etiam gustatus minꝰ homini communis sit cum brutis, siquidē hæc non saporū gustatu ꝓ se delectentur, sed propter alimenti, ꝙ gustatu explorarunt, contactum: ob id etiam circa voluptates gustu perceptas Temperantia minus versatur. *Neq; circa eas eximiè quæ gustu percipiuntur.*

66. Namq; sapores, de quibꝰ judicat gustatus, non tam per se, quam propter ἀπόλαυσιν seu fruitionem & adeptionem eius quod desiderant corporis, quæ ἀπόλαυσις non nisi per tactum contingit, delectant, ut propterea voluptate gustus quis perfundatur non tàm per se, quam propter tactum, & proinde gustatus veluti pincerna & explorator esse videatur ipsius tactus. Unde Philoxenus helluo ille nobilis gruis collum sibi dari optavit,

optavit, ut sic ingestorum contactu q̄ diutissimè delectaretur, quo ipso ostendebat, non in lingua & palato voluptatem alimenti primariam secundum sapores esse positam, sed in æsophago, qualitatis tactilis beneficio.

Temperantia maximè versatur circa voluptates tactu perceptas.

67. κοινοτάτη] Quocirca hæc de qua iam agimus, virtus maxime circa voluptates tactu perceptas occupatur Hic n. sensus cum sit homini cum brutis communissimus, quo delectari interdum per se possint, in eius certè voluptate utputa communissima & maximè principe, quaq; afficimur, non quatenus homines sumus, sed quatenus animalia, summa Temperantia & Intemperantia versantur.

Sed tamen neq; circa has omnes.

68. καὶ γὰρ αἱ ἐλευθεριώτατοι] Sed tamen & hic excipiendę quædam sunt voluptates tactus, quæ reprehendi non possunt, utputa quæ obscœnitate carent, & alterius finis gratia potius, quam illius sensus oblectationis causa fiunt, quæq; ex corporis cura gymnastica, ut ex lacertorum, scapularum, cruriumq; unctionibus, frictionibus, calefactionibus, à veteribꝰ propter corporum expeditiorem in certaminibus motionem institutis,

tutis, item quæ ex lotione calida, natatione frigida, sudatione, &c. sanitatis conservandæ studio concessis percipiuntur.

69. Cum n. finis norma quædam sit & regula τῆς προαιρέσεως & actionum, non possunt turpes aut illiberales haberi eæ voluptates, quæ boni alicuius causa expetuntur, atq; ita immoderatio earum ad summam intemperantiam, de qua hic agimus, non est referenda.

70. Reliquum igitur, quod Temperantia circa eas duntaxat, quas tactu duarum corporis partium, nempè verendorum & gulæ, atq; ideo ex alimentis & re venerea percipimus, versetur. Sunt enim illæ nobis cum cæteris animalibus communissimæ, quare & ἀνδραποδώδεις καὶ θηριώδεις à Philosopho rectè dicuntur, atq; ob id habitu aliquo vel moderandæ vel coercendæ sunt. CAP. II. *Voluptates duarũ corporis partium tactu perceptæ.*

71. τῶν ἐπιθυμιῶν] Et licet iam satis liquidò constet, Temperantiam circa voluptates potissimum ex tactu duarum corporis partium profluentes occupari: Cum tamen earum voluptatum cupiditates seu ἐπιθυμίαι non sint uniformes, sed quædam sint κοιναὶ communes

Aliæ sunt communes seu naturales.

munes, quædam ἴδιοι καὶ ἐπίθετοι seu ascititiæ; circa eas non eodem modo se habebit Temperantia.

72. Communes autem seu naturales sunt, quibus naturaliter non solum homo, sed omne animal afficitur, quæq; naturâ homini sunt insitæ ad conservationem suiipsius cum in individuo, ut cibi & potus, tum in specie, ut veneris cupiditates.

Aliæ sunt propriæ seu accersitæ.

73. τὰ δὲ τοιάσδε] Propriæ seu accersitæ sunt, quæ non à natura, sed ex quadam consuetudine, aut prava affectione, aut propria voluntate existunt, qualis est huius vel illius cibi aut potus, huius vel illius Thaidis cupiditas; & præter naturam communem homini superadditæ videntur, atq; ob id ἐπίθετοι vocantur, licet earum quædam φυσικόν ἢ naturale aliquid insitum habeant, quod circa caseum, butyrum, vinum, & alia in quibusdam hominib⁹ contingere videmus.

γαστρίμαργοι peccant circa naturales voluptates.

74. ἐν μὲν οὖν ταῖς φυσικαῖς] Circa naturales igitur sive communes voluptates pauci delinquunt, & uno tantum modo nempe in eo quod est nimium, sive in excessu, quemadmodum γαστρίμαργοι quasi

περὶ

περὶ τὴν γαστέρα μὴ ἀργοί, ventrem supra modum cibo replentes, quique helluones & comedones proprie nuncupantur, suntq; verè ἀνδραποδώδεις, servilis ingenij, & ventris mancipia. Ac deinde etiam in hoc numero recensentur libidinosi καθ' ἑξοχήν, qui in quoduis obuium sine discrimine feruntur, quos hominis nomine prorsus indignos judico.

Circa proprias cupiditates quo modo peccetur.

75. περὶ δὲ τὰς ἰδίας] Circa proprias verò cupiditates multifariam delinquitur ab hominibus delicatis & intemperantibus. Aut n. delectantur earum rerum fruitione, quarum voluptate eos non oportebat affici, aut modo inconveniente, aut si forsan aliquarum desiderio obsequi honestum sit, immoderatius tamen eidem indulgent, vel etiam tempore vel loco alieno, aut vulgi more sequuntur eiusmodi voluptates &c. Cum igitur ita multipliciter peccetur circa has proprias voluptates in ijs utiq; moderandis & coërcendis Temperantiæ munus propriè consistit.

Dolores quomodo & quate-

76. περὶ δὲ τὰς λύπας] Sed hic oritur quæstio: cum voluptati opponatur dolor, ideoq; Temperantia ut in voluptatib⁹

nus Temperanti ſub ijciantur.

ſic etiam in doloribus, licet in his minus propriè & per accidens tantum, in illis verò propriè & per ſe, verti videatur; an non idem ſit obiectum Fortitudinis & Temperantiæ. Cui reſpondentes fortem & temperantem in doloribus verſari, ſed diverſa ratione, aſſerimus. Namq; vir fortis circa res præſentes, quæ dolorem afferunt, Temperans circa res abſentes quæ voluptatem ingerunt, & ille per ſe, hic verò per accidens, ut iam dicebatur, circa dolores occupatur.

77. Porrò cum differentiam definitionis Temperantiæ iam viderimus, vt ipſum quoq; genus, quod eſt μισότης, explicemus, eius extrema ſunt primum conſideranda: Moderatio enim intelligi nequit, niſi immoderatio quoque intelligatur.

Extrema.

78. Extrema autem Temperantiæ ſunt duo, quorum unum conſideratur in exceſſu, & Intemperantia, græcis ἀκολασία vocatur, alterum conſideratur in defectu, & nominatur improprio vocabulo ἀναισθησία ſeu ſenſuum ſtupor.

Intemperantia.

79. Intemperantia ſive ἀκολασία eſt vitium, quo citra delectum quævis voluptates,

ptates; & inter has maximè turpes & illicitæ tam absentes, quam præsentes nulla habita ratione honestatis immoderatè expetuntur.

80. ὁ μὲν οὖν ἀκόλαστος] Intemperans enim modum transit in omnib⁹, nec se respicit, sed voluptates inhonestas tanto furore amplectitur, ut ab illis agatur & feratur quoquo versus, omnemq; honestatem ijs postponat, doleatq; supra modum, si quando voluptates non assequitur, quas sperabat, vel tam citò, quam eas expetit, earum compos fieri nequit, cum ipsum desiderium propter absentiã rei desideratæ ipsi molestiam creet maximam. *Intemperans.*

81. Est autem vocabulum ἀκολασίας translatum â pueris malè educatis, quorum petulantia nondum est castigata, domita & repressa, à particula priuatiua α, & à verbo κολάζω, quod significat punio, coërceo, prohibeo: inde ἀκόλαστος, non punitus, effrenis & indomitus, & ἀκολασία vitium eorum, quorum cupiditates & inordinati affectus nondum sunt domiti, sed ultra modum, nulla habita ratione honestatis ad quævis obvia feruntur.

Ἀναισθησία. 82. ἐλλείπουσις] Ἀναισθησία verò seu stupiditas est vitium, quo nimis superstitiosè omnes voluptates, tam honestæ quam turpes, tam salubres, quam noxiæ, negliguntur, vel, Cicerone finiente, est immanitas quædam in aspernandis omnibus etiam necessarijs & honestis voluptatibus.

Ἀναισθησία *rarò reperitur.* 83. Hoc vitium quia à natura hominis maximè alienum est, rarò reperitur, ut ob id proprio etiam nomine careat. Cui enim nihil est jucundum, quique nullam differentiam statuit inter jucundum & triste, is ab humanitate remotissimus est, imò etiam à natura animalis maximè recedit. Namq; animali propriè convenit rerum tristium & jucundarum sensum habere, ad conservationem individui per alimenta, & ad propagationem speciei per venerea. Hinc ἀναίσθητος sensu carere dicitur & ad inanimatorum naturam proximè accedit, saxoque ferè similis est & trunco.

Temperantis officium 84. ὁ δὲ σώφρων] σώφρων autem seu σωφροσύνη, quæ dicitur quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, quia mens sana & sobria & prudens,

dens, non nisi in corpore sano, sobrio & puro esse potest, in dictis voluptatibus seu cupiditatibus μέσως mediocriter seu moderatè est affecta, & voluptates in alimentorum perceptione & re venerea, vbi, quando & quomodo oportet, seu, ut recta ratio præscribit, ad corporis conservationem, & speciei propagationem appetit.

85. Temperans enim cum in absentium voluptatum expetitione, tum in præsentium fruitione, moderatè se habet, necessarijs seu naturalibus & licitis ita fruitur, ut dignitatis suæ, temporis, loci, & hisce similium rationem habeat, nec valetudinem & corporis vires lædat aut debilitet, nec rei familiari damnum aliquod afferat: turpibus verò & inhonestis non tantum non gaudet, verumetiam offenditur.

86. Exposita iam Definitione Temperantiæ, duæ adhuc quæstiones, quæ ex præcedentibus emergunt, ad Intemperantis naturam & nomen pertinentes restant explicandæ. *CAP. XII. Duæ quæstiones.*

87.

Prima quæstio temperantis naturâ comparatè declarans.

87. ἐκουσίῳ] Prima est, utrum Timiditas an Intemperantia magis sit voluntaria, seu utrum Intemperans magis sponte agat, quàm Timidus. Sed cum voluptas naturæ plausibilis appareat, dolor verò eidem contrarius sit, quia φθείρει καὶ ἐξίστησι πῶν τοῦ ἔχοντος φύσιν; Et hic vehementius cogat hominis voluntatem ad metus horrorem, quàm voluptas, quæ ut naturæ conveniens, ita quoq; voluntatem relinquit liberam; videtur Intemperantia magis esse voluntaria, atq; ob id etiam ἐπονειδιστοτέρα, & magis reprehendenda, quàm Timiditas.

Confertur Timiditas cum Intemperantia.

88. καὶ γὰρ ἐθίζονται] Huc accedit, cum Timiditas contrahatur non tantum ex dolore & mortis metu, sed etiam eiusmodi in casibus, ubi virtuti, quæ in doloribus ob pericula bellica obortis moderationem servat, assuescere & difficilius sit & periculosum, contra verò Intemperantia ex voluptate suscipiatur, & in ijs rebus, in quibus virtuti, hoc est, temperantiæ assuescere & periculo caret, & quia frequentiores in vita quotidiana sunt voluptates, nobisq;

bisq; magis notæ quam dolores, facile est, consistat, quin Intemperantia vt deterior ita magis etiam voluntaria sit, nullum videtur esse dubium.

89. Δόξειε δ' ἄν] Sed hæc in genere de utroq; vitio accipias oportet. Nam si utriusque non tantum habitum, sed etiam actiones consideres, Timiditas quidem secundum has seu καθ' ἕκαστον minus est spontanea, quam secundum habitum seu καθ' ὅλον considerata, quando-quidem habitus ἀλυπος est, cum τὰ φοβερὰ, quæ dolorem excitant actu non adsint, ac proinde imaginatione duntaxat, non sensu moueant; actiones verò dolorem habent iunctum, cuius præsentia sensus contristatur, ut ita ob mali fugam arma abijcere, turpiter ex acie fugere, hosti supplex fieri eligat. At Intemperantia secundum habitum min⁹, secundum actiones verò considerata magis est voluntaria. Etenim Intemperans non tam habitum ipsum, utputa qui per se voluptatem non habet iunctam, quam actionem, hoc est, venere uti, helluari, obsonari, vtputa, quæ voluptatem habent assectam, concupiscit & appetit.

Comparatur inter se intemperatiæ & timiditatis habitus & actiones

90.

Altera quæstio est de nomine ἀκολασίας.

90. τὸ ὄνομα] Altera quæstio est, q̃ etiam paulò antè attigimus, de nomine scilicet ἀκολασίας. Cum enim illud ὁμώνυμον sit, atq; tam adultiorum quam puerorum erratis convenire videatur, & de habitu vitioso in adultioribus, qui suis cupiditatibus siue in alimentis, siue in rebus venereis, imperare nequeunt, atq; etiam de appetitu puerorum, qui ex solo affectu instar brutorum viuunt, prædicetur; propterea in dubium vocari potest, primùm homonymiæ huius derivatio ac deinde eius ratio.

Homonymiæ derivatio.

91. πότερον] Ad derivationem quod attinet, Appetitusne ille pravus ab habitu vitioso, quem diximus, an vero hic ab illo denominationem traxerit, quæstionis est. Sed cum posterius à priore nomen mutuasse credibile sit, & Appetitus ille qui in pueris est, à natura omnibus animalibus insitus, prior sit tempore, & veluti basis subiecta habitui, qui longo usu & assuefactione comparatus tempore posterior est; Idcirco ἀκολασία de puerili ingluuie primum & propriè, ac deindè de adultorum Intemperantia impropriè & per Metaphoram muncupata fuisse videtur.

92.

92. οὐ κακῶς] Rationem verò huius homonymiæ hanc esse constat, quod non fortuita sit, sed cum consilio. Quemadmodum n. ἀκολασία in pueris dicitur, quasi castigatio, quæ adhibenda fuerat, in ijs neglecta esse videatur: Ita quoq; ἀκολασία in adultis est, quando cupiditas in homine intemperante non punitur, neq; illi obædit, sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas. *Ratio Homonimiæ.*

93. ἀκολάδη] Cum igitur cupiditas turpia appetat, vt videre est in pueris, qui πάθει potius quam λόγῳ viuunt, & nisi rationis quasi cancellis coarctetur, serpat & grassetur latius, adeò, vt si maior fiat & vehementior, ipsam quoq; mentem & rationem de sua sede deturbet, ob id principio obstandum erit, & opera danda, vt cupiditates à recta ratione castigentur, & coerceantur. Atq; hoc est quod εὐπειθὲς καὶ κεκολασμένον h. e obœdiens & castigatum nuncupamus. Vt enim puer pædagogo parere, & ab eodem castigari: Ita quoq; τὸ ἐπιθυμητικὸν rationi tanquam reginæ & moderatrici obœdire debet.

94.

Ratio & appetitus in temperante quomodo sint affecta.

94. διὸ δὲ] Quocirca (ut tandem, quæ in viro temperante requiruntur, quasi in typo describamus) oportet cupiditatem Temperantis cum recta ratione convenire. Vtriusq; enim idem finis est, eædemque circumstantiæ, quandoquidem honestatis causa temperantis ratio appetitum refrænat; appetitus rationi paret: & appetitus temperantis ea, quæ oportet, omnia, & quemadmodum & quo tempore oportet, appetit & prosequitur, rectæ rationis ductum secutus; recta ratio verò quæ, quomodo, quo tempore &c. appetenda sint, erudit & præscribit, ut ita inter rationem & appetitum optima sit harmonia.

Et tantum etiam de Temperantia.

THE-

LIBER QVARTVS,
DE VIRTVTIBVS
Quæ versantur circa obiecta seu bona externa.

THEMATA

DE VIRTVTIBVS
QVÆ VERSANTVR
circa pecuniam.

Respondente
MARCO SCHOMAKER SLESV.

De Liberalitate.

CAP. I. *Cur de Liberalitate hic primū sit agendum.*

1. Λέγωμεν] Sequitur nunc de virtutib⁹, quæ circa voluptates ψυχικὰς versantur, agendum. Quia verò ex Divitijs vita hominis quodammodo pendere videtur, vel certè instrumenta sunt ad vitam conservandam & propagandam apprime necessaria, & propterea voluptas inde oborta vti vehementer animum mouere potest, ita virtutis valido fræno moderanda est & dirigenda, ne exorbitare faciat; idcirco de ea virtute, quæ in genere circa quascunq; actiones pecunia-

cuniarias versari videtur, & divitiarum rectum vsum docet, cui, quod libero homine maximè digna esset, ἐλευθεριότητα graeci, Romani autem Liberalitati nomen fecere, & qui ea uterentur, liberales, quod ij potissimùm liberè agerent, vocavere, cum pecuniæ servire avaros putarent, commoda ratione hic primum agemus.

Liberalitas versatur circa τὰ χρήματα

2. Δοκεῖ δ' εἶναι] Cum autem artibus etiam singulis materia proposita sit, in qua vnaquæq; versetur, suumq; artifex ex ea opus instituat, atq; institutum informet; videndum quoq; est, qua in re liberalitas versetur, & quæ sit ei proposita materia, quid etiam, qui eam exerceat, agendo consequatur. Quod autem liberalitas in pecunijs occupetur, id primum per se ex adiuncto liberalitatis, à laude videlicet, sic probat Aristoteles: Circa quod subiectum versans liberalis laudari consuevit, illud est liberalitatis ꝓprium obiectum. ἐπαινεῖται] Sed liberalis non laudatur, quod circa res bellicas, aut voluptates corporis, aut etiam circa iudicia versetur: ἀλλὰ] sed laudatur quãdo circa τὰ χρήματα ita vt oportet versatur, tum dando, tum accipiendo,

1. Argum.

piendo, maximè verò dando. Nam qui in pecunia vtenda erogandaq; sponte gratuitòq; versatur, illud jure quodam suo assequitur, ut liberalis viri nomen adipiscatur, cum summo etiam tum civium, tum peregrinorum testimonio, ac Reipub. in qua vivit, vtilitate. E. τὰ χρήματα liberalitatis proprium obiectum constituunt.

3. χρήματα δὲ λέγομεν] Ne autem nomen ipsum pecuniæ, quod à pecu maiores nostri deduxerunt, quem fortasse turbet, quod principi Peripateticorum Aristoteli, ac Romani iuris consultis placet, pecuniæ ipsi⁹ voce accipienda cuncta dicimus, quæ nummo censeantur. Nummus enim metitur omnia, non natura sua, (quippe cum adeo vilè sit metallum, vt si hominum errorem tollas, nihil aliud videatur esse aurum & argentum, quàm terra rubra & alba) sed νόμῳ & instituto hominum, vnde νόμισμα, latinis Numus. *Quid intelligatur voce pecuniæ.*

4. εἰ δὲ] Sed & ex contrarijs vitijs probari potest, quod liberalitati materies quasi quædam pecunia subiecta sit. Namq; si vitia liberalitati contraria versantur circa χρήματα, circa eadem *2. Argum.*

quoq; ipsa virtus nempe liberalitas versabitur. Idem enim subiectum est habituum contrariorum. At vitia liberalitati contraria secundum excessum & defectum versantur circa χρήματα. E. 5. κοὴ τὴν μὲν] Minor per se manifesta est. Nam ἀνελευθερία seu Illiberalitas omnium confessione ea dicitur, quæ nimio pecuniarum studio tenetur. Ασωτία verò seu profusio per se quidem & proprie appellatur vitium profundens opes & facultates: per accidens etiam de alijs vitijs effertur, quibus ipsa famulari videtur, vtputa Intemperantiæ, Ambitioni, crudelitati, scurrilitati, prout hoc vel illo fine opes suas profundunt. Quod enim ἀκόλαστος non quidem κυρίως seu proprie, sed improprie tantum & per accidens sit ἄσωτος, hinc liquet: βούλεται] Qui suam non servat substantiam, libidine profundendi incitatus, is proprie dicitur ἄσωτος. τοῦς γὰρ ἀκρατεῖς] At qui ἀκόλαστος seu temperans, suam quidem non servat substantiam, sed ut Thaidis suæ vel suarum fercularum compos fieri possit, quiduis pecuniæ sine modo profundit, non tamen profundendi libidine incitatus, sed tantum

Ασωτία alijs quoq; vitijs infecta.

tum propter Venerem & alimentum. οὐ δὴ οἰκείως] Ἀκόλαστος igitur non proprie & per se, sed improprie tantum & per accidens ἄσωτος nuncupatur.

6. Ἄσωτος γὰρ ὁ δι' ὅλου] Maiorem autem huius syllogismi sic probamus Qui per se suaq; opera perit, is ἄσωτος proprie est & dicitur, ὡς μὴ οἷός τε σώζειν. At qui opes & facultates suas profundit, per se suaq; opera perit. Nam facultatum interitio videtur exitium quoddam suiipsius esse, cum ex pecunia & facultatibus nostris vita nostra pendeat. οὕτω δὴ] E. Qui opes suas profundit, proprie est ἄσωτος, cum non solum pereat, sed quod vel flagitiosissimum est, seipsum per luxum atq; incontinentiam perdat. Quid est enim aliud potando, scortando, luxuriando, profluenter effundendo patrimonium absumere, quàm seipsum perdere? Ἄσωτος *seipsum perdit.*

7. Διὸ καὶ φαυλότατοι] Qui igitur non hac tantum profundendi libidine, sed alijs quoq; vitijs infecti sunt, jure habentur flagitiosissimi. πολλὰς] Atqui ἀκόλαστοι, cum non tantum proprio laborent vitio, sed præterea etiam ἄσωτοι sint & prodigi, & plerunq; etiam exhausta re familiari

miliari ad rapinas convertantur, pluribus simul vitijs sunt cooperti. διὸ καὶ φαυλότατοι] E. ἀηόλασοι ἄσωτοι meritò videntur esse improbissimi.

Quomodo liberalitas circa pecunias versetur.

8. ὧν δ' εἰσὶ χρεῖα] Quod liberalitas in pecunijs occupetur, diximus. Quomodò autem circa pecunias versetur, iam dicemus, idq; primum in genere, deinde in specie. In genere, quia rectum honestumq; divitiarum vsum ostendit. ἐπάξω] Nam quibus rebus bene & malè uti possumus, illarum rectum honestūq; vsum virtus docet. Ipsius n. honesti ea vis ac natura est, vt seiungi à virtute nequeat. Atqui pecunijs & bene & malè vti possumus. καὶ πλούτῳ] E. pecuniarum rectum honestumq; vsum virtus docet.

χρήματα sunt χρήσιμα.

9. Minor huius syllogismi sic confirmatur: ὧν δ' εἰσὶ χρεῖα] Quæcunq; sunt χρήσιμα, vtilia, ijs bene licet vti & malè. ὁ πλοῦτος] Atqui pecunia seu τὰ χρήματα sunt χρήσιμα. Namq; pecunia inter externa bona numeratur, quorum alia quidem honesta dicuntur, vt magistratus, honores, alia verò utilia, ut fundi gregesq; & ipsa quoq; pecunia, quippe cum ad vsum & quidem rectum honestumq; comparari debeat, non verò ad

solam

solam divitiarum possessionem, vt ijs aut defossis aut in area sepositis incumbemus.

10. χρῆσις δ' εἶναι] Quamvis enim divitiæ considerentur non tantum vt sunt χρήματα, quatenus ijs benè vel malè vti possumus, sed etiam vt sunt κτήματα, quatenus eas rectè vel non rectè possidere licet, conditio tamen & dignitas pecuniæ respectu nostri, quibus extrinsecus tanquam instrumenta adsunt divitiæ, magis ἐν χρήσει quæ est δόσις & δαπάνη, quàm ἐν κτήσει, quæ in λῆψιν & φυλακὴν subdividitur, consistit.

11. διὸ μᾶλλον] Hinc apparet, si in specie consideraverimus, quomodo Liberalitas circa pecuniam versetur, quod dare quàm accipere, & conferre alijs, quàm sibi comparare viri liberalis proprium magis sit, quodq; ob hanc causam hæc virtus in χρήσει divitiarum potius consistat, eamq; κτήσει præferat, atq; ita magis in dando erogandoq; quàm in accipiendo vel non accipiendo posita sit, id quod sex argumentis probat Aristoteles. *Liberalitē in dando magis consistere quā in comparando.*

12. τῆς ἀρετῆς χαίρ] 1. Arg. virtutis est beneficia potius conferre quàm accipere, honesta *1. Argum.*

honesta agere, quàm honesta pati, & non agere turpia. Atqui Liberalitas est virtus. E. liberalitas benè agere quam pati, & honesta agere, quam turpia non agere, potius esse ducet. οὐκ ἄδηλον] Iam verò dare est beneficium conferre, resq; honestas agere; accipere verò est pati & beneficio affici, non accipere autem, à turpibus actionibus abstinere. E. Liberalitas in dando magis consistit, quam in accipiendo.

2. Argum. ab adiunct. 13. καὶ ἡ χάρις] 2. arg. Ea liberalitas, cui gratia debetur, maior est & illustrior, quam illa, cui gratiam agere non consueuimus. Atqui ei qui dat liberaliter, non autem qui accipit, gratias agere solemus. E. in dando magis quàm in accipiendo consistit liberalitas.

3. Argum. item ab adiunctis 14. καὶ ὁ ἔπαινος] 3. Arg. In quo laus maior consistit, in eo etiam virtus & per consequens Liberalitas magis consistit. At in dando maior laus consistit, quam in accipiendo. E. Liberalitas in dando magis consistit quam in accipiendo.

4. Argum. ex subiect. 15. καὶ ῥᾷον] 4. Arg. Liberalitas sicuti omnis virtus circa difficilius versatur magis, quam circa id, quòd non adeò est difficile. At difficilius est dare quam accipe-

accipere vel non accipere. Suum enim quisq; minus libenter profundere vult, quàm non accipere alienum. E.

16. καὶ ἐλευθέριοι] 5. Argum. Qui communi hominum sermone liberales appellantur, eos maximè liberales esse verisimile est. At ij, qui dant, liberales dicuntur, & propter liberalitatem laudantur. Neq; enim ille qui accipit, ob liberalitatem vt munificus laudatur, sed si non accipiat, vnde non oportet, laudatur quidem, sed ob iustitiam tantum. E. illos qui dant, liberales maximè esse verisimile est. *5. Argum. ab autoritate populi.*

17. φιλοῦνται] 6. Arg. Quicunq; amatur propter vtilitatem, is non propter λῆψιν sed propter δόσιν amatur. τοῦτο γὰρ] Nam utilitas ex λήψει in alios non redundat, sed ex δόσει tantum. φιλοῦνται] Atqui liberales liberaliter agendo & sua copia aliorum inopiam subleuando id efficiunt, vt & à singulis & ab universa multitudine mirum in modum amentur, & publicè privatimq; chari habeantur. Nam vulgus amicitias vtilitate probat. E. Liberalitas in δόσει potius quam in λήψει consistit. *6. Argum. ab adiuncta dilectione.*

18. αἱ δὲ κατ' ἀρε]ὴν] Differentiam definitio-

Quod Liberalitas sit mediocritas.

finitionis, quæ sumitur ab obiecto, ϕ nempe Liberalitas versetur περὶ τὰ χρήματα, iam vidimus. Sequitur vt formale quoq; genus consideremus, nempe quod & quomodo sit Mediocritas. Mediocritatem autem eam esse extrema etiam ipsa declarant. Siquidem ipse, cuius proprie Liberalitas est, dandis vtendisq; pecunijs ita est affectus, vt quod inter parum nimiumq; collocatur, medium semper retineat. Neq; n. aut in exuperantiam dando prolabitur, aut in angustũ deficiendo contrahitur. Quod si igitur extrema sunt vitia, vt virtus sit mediocritas necesse est.

Quomodo sit mediocritas.

19 Quomodo autem sit mediocritas videndum primum est in χρήσει pecuniarum, cuius duæ sunt species, δόσις & δαπάνη. Verum quia δόσις videtur esse vtilior, quomodo circa illam versetur liberalis, declarat Aristoteles primum per se partim ex causis, partim ex accidenti, deinde ex suo contrario. δαπάνην autem sub δόσει comprehendit, sicuti ipse paulò post fatetur, vbi inquit: καὶ τὴν δαπάνην γὰρ εἰς τὴν δόσιν τίθεμεν.

Liberalitas ex fine cõsiderata.

20. Ex causis. Vbi illud primum monet, ne à fine ipso, qui liberalitati propositus

pòsitus esse debet, turpiter deflectam⁹. Namq; gratuitum illum esse vult, nullumq; inde precium præter honestatem & rectam benefaciendi conscientiam expectari. Actiones n. virtutis & honestæ sunt, & honesti causa suscipiuntur. At, Liberalitas est virtus. καὶ ὁ ἐλευθέριος] E. eiusdem actiones honestæ sunt, & tantum honestatis causa suscipiuntur. Dare enim vt post vberius accipias, an est aliud quàm fœnerare? aut propterea quidem dare, vt eum cui das, ad voluntatem tuam largè agendo traducas, & eius est, qui ad vtilitatem ac voluptatem suam omnia referat.

21. καὶ ὁρῶν] Respectu formæ autem, quæ in eo consistit vt rectè det liberalis omnes circumstantias diligenter perpendat, vt & quid det, & quantum etiam det, & cui, & quando & quomodo & vbi, bene consideret. *Liberalitas ex forma cõsiderata.*

22. Nam quantum ad hanc circumstantiam, QVID dandum sit, attinet, diligenter hic videndum est, vt quæ dono dantur, & dante & accipiente sint digna. Neq; enim aut Grammatico Cataphractus equus, aut militi argento intectus Homerus convenit. Id enim *Quid sit dandum.*

inpri-

inprimis est dandum, quo alterius inopia sublevetur. Sic Alexander ille Magnus honesto loco natos, & magistratibus atq; honoribꝰ functos, quos inopia rei familiaris laborare intelligebat, alios alijs commodis, agris, servis, armentis, vt quem egere intellexisset, iuvabat. Neq; enim illis aurea cathena, quam de collo gestarent, conveniebat, neq; regem aliud, quam quo sublevaret eorum inopiam, dare decebat.

Quantum sit dandū.

23. Sed & QVANTVM te dare, & illum, cui das, accipere satis sit, hoc est, vt mensura retineatur, sine qua actiones nostræ rectæ esse nequeunt, quanta & dantem & accipientem summa deceat, exactè pensitandum est. Fortèn. regium non est, quod Rex benè de se & regno suo meritis largitur, vel tantum fortè est, vt accipiens id capere meritò reformidet. Si enim Rex tetrarchias ac regna privatis quibusdam conferat, quis iure hoc laudare possit?

Cui sit dandum.

24. Sic videre etiam atq; etiam oportet, cui des, in quo ne peccetur, itidem & tua & illius persona consideranda est, vbi etiam mores illius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus

mus erga nos, & communitas, ac societas vitæ, & ad nostras vtilitates officia ante collata, atq; ita proborum improborumq; delectus est habendus. Quæ quidem omnia prolixè & eleganter explicat Tullius in 1. de Offic. vbi de beneficentia & liberalitate agit.

25. QVANDO vero & VBI sit dandum, id præceptis tradi non ita facile potest, existimo autem tunc & ibi dandum esse, vbi maximè est opus, qua ratione & munera ipsa sint gratiora, & voluntas dandi maior quodammodo propensiorq; videatur, cum maiore etiam accipientis vtilitate. Sic Pomponius Atticus nullo vel loco vel tempore erga Ciceronem rectius exercere liberalitatem potuit, quàm cum eum fugientem e patria sestertijs ducentis & quadraginta millibus donavit. Sic & à principibus ciuitatum & à regibus servari illud solet, vt solennibus quibusdam festisq; diebus liberalitatem publicè exerceant. Interim tamen, cum liberalis sit, si possit, etiam prodesse omnibus, quis non intelligit, non semel, aut raro, sed quam sæpissime dare illum oportere? *Quando & vbi sit dandum.*

Quomodo sit dandū, ex accidēti nempe ex voluptate animi quā liberalis ex donatione percipit declaratur.

26. καὶ ταῦτα ἡδέως] In dando quoq; videndum est, ne quid in vultu, gestu, verbis appareat, quod liberalitatem ipsam perindè ac labes aliqua inficiat, h. e. ne qui accipit tristem te, aut verbis min⁹ gratis vtentem animadvertat. Virtus enim omnis iucunda est, h e. vel cum voluptate animi juncta, vel saltem tristitiæ expers. At liberalitas est virtus. E. Liberalitas cum voluptate dabit, & datione ipsa per se delectabitur. Hinc illud Hesiodi: χαίρει τοῖς δώρῳ, καὶ τέρπεται ὃν κατὰ θυμὸν. Et in sacris dicitur: Hilarem datorem diligit DEVS.

Munera ipsa gratis verbis exornanda esse.

27. Quocirca hoc quoq; in dando videndum est, vt læta fronte, vt verbis p loco & tempore ac persona quàm maximè accommodatis, quæ animi libentiam quandam declarent, & demus & dedisse videamur. Sic etiam munera ipsa nonnunq̄ honestanda verbis sunt, & dantis animus quam potest erga eum qui accipit declarandus. Nam & munera ipsa quanq̄ magna, tamen si ad dantis voluntatem, si ad accipientis merita referantur, exigua quidem esse dicet: contra ubi minora illa fuerint, non munera ipsa, sed eius qui dat egregiam

giam voluntatem, optimumq; in accipientem animum considerandum, atq; alia munera alio in tempore & plura & maiora expectanda. Quin id quoq; præ te feres, vt tute quidem habiturus ei gratiam sis, quod munera abs te accipiat, plurisq; ducas te eius esse amicum, quàm facias pecuniam.

28. ὁ δὲ διδοὺς] Qui igitur in vno ex ijs, quæ iam diximus peccarit, liberalis nomen non meretur. Respectu autem formæ peccat, si det quidem, quæ, quãtum, quomodo & vbi oportet, sed non det quibus oportet, si nempe in improbos & minimè dignos beneficium conferat. vel si det, quibus oportet, sed non quantum. vel si det, quæ, quibus & quantum oportet, sed non quando & vbi oportet. *Quomodo circa pecuniã versetur liberalis, ex contrario declaratur. Respectu formæ peccatur.*

29. ἢ μὴ τοῦ καλοῦ ἕνεκα] Sic quoq; respectu finis peccat, qui non dat honesta de causa, sed vel propter libidinem, vel honorem, vel vindictam vel lucrum. Sic plerosq; videre licet, inquit Tullius, non tam natura beneficos, quam quadam gloria ductos, vt benefici videantur, facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostentatione, quam à voluntate *Respectu finis peccatur.*

luntate, contra quos tritum illud est Christianorum proverbium, Ignorare sinistram debere, quid dextra dederit. Sic multi propter spem lucri benefici sunt erga alios. A quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt.

Respectu accidentis peccatur.

30. οὐδ' ὁ λυπηρῶς] Ad eundem quoque modum peccat, qui formam quidem & finem liberalitatis observat, atq; ita dat, quibus, quando, & quam ob causam, oportet; sed gravate tamen dat & cum difficultate, ut maius id quod dat, retinere velle videatur, quam amico dare. Ex hoc enim Liberalitas ipsa gratiam aut omnem, aut magna certe ex parte amittit. τοῦτο δ' οὐκ] Nam qui pluris facit pecunias, quam honestas actiones non est Liberalis. μᾶλλον γάρ] At qui dat, sed cum quadam difficultate dat, pluris facit pecuniam, quam honestam actionem. E.

Mediocritatis natura explicatur in κτήσει pecuniæ.

31. οὐδὲ λήψεται] Quomodo Liberalis versetur in χρήσει pecuniæ, diximus. Nunc quomodo ἐν κτήσει. Huius etiam duæ sunt species λῆψις & φύλαξις. Quod ad λῆψιν attinet, Liberalis quoq; capere etiam debet: quod ni fecerit, breui fons ipse

ipse liberalitatis arescat necesse est. Abstinebit autem à quocunq; infami quæstu, turpi emolumento, fœneratitio reditu, parum licito compendio, ab omni deniq; inhonesta atq; illiberali commodorum adeptione. Nam ea, quæ accipere inhonestum est, etiamsi offerantur, non tamen accipiet. οὐδὲ γὰρ ἐστὶ] Qui n. pecuniam ꝑ se nihili æstimat, ea etiam, quæ offeruntur sponte, siquidem inhonesta sint, non accipiet. Atqui liberalis per se pecuniam nihili æstimat. οὐδὲ λήψεται] E. οὐκ ἀν εἴη] Neq;, si non offerantur, petet aut procax erit. Beneficus enim homo non facile beneficium accipiet, sed potius conferet. λῆψις.

32. ὅθεν δὲ δεῖ] Accipiet verò, sed honestè v. g. de suis bonis & fructibus. Quin etiam quæ oblata sibi sunt ab alijs munuscula, ita grata sibi esse significabit, vt plurimi ea facere videatur. οὐχ ὥς καλὸν] Sed in lucris, commodis, ac prouentibus omnibus, animum vultumq;, quàm potest, moderabitur, ne gestire quæstibus videatur, sed ob id solum eos sibi gratos esse, vt habeat, vnde subministrare ac prodesse alijs queat.

33. οὐδὲ ἀμελήσει] Ad φυλακὴν verò seu cu-

φυλακὴν. stodiam suæ pecuniæ quantum spectat, Liberalis eam non negliget, sed potius honestè conservabit, vt hinc aliorum tenuitatem sublevare possit, neq; largietur quibuslibet, temeritate quadam sine iudicio vel modo, vel repentino (quodam quasi vento) impetu animi incitatꝰ. Etenim (vt dixi) liberalitatis fons exiccandus non est, sed conseruanda quædam, vt habeas semper liberalitatis exercendæ materiam. ἐλευθερίᾳ] Sed tamen cum honestas ipsa vbiq; sit amplectenda, non minore, imò verò etiam maiori cura pensitandum, conuenire tibi potius, vt alijs prosis, quam vt commodis tuis studeas, tuiq; ipsius in custodienda pecunia ita sis memor, vt aliorum inprimis recorderis, & ita quidem recorderis, vt appareat alienis te commodis plurimùm incumbere, teq; ac tua sic colere, vt habeas, vnde dare alijs possis.

Quæstiones variæ explicandæ.

34. Explicata iam Liberalitatis naturâ, quæstiones adhuc quædam, quæ oriri poterant, restant dissolvendæ, quarum aliæ ad liberalitatis actiones, atque ita vel ad χρῆσιν, quæ ἐν δόσει καὶ δαπάνῃ consistit, vel ad κτῆσιν, quæ ἐν λήψει καὶ φυλακῇ posita

posita est, referuntur; aliæ verò ad accidentia, voluptatem videlicet & dolorem, quæ in agendo percipiuntur.

35. Ad χρῆσιν duæ pertinent quæstiones, quarum una est: An qui multa dat, liberalior sit eo qui dat pauca. Liberaliorem autem eum esse posse, cum δόσις non ex quantitate eorum, quæ dantur, sed ex habitu dantis sit æstimanda, sic probat Aristoteles: Si liberalis habitus secundum eius, qui dat, substantiam consideratur, nihil prohibet interdum eum, qui pauca dat, magis liberalem esse, quam qui dat multa. καὶ κατὰ τὴν οὐσίαν] Atqui liberalis habitus secundum dantis substantiam perpenditur. οὐ γὰρ] Non enim in multitudine eorum, quæ dantur, sed in habitu eius, qui dat, sita est vis liberalitatis. Is autem habitus dat pro facultatibus. οὐθὲν κωλύει] E. nihil prohibet interdum eum, qui pauca dat magis liberalem esse eo, qui dat multa, si modò pro ratione facultatum dederit. 1. Quæstio.

36. ἐλευθεριώτεροι] Altera quæstio: An qui divitias labore suo pepererunt, liberaliores sint ijs, qui ab alijs partas acquisiverunt, vtputa ex donatione vel hereditate. Hos verò liberaliores vide- 2. Quæstio.

ri, quam illos, ita manifestum euadit? Qui pauciores habent causas amandæ pecuniæ, liberaliores sunt ijs, qui habent plures. At qui pecuniam alieno partam labore sunt adepti, pauciores habent causas amandæ pecuniæ, quandoquidem egestatis incommodum non sunt experti. Qui verò pecuniam proprio sudore peperêre, plures habent causas amandæ pecuniæ, quia paupertatis præteritæ memoriam retinent, & opes, tanquam opera sua magnificiunt, vehementer diligunt, neq; facilè illas alijs elargiuntur. Suum n. cuiq; pulchrũ & charum. Sic Poëtæ sua carmina, & patres suos amant liberos. E. Illi quam hi liberaliores sunt, h. e. frequentiùs alijs dare conspiciuntur. Aliàs verò cum proprio labore parta dare difficilius sit, ex natura ipsa liberalitatis liberalior est, qui illa dat, quam iste, qui ab alijs accepta donat.

3. Quæstio. 37. πλεῖον] Ad κτᾶσθαι itidem duæ pertinent quæstiones. Vna est, An liberalis dives sit, & dives permanere queat. Negat hoc Aristoteles. Neq; enim potest dives evadere, cum non accipiat libenter, nec custodiat ea quæ iam habet:

προσλαμβάν]

πλουτῆσαι] neq; etiam diues permanere potest, cum opes ipsas eroget alijs, neq; illas per se, sed propter vsum magnificiat. Quocirca Fortunam vulgo criminantur, & cæcum esse dicunt Plutum, quod qui maximè digni sint diuitijs, minimè sint diuites. Hoc tamen non fortunæ tantum est adscribendum, sed quod liberales non sint diuites, id non fit sine ratione. οὐ γὰρ οἷόν τε] Qui enim nullam diligentiam adhibent, vt pecunioſi sint, illi nunquam etiam erunt diuites. ὥσπερ] Nihil enim absq; diligentia, studio & labore acquiri ab homine potest & possideri. At liberales nullam adhibent diligentiam, cum pecunias per se indignas esse curâ videant, nec nisi propter vsum expetendas. E.

38. οὐ μὴν δόσει] Altera ad κτῆσιν pertinens quæstio. Vtrum liberalis qui pecuniam per se nihili facit, sed propter vsum duntaxat expetit, quibuslibet eroget, an verò potius in bonos vsus reseruet. Illud negat Aristoteles. Nam quibuslibet largiri non esse hominis liberalis, sic evincit: ὥσπερ γὰρ ἔφημεν] Liberalis est, qui secundum substantiam, quantum, & in quæ oportet, sumtum

4. Quæstio.

facit. καὶ ὃς ἂν ταῦτα] At qui largitur quibuslibet, vltra quàm oportet, & in quæ non oportet, sumtum facit. E. Esse autem idipsum hominis Asoti & prodigi ita probat: ὁ δ' ὑπερβάλλων] Qui modum transit in dando, & semetipsum perdit, ita vt non habeat amplius quod dare possit, Asotus est. Nam qui tàm multa possidet, vt dandis atq; utendis illis vix abijcere modum valeant, quemadmodum Tyranni & reges, ij non ita facilè dicuntur prodigi, quamuis βάναυσοι sint & ἀπειροκάλοι, de quibus deinceps dicemus. At qui dat quibuslibet, etiam ijs, quibus non oportet, modũ transit in dando. E.

Liberalis capit voluptatem cũ ex δόσει, tũ ex λήψει.

39. τῆς ἐλευθεριότητος] Accidentia virtutem eiusq; actiones comitantia sunt voluptas & dolor. Voluptatem igitur percipit Liberalis cùm ex δόσει (Nam & quibus & quantum, & quando, & quomodo, & vbi oportet, largietur, non minus in magnis quàm in paruis, atque hoc ipsum jucunde ac libenter.) καὶ λήψει] Tùm quoq; ex λήψει. Nam à quibus, & quantum, & quando oportet accipiet, ex eaq; acceptione voluptate afficietur, non tamen per se, sed quoniam λῆψις seu acceptio τῆς δόσεως veluti ministra

ſtra eſt, accipiet honeſtè, vt honeſtè & iucundè poſſit erogare. Sic δόσις & λῆψις ſeſe mutuo conſequuntur, & ſunt ἐπόμεναι, non autem ἐναντίαι, & proinde etiam vtriq; adiuncta eſt honeſta iucunditas, & iucunda honeſtas, δόσει quidem primò & per ſe, λήψει verò per accidens, h. e. propter ipſam donationem.

λῆψιν liberalitatis eſſe iucundã.

40. Quod autem λῆψις non minus iucunda ſit, quam δόσις, ex hoc fit manifeſtum: Omnis actio liberalis eſt iucunda. At λῆψις eſt actio liberalis. E. Minor ſic probatur. Quæcunq; actio pecuniaria mediocritatem admittit, illa liberalitatis propria eſt. At λῆψιν non minus, quàm δόσις actio eſt pecuniaria & mediocritatem admittit. τῆς μεσότητος] E. λῆψις non minus quam δόσις propria erit liberalitatis.

λῆψιν liberalitatis etiam admittere me diocritatẽ.

41. Non minus etiam λῆψιν quam δόσιν admittere mediocritatem hinc patet: αἱ μὲν οὖν ἐπόμεναι] Quæcunq; actiones ſe inuicem conſequuntur, ita vt altera ab altera pendeat, eiuſdem ſunt mediocritatis, & in eodem reperiri poſſunt, tanquam ἐπόμεναι. αἱ δὲ ἐναντίαι] Nam q̃ non ſunt ἐπόμεναι, neq; à ſe mutuo pendent, ſed ſunt ἐναντίαι, in eodem ſimul ſubſi-

stere nequeunt. At λῦπις & δόσις se inuicem simul consequuntur. Bonam n. dationem similis consequitur acceptio. εἰ δὲ μὴ] λῦπις verò inhonesta δόσις honestæ non ἑπομένη, sed ἐναντία est & contraria, ac propterea simul esse nequeunt. Ex ijs enim, quæ turpiter, & vel furto, vel rapina, vel fraude & iniurijs aliorum parta sunt, quæq; ex inhonestis commodis proueniunt, quomodò proficisci dandi pulchritudo possit, non video, cum deceat inprimis mundas manus donantem habere, quas fœdari ex tali acceptione necesse est. E. λῦπις & δόσις eiusdem sunt mediocritatis.

Liberalis percipit dolorem ex non rectè factis.

42. ἐὰν δὲ παρὰ ἃ δεῖ] Quomodo ex actionibus suis voluptatem percipiat Liberalis, diximus. Sed & dolorem capit ex contrarijs actionibus. Nam cum recta nitatur ratione, quantum rectè factis gaudet, tantundem non rectè factis dolebit. Itaq; ægrè fert, se vel dedisse, quibus, quantum vel quomodo non oportebat; vel non dedisse, quibus, quantum, quomodo oportebat. Virtutis n. est, quibus rebus & quantum oportet, lætari aut dolere.

43. συκοφαντῶν]& Cur autem liberalis inter-

interdum erret, vt videlicet det quibus & quantum non oportet, hæc potest esse causa: Qui facilis est & ἐυκοινώνητος, ac pecunias non usq; adeò magnifacit, is facilè potest circa pecuniarum tractationem decipi & circumueniri ab alijs. At liberalis ἐυκοινώνητος est, atq; ad dandã pecuniam est procliuis, neq; eam adeo magnifacit. δώσεται] E. Liberalis facilè decipitur ab improbis laruâ virtutis se commendantibus. *Cur liberalis sumtum inutilem sæpè faciat.*

44. ἢ μᾶλλον] Magis tamen dolet liberalis, si non dederit, quibus, quantum & quomodo oportebat, quàm si dederit, quibus, quantum & quomodo non oportebat. Itaq; mauult in dando errare, quam in non dando. Quia non dare magis conuenit auaro & illiberali, à quo longissimè recedit liberalis, dare verò commune est ipsi cum prodigo, qui non adeò, neq; tàm enormiter pugnat cum liberali, quam auarus. *Liberalis mauult in dando errare, quam in non dando.*

45. ἢ τοῦ Σιμωνίδου] Hinc patet, quod Simonidis sententia non placeat liberali. Ille n. interrogatus, cur senex esset auarus, Respondit: Cum moriar, inimicis malo pecuniam relinquere, quàm viuens & egens amicos experiri. Et vt *Simonidis auaritia.*

Plutarchus scribit, gloriatus est, quod duas domi haberet arcas, unam pecuniarum, alteram gratiarum: sed illam se semper reperire plenam, hanc verò inanem & vacuam. Quo se nemini benefacere significauit. At liberalis mauult alijs benefacere, vt gratiam deportet, quam arcam suam pecuniariam semper plenam seruare, & benignitatis fontes non deriuare foras.

De extremis deinceps agendum.

46. ὁ δ' ἄσωτος] Diximus de Liberali. Sequitur de eius extremis adhuc agendum. Sunt autè illa mediocritati contraria, cùm ratione accidentis, tùm ratione essentiæ. Ratione accidentis, quia prodigus neq; delectatur neq; dolet, quibus actionibus oportet. Iam verò si prodigi, qui liberali affinior est, dolor & voluptas, liberalis dolori & voluptati contraria est; multo magis auaritia secundum hæc ipsa accidentia liberalitati contraria erit. σφόδρα] Ratione essentiæ autem, quia liberalitas in medio posita est, extrema à medio recedunt, per excessum & defectum.

Extrema in quibus cũ medio

47. καὶ ἐν δόσιν] Conueniunt tamen extrema cum medio in materia, quia in ijsdem spectantur actionibus δόσεως & λήψεως

λήψεως. Nam & δόσεως appellatione τὴν δαπάνην, ſicuti appellatione λήψεως φυλακὴν complectimur.

critate cõueniant.

48. ἡ μὲν οὖν ἀσωτία] Ασωτία igitur ſeu Prodigalitas ὑπερβάλλει τῷ διδόναι & ὑπερβάλλει τῷ μὴ λαμβάνειν, h.e. excedit nimium dando & non accipiendo, vt tandem decoquere cogatur, & ἐλλείπει τῷ λαμβάνειν, ſicuti & τῷ μὴ διδόναι, h. e. minus quàm decet, accipit, & non dat. Contra verò Illiberalitas τῷ διδόναι ἐλλείπει, minus quàm deceat dando, & ἐλλείπει τῷ μὴ λαμβάνειν, nimis quam deceat non accipiendo, ſicuti τῷ λαμβάνειν ὑπερβάλλει & τῷ μὴ διδόναι, h.e. nimium & plus quàm oportet accipit & non dat.

Actiones extremæ inter ſe cõferuntur.

49. Τὰ μὲν οὖν] Ex illis autem hæc oriri poteſt quæſtio, an neceſſe ſit ſemper has actiones, v. g dare & non accipere, vel accipere & non dare, coniunctas eſſe; an verò ſeparari à ſe inuicem poſſint. Ea verò occaſione vt huic quæſtioni occurreret Ariſtoteles, vitij vtriusq; ſpecies explicuit, & primum quidem τὴν ἀσωτίαν, ſeu, ut noſtri iam loquuntur, prodigalitatem, quam duplicem facit, aliam ſimplicem, aliam mixtam.

Quæſtio.

50. Simplex autem illa Aſotia, in qua utraq;

Simplex ἀσωτία. utraq; hæc actio, nimium videlicet dare & non accipere, concurrit, rara est, quoniam actiones ipsius οὐ πάνυ συνδιάζονται, non admodum copulantur, h. e. rarò simul in uno eodemq; homine reperiuntur. Neq; enim facile omnibus potest dare, qui à nemine accipit, cum substantia eius citò exuatur, præsertim qui priuatus homo est.

Auarusne an prodigo sit deterior 51. Ἐπεὶ δ' γε] Cum igitur prodigus in vtendis pecunijs, non verò comparandis exsuperantior sit, quærendum videtur, eorum vter sit deterior, longiusq; à medio, h.e. à liberalitate recedat, auarusne an prodigus. Sed auaros non modo profusis longè esse deteriores, verum morbo; etiam insanabili affectos, hinc liquet: ἰάτου] Nam auaritia indies crescit, prodigus verò tum ætate procedente, tum quod necesse est egenũ tandem fieri, sæpenumero compositiores mores induit, atq; à quo receserat medio, paulatim ad illud regreditur, quodq; de profusione eius multùm demant anni, reuocatur ad sanitatem, cum auaritia insanabilis morbus sit. Deinde prodigus multis prodest, quibus de suo confert, etiam larga manu,

nu, cum auarus ne sibi quidem ipsi sit commodus. Deniq; prodigus libenter quidem dat, quod est, (si modo id recte fiat,) tùm liberalis, tum generosi & magni animi, qui est in auaro pusillus & sordidus.

52. Ἀλλ' οἱ πολλοὶ] Mixta Asotia primùm cum illiberalitate est, quæ excedit quidem in dando, sed tamen præterea accipit vnde non oportet. Namq; vt habeant, quod dent, honesti lineam transgressi, rapacissimiq; effecti, promiscuè auferunt per summum etiam dedecus & infamiam, atq; vt profundendi cupiditatem exatient, si satiari posset, ita nihil omninò pensi habent, vt etiam in hostis, hoc est, auari castra transeant, cuius est, vndecunq; sine ulla recti & honesti cura non solum capere, verum etiam auferre.

Asotia cum illiberalitate mixta quatenus peccatur respectu λήψεως.

53. Λιπτικοὶ] Cur autem supra modum accipiant, duplex ab Aristotele assignatur causa. Prima est Egestas. Cum enim in vtendis abutendisq; pecunijs nimij sint, de quæstu verò commodisq; proprijs principio nullam omnino curam suscipiant, donec exhaustis opibus egere se intelligant, ibi tandem pœnitentia

Cur prodigi plerũq; fiant illiberales.

ducti

ducti ad auaritiam turpius dilabuntur, atqui omni ratione locupletari ſtudent, dandi conſuetudine penitus amiſſa vel potius repudiata, atq; ita alienis inhiant facultatibus, easq; per rapinam, cædem, ſacrilegia, lenocinia acquirere ſatagunt. ἅμα δὲ] Altera cauſa eſt Negligentia honeſtatis. Cum n. nullam honeſti rationem habeant, ſine religione, nulloq; diſcrimine vndiq; corradũt. Largiendi enim cupiditate flagrant, quomodò verò aut vnde largiantur, ſusq; deq; habent. Sic Nero, Scis quibus opus habeam? vnde habeas nemo quærit, ſed oportet habere.

Aſotia cum intemperantia mixta.

54. διόπερ] Sed & reſpectu δόσεως peccant prodigi in exceſſu, ita ut eorum donationes liberales non ſint dicendæ. οὐ γὰρ καλαὶ] Neq; enim honeſtatis cauſa dant, ſed vel ambitionis vel libidinis gratia. In quibus etiam illa vehementer ſunt reprehendenda, quod in homines indignos, in miniſtros fœdiſſimarum voluptatum, in adulatores, in mimos, in contaminatiſſimos quosq; ſua congerant, ab honeſtis ac probis viris manũ ſubtrahentes, eos autem diuitijs honeſtantes, qui diuitijs minimè digni iudicantur.

cantur. Quocirca familiaritates flagitiosorum hominum sibi adiungunt, quibus etiam sese totos dedunt, voluptatibus capti, atq; assentationibus deliniti. Vnde non mirum est, quod Asoti plerumq; etiam sint intemperantes.

55. ὁ μὲν οὖν ἄσωτος] Eiusmodi igitur homines, ni in ipso cursu habenas contineant, sed si ad eam quoq; rem magistrum adepti fuerint improbum, brevi in præceps delati, multisq; simul vitijs obruti, pessum eant necesse est. Et quia vitium hoc adolescentiæ familiare est, etiam atq; etiam caueant sibi istius ætatis homines, ne in illud profusionis barathrum dilabantur. Caueant quoque parentes, ne sic filios à teneris educent annis vsq; ad adolescentiæ florem, quémadmodum locuples illa mulier, cuius filius ipsa indulgente amplum patrimonium turpissimis artibus ante vicesimũ annum absumserat ac dissiparat, sed tandem, cum egere cæpisset, rapere, furari, iusiurandum vendere assueuerat. Hic enim Asotus filius, cum ad supplicium duceretur, mordicus matris nasum auulsisse dentibus atq; in humum expuisse fertur cum hac voce: sit hoc

cives,

elves, precium maternæ educationis. Non Prætor, inquit, sed mater me mea ducit ad suspendium.

56. τυχὸν] Nonnulli tamen Asoti, qui moderatores adipiscuntur fideles, eosq; audiunt, tandem erratum à se intelligentes paulatim in ipso cursu ante rem exhaustam effundendi moderantur impetum, atq; ad rem quærendam attentiores fiunt. Quocirca persæpe regredi ad medium solent, dum adhibito iudicio atq; intra gyrum rationis coerciti, in eos tantum, qui meriti sint, liberalitatem exercent, neq; præter rectum atq; honestum commodis suis student.

Auaritia est incurabilis. tum propter ætatem:

57. ἡ δ' ἀνελευθερία] Illiberalitatem verò de qua reliquum adhuc est dicere, maiorem atq; acriorem efficere morbi solent, & corporis imbecillitas, & ipsa inprimis senectus. Ex quo efficitur, vt auaritia morbus sit insanabilis. Senes n. pleriq; omnes tenaces cum sint, videtur cum ætate simul auaritia crescere. Hoc autem, quod tenaces sunt, accidit illis ꝓpter imbecillitatem, vt quò pauciora sibi adesse vident victus præsidia, quò pluribus se egere animaduertunt, eò tenaciùs opes custodiant. Cum enim

diu

diu vixerint, & multis annis vivendi consuetudinem, vt ita loquar, consecuti sint, putant se immortales fore, & nunquam morituros, atq; ob id sibi ad tam longam vitam multa esse necessaria quæ cum propter corporis imbecillitatem labore suo non ita facile parare possint, ijs quæ habent, tenacius inhærent. Iuvenes verò & corporis & animi præsidijs freti, de victu minimè desperant, atq; ideo non sunt auari.

58 καὶ συμφύεσθαι] Deindè quoq; accidit senibus, quod tenaces sint, etiam ob hanc causam, quia naturalis est habendi cupiditas. Vndè avaros longè plures quàm largos invenias. Est enim à natura homini datum, vt sua potius conseruare, quam profundere velit. Difficile igitur erit hanc naturalem inclinationem ex animo eluere. Namq; ad hunc naturæ instinctum anni continuè ipsi adferunt aliquid, efficiuntq; vt sæpenumero quos adolescentes ac juvenes videris profusiores, eos ingrauescente ætate astrictiores factos intelligas. *tum ex sua natura.*

59. καὶ διατεινόμενοι] Sed quamvis avari omnes maximè cupidi sint, teneanturq; ingenij aviditate, (inde enim nempe à *Formæ seu species illiberalitatis.*

nimio auendi affectu dicta avaritia) sintq; ad rem attentiores, ac supra quàm oportet ac decet, pecuniæ invigilent, cui etiam servire videantur: Sunt tamẽ aliquot eorum species, quia διατείνῃ ἐπὶ πολὺ, id est, multos mortales captivos tenet. Vt autem profusio, ita quoq; Illiberalitas seu avaritia, alia simplex esse videtur, alia mixta seu composita. Sed cum in duabus rebus vertatur, & in dando infra modum, & in supra modum accipiendo, haudquaquam simplex est & ὁλόκληρος seu integra in omnibus. ὁλόκληρος dicit Aristoteles, Metaphora ab herciscunda hereditate dicta, vbi ὁλόκληρος appellatur, qui solus & ex asse est heres. Hìc illiberalitas ὁλόκληρος nuncupatur, quæ simplex est & integra, quando nimirum actiones coniunctæ reperiuntur in defectu dandi & non accipiendi.

ὁλόκληρος

Composita seu mixta illiberalitas.

60. Composita autem μὴ ὁλόκληρος, non integra illiberalitas est, quando actiones diuelluntur, actiones inquam δόσεως & λήψεως. Quidam n. illiberales sunt, tantũ quoad λῆψιν secundum excessum, accipiendo supra modum, quibus nimium ineſt studium comparandis conseruandisq;

vandisq; pecunijs. οἱ δὲ ἧττον δόσει] Quidam verò illiberales sunt quoad δόσιν, secundum defectum, dando infra modum, qui rebus suis parcentes, summo etiam studio rei familiari conseruandæ inteti, & quam potest minimum de suo impendentes à rebus alienis abstinent, interdum etiam oblatas recusant.

61. οἱ μὲν γὰρ ἐν ταῖς τοιαύταις] Sed horum quoq; illiberalium complura sunt genera. Alij enim dant infra modum, neq; tamen interim accipiunt supra modum, vt sunt φειδωλοί, quos parcos nominare consuevimus, qui tamen, si priuati fuerint, tenuiq; in re constituti ac multitudine liberorum laborauerint, non adeo reprehenduntur, vt à quibusdam etiam mereantur laudem. In regibus verò & principibus, & ijs ciuibus, quorum res est opulentior atq; autoritas maior, quomodo laudari possit tàm minuta diligentia, quæ panis etiam miculas colligat, non video. φειδωλοὶ.

62. Huc pertinent etiam, qui græcis γλίχροι, γλίχροι. tenaces & viscosi latinis dicuntur, sumta Metaphora à rebus viscosis, quæ manibus adhærent, cum tanguntur. Ita enim videntur pecuniæ eorum ma-

manibus esse adglutinatæ, vt non ab ipsis facile extorqueri & avelli possint. In hunc ordinem quoq; referendi sunt κιμβικες, id est, sordidi, qui lucri causa etiam sordidissima ministeria subire non recusant, item κυμινοπρίσαι Cumini sectores, qui scilicet in diuisione hereditatis Cuminum minutissimum semen secari volunt in duas partes, ne minus accipiant ex hereditate.

κίμβικες.

κυμινοπρίσαι

Varia nomina eorũ qui non dant.

63 Non meliores sunt, si non deteriores, λιμὸς, λιμοκίμβιξ, κυμινοκίμβιξ, μικκὸς ἀνὴρ, συποκόνδυλος, συκοφαγίδης, φειδὼς, τυρόβιος, δυμβριπίδαπος, μυσάλμης. Omnes enim illi adstricti sunt, & tenaces, & aridi, atq; attenuati, quos tamen pro amplianda re familiari, ne minimum quidem ab honesto recessisse cerneres, sed in vtendis pecunijs nimis effractos ac minutos, atq; etiam concisos, & vt ita dixerim exangues, quorum exoleta semper vestis, mensa tenuissima & sordida, supellex exilis, eaq; carie exesa, quiq; ipso nomine præ se ferunt de suis fortunis aut nihil, aut quàm minimum conferre, cum sua omnia tam arctè atq; adstricte teneant, atq; ex arido quidem nullus manet succus, nihilq; prorsus effluat,

effluat, ipsiq; vt attenuati & abiecti de minima ac vilissima re nimis anxie solliciti sint, quemadmodum Euclio ille Plautinus, qui veluti aridus pumex Deum atq; hominum clamat continuò fidem,

De suo ligillo fumus si qua exit foras.
Qui aquam hercle plorat, cum lavat,
profundere,
Qui cum ipsi pridem tonsor vngues demserat,
Collegit, omnia abstulit præsegmina.

64. τῶν δ' ἀλλοτρίων] Hi fere omnes, cum nihil ipsi cuiquam de suo conferant, nihil ex alieno rapiant, non tamen continent honesti gratia. Quin hoc se quidem excusare solent, ne si dando rem suam minuant, ad turpia facinorosaq; impellantur, & ne muneribus, quæ ab alijs offeruntur corrupti, turpe quid in alterius gratiam facere teneantur. Hunc enim prætextum auaritiæ suæ faciunt, non dare se, ne accipere aliquando inhoneste cogantur.

Duæ sunt causæ, cur non accipiant. i. Nõ accipiunt quæ offeruntur, ob æquitatem quandam.

65. οἱ δ' οὐ διὰ φόβον] Verum nonnulli non accipiunt, quia illud magis timent, ne si ab alienis non contineant, non possint tueri sua, dum alios in se prouocant. Diffidunt autem ipsi sibi, atq;

2. Non accipiunt per vim & iniuriam propter metum.

ab inferenda iniuria manum cohibent, ne ipsis rursus inferatur. In quibus nihil video, quod laudari iure possit, siquidem ob metum non sponte continent.

Auari qui accipiunt supra modum omnia & à quibuuis.

66. οἱ δ' αὖ καὶ τὰ τῆι λήψει] Diximus de illiberalibus, qui in dando deficiunt. Sequitur nunc deterrimum auaritiæ genꝰ, quod partiri plures in species atq; , vt Cicero vocat, formas possumus. Neq; enim auari omnes pari atq; eodem modo, sed alij magis alij minus eius squalore, illuuie, ac fæditate contaminantur atq; inquinati sunt. Omnes autem in eo conueniunt, quod quæstum faciant, & accipiant vnde non oportet cum hominibus conuersantes & contrahentes. Qui quæstus, si consideretur respectu eius qui accipit, illiberalis & auarus dicitur; respectu verò eius, qui iniuria afficitur, iniustus appellatur. Capiunt igitur quæstum vel in contractibus ἐκουσίοις, vel in contractibus ἀκουσίοις.

Auari in contractibus ἐκουσίοις

67. οἷον οἱ τὰς ἀνελευθέρους] In ἐκουσίοις contractibus quidam accipiunt vnde non oportet, quidam plus quam oportet. Vnde non oportet, quæstum faciunt, quorũ ea est institutio, idq; consilium,

vt

vt dum quærant, dum in domum inferant, nihil ſordidum, nihil turpe defugiant, vt ſunt carnifices, lictores, veſpillones, cerdones, mechanici, item lenones, & quicunq; ſunt his ſimiles, vt proditores, ſicarij, milites impij, neq; eos eximendos eſſe puto, qui ex artib⁹ liberalibus quæſtum auarè faciunt, vt ſunt Medici, Poëtæ, Grammatici ac ludimoderatores auari. καὶ τοκισαὶ] Plus quam oportet accipiunt, qui fœnerant, non qui licitas & iure permiſſas vſuras accipiunt, item qui parua dant, vt maiora accipiant, qui fruſtis & pomis viduas ſectantur auaras. πάντες γὰρ] Et hi ſunt qui in contractibus ἑκουσίοις, vnde & à quibus minimè licet, & ſupra quam opus eſt, & quàm decet, quacunq; ratione capiunt.

68. κοινὸν] Omnes illi, quos iam diximus, pro exiguo quodam lucello infamiam ſubeunt, & cupiditate habendi, comparandarumq; diuitiarum, ac rei ampliandæ ardore nimio incenſi, præcipitesq;, cuncta vndiq; corradunt, non parcunt illiberalibus, non abſtinent ſordidis, quippe quibus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honeſti, nullus

Omnes prædictas ſpecies in ipſa αἰσχροκερδείᾳ conuenire.

deniq; famæ cultus aut respectus est, lucro, qualecunq; id sit, cuncta post habentes, omnia vtilitate proprijsq; commodis ac lucro etiam quantulocunq; metientes.

Tyranni iniusti potius dicuntur, quam auari.

69. Τοὺς γὰρ τὰ μεγάλα] Eos autem, qui causa magni lucri facin⁹ nefarium committunt, ut sunt Tyranni, ac direptores vrbium, eversoresq;, item templorum sacrorumq; spoliatores inter auaros nõ numerauerim. Quippe cum inter impotentes, iniustos, impios, Deorumq; contemtores numerari potius debeant.

Auari in contractibus ἀκουσίοις

70. ὁ μέν τοι κυβευτὴς] Sunt etiam auari, sicuti diximus, qui in ἀκουσίοις contractibus turpem faciunt quæstum, vtputa aleatores, fures: item qui piraticam exercent, qui latrocinia, sicas: item grassatores nocturni, & huius generis alij, qui furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent, dolo, vi, fraude, malis artibus, omniq; impuritatis ac flagitij genere. Siquidem horum ipsorum sunt compilationes, furta, latrocinia, violentiæ, rapinæ, falsæ obsignationes, iniqua iudicia, fraudes, mercenaria parricidia, venena, quibus effectum est, vt auaritia & habeatur

& sit

& sit vitiorum omniũ caput & fomes, quippe cùm ad omne flagitij genus viam aperiat.

71. αἰσχροκερδῆς] Quod autem hi quoq; sint αἰσχροκερδεῖς, sic probat Philosophus: Qui lucri causa ignominiam & dedecus perferunt, sunt αἰσχροκερδεῖς. κέρδους γάρ] At illi, quos diximus, tum blandi tum violenti exactores lucri causa ignominiam, & dedecus perferunt. Nam pro quæstu etiam tenui nonnulli maxima quæq; & vitæ & honoris pericula adeunt, nonnulli summa cum perfidia & infamia, in quos benefici esse deberent, in illos vim aut fraudem exercent. Ἀμφότεροι] Ambo igitur & blandi & violenti sunt αἰσχροκερδεῖς. Atq; ita omnes tales accipiendi rationes & viæ, quas hactenus commemorauimus, sunt illiberales.

72. ἀκόλουθος] Explicuimus iam duo quoque vitia liberalitati opposita. Sed vtrum profusio liberalitati magis an verò illiberalitas sit contraria quæstionis est. Nos verò hanc magis cum illa pugnare duabus adducti rationibus affirmamus. 1. Quia auaritia seu illiberalitas deterius vitium est, quam profusio, quemadmodum supra est ostensum.

2.

2. Quia homines frequentius peccant circa auaritiam, quam circa prodigalitatem, quoniam, vt supra quoq; dictum est, plures reperiuntur, qui modum excedunt in accipiendo, quàm qui modum excedunt in dando. Natura enim magis ad accipiendum, quàm ad dandū est procliuis. At de Liberalitate quidē, ijsq; vitijs, quæ cum ea pugnant, hactenus dictum sit.

DE MAGNIFICENTIA.

CAP. II.

Magnificētia differt à liberalitate tùm quoad actionum pecuniariarum species.

73. Δίξαι] Sequitur vt de Magnificentia disseramus. Nam & illa circa pecunias versatur. ὥσπερ] In quo autem à liberalitate differat, nomen ipsum declarare nobis potest. Nam cum à magnis faciendis Magnificentiæ nomen sit inditum, in magnis eam versari sumtibus par est. Neq; enim tenui impensa fieri magna possunt. Quocirca materiam ipsam, in qua versatur, habet cum liberalitate communem, neq; enim nisi è pecunia sumtus fiunt. Sed Liberalitas circa omnes actiones pecuniarias versatur, tum χρησικὰς in δόσει & λαπάνη: tum πρακτικὰς, ἐν λήψει & φυλακῇ. Magnificentia verò

verò circa χρησιμὰς tantum in δαπάνῃ & δόσει & maximè in δαπάνῃ spectatur, quas ob id δαπανηρὰς nominat Aristoteles.

74. ἐν τούτοις] Sed cum etiam liberalitas versetur circa δαπανηρὰς, magnas tamen esse eas, quæ Magnifico subijciuntur, nomen ipsum declarat, vt dixi, parvas verò & mediocres, in quibus Liberalitas, ex superioribus liquet. μεγαλοπρέπεια enim est δαπάνη πρέπουσα ἐν μεγέθει. Quamobrem Magnifici quidem opera videntur nobiles ædes, egregia templa, theatra, porticus, viæ stratæ, moles in mare iactæ, & si quæ sunt alia generis eiusdem, quarum rerum nihil ad Liberalem pertinet. Confert enim hic pecuniam solum, vt det, ac dando alijs prosit. Magnificus autem magis impendit, quæ dat, & propterea sumtuosus potius quam dator esse videtur.

tum quoad subiectæ pecuniæ quantitatem.

75. Τὸ δὲ μέγεθος] Cum igitur vis ac Natura Magnificentiæ in magnitudine posita esse videatur, sciendum est, quod illa Magnitudo ad aliud referatur, nempè vel ad personam quæ sumtum facit, vel ad res ipsas, hoc est ad opus in quod fit sumtus, & ad pecuniam, quæ impendenda est.

Vis ac Natura Magnificentiæ in Magnitudine consistit.

Magnitudo respectu personæ.

76. περὶ γὰρ τὸ αὐτὸ] Autoris personæ ratio prima est habenda. Alius enim sumtus magnus decet trierarchum, alius præfectum spectaculorum. Sed interim tamen videndæ sunt facultates, ne ridiculus fiat, si aut sui, maiorumq; obliuiscatur, aut operi incepto facultates maximæ impares sint. Decet enim reges regia, & magnos sumtus facere ei⁹ est, cui pecuniæ affatim suppetant.

Magnitndo respectu operum.

77. καὶ ἐν ᾧ] Deinde habenda est operum ratio, vt digna ipsa sint. Magnum enim id est, quod vel vtilitate, vel elegantia, vel perpetuitate sua commendatur. Sic metiri quoq; Magnificum, & minutatim, vt dicunt, expendere oportet, quid Dijs, quid etiam hominibus debeatur.

Magnitudo respectu pecuniæ.

78. καὶ ἃ] Deniq; spectatur etiam in pecunia τὸ μέγεθος seu Magnitudo. Sed pecunia magna dicitur secundum substantiam possidentis, ita tamen, vt operibus sumtus respondeant, sintque vt opera magna, ita & ipsi sumtus magni, ac ipsis operibus digni judicentur. Magni enim sumtus & opera ipsa magna, non ipsa modo censentur admirabilia, verum ipsos quoq; autores admi-

admirabiles faciunt, quos æque genus omne hominum laudibus etiam mirificis prosequatur.

79. ὁ Δ' ἐν μικροῖς] Quin igitur & Populo ipse, quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi, eos qui in magnis actionibus pecuniarijs decorum obseruant, Magnificos etiam appellet, et non tantum liberales, nullum omnino est dubium. Nam qui sumtus facit in res paruas, non dicitur Magnificus, sed liberalis tantum, vt qui dat mendico munus. Qui verò sumtus magnos facit, is quoq; Magnificus appellatur. ὁ μὲν γὰρ] Qui n. Magnificus est, idem quoq; liberalis existit, quamuis non statim qui liberalis est sit & ipse magnificus, siquidem liberalitas à Magnificentia magnitudine superatur

Magnifici etiam vulgo vocantur qui in magnis sumtibus faciendis sunt occupati.

80. τῆς τοιαύτης] Qui autem decorum in illis pecuniarijs actionibus non obseruant, sed vel in magnitudinis defectu peccant, vel in eiusdem excessu, ij μικροπρεπεῖς vulgo dicuntur, & βάναυσοι seu ventosi, inflati, de quibus paulò post vberius dicemus.

Qui non seruant decorum in magnitudine sumtuum.

81. ὁ Δὲ μεγαλοπρεπὴς] vt verò definitio Magnificentiæ superius tradita rectius intelli-

Magnificentiæ definitionis particula πρέπουσα, explicatur à causa efficiente.

intelligatur, singulas eius particulas perpendamus necesse est, & primum particulam πρέπουσα. Respectu igitur causæ efficientis τοῦ πρέποντος Magnificentiæ est, vt Magnificus sit ἐπιστήμων & recta nitatur ratione, sciatq; quid se dignum sit, quod confirmat Aristoteles hoc syllogismo: Nemo decorum vel invenire, vel obseruare potest, nisi sit ἐπιστήμων seu prudens & intelligens decori. τοῦ πρέποντος γάρ] At Magnificus decorum inuenire & obseruare potest. E. Magnificus est ἐπιστήμων sciens, intelligens, prudens, & recta nititur ratione. Nemo enim insciens recte agere potest. Nec si quid casu aut temere rectè successerit, ea laus agentis est.

Magnifici habitus est decorus & magnus.

82. Minor huius syllogismi sic confirmatur: ὥσπερ γάρ] Quales sunt Magnifici actiones, talis est & habitus. Ex actionibus enim habitum acquiri & acquisitum declarari lib 2. cap. 2. ostensum est. αἱ δὲ τοῦ μεγαλοπρεποῦς] Atqui Magnifici actiones decoræ sunt & magnæ, hoc est, Magnificus in ijs decorum & magnitudinem quærit & obseruat. E decorus & magnus est habitus Magnifici, h. e. decorum inuenire & obseruare potest.

83.

83. τοιαῦται δὴ] Sed & huius prosyllogismi propositio Minor, quod videlicet actiones Magnifici decoræ sint & magnæ, sic probatur. οὕτω γὰρ ἔσται] Quale opus est Magnifici, talis quoq; actio eius & sumtus. Nam sumtus non per se, sed respectu operis consideratur, ita vt & opus sumtu dignum sit, & sumtus opere, aut etiam paulo maior. τοιαῦτα] At opus Magnifici magnum est & decorum, v.g. opera publica, ut porticus, templa, moles in mare iactæ, viæ stratæ, theatra, pontes & huiusmodi alia. Item priuata opera, vt ædes magnificæ, vt villæ sumtuosæ, turres, pyramides, sepulchra &c. E. Magnifici quoq; actiones magnæ sunt & decoræ.

Magnifici actiones esse decētes & magnas.

84. δαπανήσει] Respectu finis etiam Magnificus spectat decorum, quia honestatis duntaxat causa, non gloriæ, non ostentationis causa sumtū facit magnos, atq; ob id eius finis, vt cæterarum virtutum gratuitus existit. Siquidem Magnificus magna efficit, quia per se pulchrum id sit, quia dignum, quia generosum, hoc solo contentus quod magna effecerit, quodq; in illis decenter sese gesserit. Sin verò non honesti gratia

τὸ τέλος explicatur respectu finis.

tia sumtus suscipiantur magni, non tamen opera quidem ipsa probari recte possunt. Vt cum Alphonsus decrevit novis atq; amplis muris Neapolin cingere, clam tamen id studeret, vt nova vectigalia ratione hac ciuibus imponeret, quæ quidem res non parum de beneuolentia eius & gloria detraxit.

τὸ πρέπον explicatur respectu accidentis.

85. καὶ ἐν ἡδίοις] Deniq; τὸ πρέπον seu decorum Magnificentiæ etiam in eo consistit, vt Magnificus pecuniam suam impendat non solum libenter, verum etiam singulari cũ voluptate & studio, & quidem tanto, quod dum operi intendit, dum pulchritudini atq; ornatui prospicit, indicet despicientiam quasi quandam pecuniarum effundendarum. Delectant enim pulchra & magnifica. Quid autem pulchrius ac delectabilius, quàm magna facere? Quæ si delectant, cum summo etiam studio vt fiant necessarium videtur.

Altera definitionis particula (ἐν μεγέθει) explicatur.

86. καὶ προσιόντως] Sequitur altera definitionis Magnificentiæ particula, ἐν μεγέθει, explicanda. Magnificus igitur si consideretur per se, magnitudinem obseruabit non tantum in sumtu, quoniam προσιόντως .i. prolixè impendet (Nam

sumtus

sumtus minutim velle ad calculum reuocare, ad μικροψυχίαν pertinet) sed etiam in opere, vt nimirum illud quam pulcherrimum & quam maximè decorum quantouis sumtu faciat.

87. Ἀνάγκαιον] Quamuis autem Magnificus cum Liberali conueniat, quemadmodum species cum genere, atq; ob id non minus quam liberalis, in quæ & quomodo oportet, sumtus faciat. Differt tamen ab eo, q liberalis mediocritatem, magnificus verò magnitudinem spectet, atq; adeo magnificentia veluti magnitudo quædam sit liberalitatis circa pecuniarias actiones versantis, ita vt eodem sumtu Magnificus opus faciat magnificum, quo liberalis op⁹ quidem laudabile, sed non magnificum. Vt si liberalis egeno dederit quinquaginta, & Magnificus tantundem pecuniæ vrbis vias refecerit, vel quid simile.

88. Neq; obstat his, q supra diximus, operam Magnifico dandam esse, vt op⁹ sumtui, & sumtus operi respondeat, & ꝓpterea magni operis magnos necessarios esse sumt⁹, vt ob id non videatur verum esse, quod iam tradidimus, liberalis & magnifici eundem sumtum esse *Obiectio.*

Responsio, quod operis & κ]ήματος i. cuius possessione locupletes dicimur, diversa sit ratio.

posse, opera tamen diversa futura. Nam hic inter sumtum & opus distinguamus necesse est. Non n. eandem esse magnitudinem sumtus seu rei possessæ, quæ impenditur, & operis, in quod impenditur, sic probat Aristoteles: Quorum virtus .i. perfectio & excellentia diversa est, in ijs quoq; diversa erit Magnificentiæ ratio. οὐ γὰρ ἡ αὐ]ὴ] At sumtus & operis diversa est virtus. Nam virtus κ]ήματος .i. sumtus est ἡ ὑπὸ καὶ ἀξία, vt nimirum res quæ impenditur, preciosa sit & plurimi æstimetur, cuiusmodi est aurum. ἔργον δ'] Virtus verò ἔργου, in q̃ sumtus fit, est ἡ κάλλος καὶ ἡ μέγεθος, vt scilicet opus, vel pulchritudine quoad formam, vel vtilitate quoad finem, vel magnitudine quoad materiam præstet. τοῦ γὰρ] Opus n. magnum & pulchrum admiratione dignum est. E. sumtus & operis Magnificentiæ diuersa est ratio. Quia sumtus erit magnificus, si precium & æstimatio eius fuerit ampla. καὶ ἴσιν] Et opus erit magnificum, si eius moles, elegantia, vtilitas, fuerit magna. Nam sic θαυμαστὸν erit & admirabile.

Tertia definitionis

89. Εσι δ'] Tertia particula definitionis Magnificentiæ supra traditæ erat θαυ-

μάσιος,

πάνη, quam nunc, explicatis duabus prioribus particulis, exponemus. Δαπανηρὸν igitur primum considerabimus materialiter respectu rerum, in quas fit sumtus, quarum aliæ sunt publicæ, aliæ priuatæ. In publicas autem res, quæ aut sacræ sunt aut profanæ, sumtus collati ab Aristotele vocantur λαμπροὶ ampli & honorati, propterea ϕ in bonum cedant publicum, vt ob id princeps Magnificentia in his versari videatur.

particula (δαπάνη) *explicatur*

90. οἷον τὰ μὲν] Princeps igitur Magnificentia præcipue sumtus facit in Res cùm sacras, v. g. in Anathemata & donaria, in templa, delubra, altaria, & quæ ad honorem Dei quouis modo pertinent, vt in conservationem Ecclesiarũ & scholarum, ad salaria fidelibus Ecclesiæ ministris & ludimoderatoribus tribuenda: tùm prophanas, quæ ad totam ciuitatem pertinent, atq; ad publicum eius vsum & ornamentum. Cuiusmodi sumtuum apud Athenienses quatuor erant genera. vel ii fiebant impensæ in res bellicas, qualis erat præfectura triremium: vel fiebant in publica opera ciuitatis, vt erant theatra, porticus, aquæductus, thermæ, viæ publicæ, calcia, carceres,

Res sacræ.

Res prophanæ.

Impensarũ in res prophanas quatuor genera.

carceres, mœnia & similia vrbis propugnacula: Tertiò fiebant impensæ in ludos & spectacula: Quarto in publicas epulas & viscerationes seu publica sacrificia quæ pro tota ciuitate fiebant.

Eius qui sumtum facit, ratio habenda.

91. ἐν ἅπασι] In omnibus autem istis sumtibus ratio habenda est eius, qui sumtum præbet, cùm secundum eius dignitatem, tùm etiam secundum facultatem. ἄξια] Dignitas enim rem & personam requirit. At magnificentia ἄξιον seu dignitatem obseruat. E. Magnificentia & rem & personam requirit, vt nempe sumtus in rem magnam conferatur, sed qui personæ eius, qui sumtum facit, conueniat. Alia enim magnificentia decet regem, alia principem, alia comitem, alia nobilem, alia plebeium &c.

Pauper nõ potest exercere Magnificetiã.

92. Διὸ πενὴς] Quando igitur facultates consideramus, quæ ad magnificentiam requiruntur, pauper hanc virtutem exercere non potest, cum careat sumtu conueniente rebus magnis, & quia in nulla dignitate atq; auctoritate constitutus est, si conetur aliquam magnificentiam ostentare, magis deridetur & contemnitur ab alijs, quia non po-

test

test ex sua persona ipsi operi aliquem honorem aut splendorem adferre. κατ' ἀρετὴν] Omnis enim rectus conatus est secundum virtutem. παρὰ τὴν ἀξίαν] At pauperis iste conatus non est secundum virtutem, quia præter decorum est, non habita ratione facultatum. E.

93. Interim tn. etiam pauperē habitu Magnificum esse posse non imo inficias. *Pauper potest esse magnificus.*

Non enim fastidioso aditu virtus. Excitata ingenia ac viuida ad se penetrare patitur, neq; hausti sui cum aliquo personarum discrimine largum, malignumuè præbet: sed omnibus æqualiter exposita, quid cupiditatis potius, quàm quid dignitatis attuleris, æstimat. Ineq; captu bonorum suorum tibiipsi pondus examinandum relinquit, vt quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas. Val. Max. lib. 3. cap. 3. in fin.

Magnificentia secundum facultatem decet diuites.

94. Quemadmodum autem si facultatem consideremus, tantum divites, quibus opes adsunt, πρέπει] vel propria industria partæ, ἢ διὰ] vel aliena cura congestæ, vtputa parentum, maiorum, ἢ ὧν] vel ex liberalitate aliorum oblatæ seu donatæ: καὶ τοῖς εὐγενέσι] Ita quoq; secundum dignitatem Magnificentia decet viros magnos & amplos, in quibus splendor & dignitas reperitur, quales sunt, qui splendorem habent vel propter alios, vt qui genere sunt Nobiles, vel ex propriæ virtutis opinione clari, vel ex Magistratu, potẽtia aut opulentia.

secundum dignitatem decet viros maguos.

95. τῶν δὲ ἰδίων] Sed etsi Magnificentia in publicis maximè operibus enitescit: nihilominus tamen cùm vrbanas ædes, tùm villas magnificè ac pro dignitate structas exornatasque habere Magnificum volumus, quæ & vrbi sunt ornamento, & domino pariunt autoritatem. Adhæc qui divitijs affluat, qui sit è principibus ciuitatis, huic sordida & angusta domus dehonestamento est. Videtur enim indicium esse tùm auari, tùm abiecti animi. Confert etiam Magnificus magnas impensas in illas res priuatas, quæ semel tantum fiunt in vita, vt in nu-

Magnificẽtia in res priuatas.

in nuptias, quæ à coniugibus indissolubili nexu coniunctis ea mente, eaq; intentione celebrantur, vt nunquam repetantur. κοὐ ἴσα] Item in funera. Huc pertinent honores magistratus, veluti Consulatus, Prætura, Dictatura. Item honores literarij, vt gradus Magisterij, Doctoratus. Eiusmodi enim honores in vita tantum semel nobis deferuntur. *Sumtus qui semel tantum conferuntur in vita.*

96. κοὐ ἐπ πᾶσι] Sunt tamen etiam sumtus priuati, qui sæpius conferuntur, nempè ex boni civis officio in eiuscemodi res, quarum studio vel omnes ci ves, vel saltem ij, qui dignitate reliquis præstant, tenentur, v. g. Magnificentiam colere in equis alendis, in venationibus, in celebrandis genethlijs, & alijs solemnibus conuiuijs: item in recipiendis & honorificè dimittendis hospitibus, in conferendis muneribus, quæ non tantum magna esse debent, sed etiam & dante & accipiente digna. οὐ γὰρ] Quicunq; enim sumtus publici & communes sunt, in ijs potissimum Magnificus versatur, vt qui in alios potius, quàm in semetipsum sumtus facere præclarum ducit. Τὰ δ' ἰδῶσα] At ea quæ in hospites priuatim erogantur munera, *Sumtus qui sæpius conferuntur.*

publica & communia esse videntur. Quemadmodum n. ea dona, quæ Dijs etiam à priuatis hominibus in templis suspenduntur, publica sunt, quia toti populo, totiq; ciuitati Deorum conciliant fauorem: Ita quoq; priuatim data, publica euadunt, magnumq; ciuitati ornamentum adferunt, quia hospites dantibus inprimis, deinde etiam propter ipsos omnibus eiusdem ciuitatis ciuibus se obligatos esse arbitrantur. E.

Habendam esse operum rationem, vt digna sint.

97. κῶ περὶ ταῦτα] Cum igitur Magnificentia in sumtibus magnis illis quidem faciendis versetur, necesse est, hanc ipsam magnitudinem cumprimis sumtuosam esse, etiam cum dignitate, sine qua nec admirationi esse, nec commendari recte potest. Dignitas autem ipsa rebus his præcipuè comparatur. 1. Si quæ opera digna sunt factu susceptuq;, facienda suscipiantur, & præcipuè ea, quorum vsus tùm utilis ac necessarius videatur, tùm ratio, cur suscepta fuerint, probari iure possit. Profundere enim multam pecuniam, in quæ minimè opus sit, quæq; nullius sint vsus, hominis est inconsiderati, atq; ingenij parum compositi. 2. vbi digna fuerint visa

visa, accedat ornatus, amplitudo, materiæ præstantia, operis perennitas. Quod enim caret ornatu, ac pusillum est, quodq; vili constat è materia, nullamq; perennitatem promittit, magnũ profectò neq; esse potest, neq; haberi iure debet.

98. καὶ ἐν ἑκάστοις] Hactenus δαπανήματα considerauimus materialiter respectu rerum, in quas fiunt sumtus. Restat vt paucis quoq; subijciamus, quatenus δαπανήματα hic considerentur formaliter. Magnificentia igitur sumtuaria ὃ πρέπον observat, tùm quoad opus ipsum, in quod sumtus est faciendus. Opus autem aliud Dijs, aliud hominibus conuenit, tùm quoad sumtum, qui confertur in opus. vt n. opera sunt diuersa, ita etiam sumtus alius, qui in templum, alius qui in sepulcrum. Maiores n. sumtus faciendi sunt in extruendo templo, quàm in erigendo sepulchro. Ita etiam maiores sumtus faciendi sunt in excipiendis legatis Imperatoris aut Regis, quam in legatis principis, comitis, aut ciuitatis alicuius.

δαπανήματα formaliter considerata

99. καὶ ἐπι τῶν] Ad eundem quoq; modum Magnificus cùm in faciendis sum-

Magnificus magnus est quoad sumtum quoad opus:

tibus, tùm in opere extruendo præcipue spectat id, quod est maximè magnificum, ita vt non possit facilè ab eo, qui hac virtute præditus non est, superari. Interim tamen opus à sumtibus sæpè differt, vt supra diximus. Interdum n. opus, quod minimo constat, plurimùm gratiæ apud eum qui accipit, inuenit. Sic pueros ac puellas non tàm doni ipsius precium mouere solet, quam pulchritudo atq; ornatus, & quæ hodie dicitur elegantia, siquidem pocula ex nobilissimo vitro amplius quàm argentea puellam delectauerint, & puerum pusillus equus magis quam Tarentinus. At Maximilianus Imperator Venetorum munera vitrea, licet quoad opus, magnifica, at quoad sumtum, sordida irrisisse & frangenda curasse fertur.

Magnificentiæ extrema.

100. Τοιοῦτος μὲν] Talis igitur est vir Magnificus, qualem hactenus descripsimus. Recedunt autem ab hac ipsa virtute seu mediocritate genera hominum duo, qui non satis pro dignitate ac decore in sumtibus faciendis sese gerunt, nempe βάναυσοι seu ἀνελεύθεροι & μικροπρεπεῖς, quorũ illos ventosos seu inflatos dixeris, hos vero, quia in ijs animus est pusillus, pusillanimes.

101. ὁ δὲ ὑπερβάλλων ἀπειρόκαλοι igitur (qui dicuntur q. ἄπειροι τοῦ καλοῦ) & βάναυσοι, (qui appellantur sumta Metaphora ἀπὸ τῶν βαναυσίων, .i. sordidis opificibus, qui circa ignem & caminum laborant, quasi fumosi, quia inutiliter impendunt, & sumtus eorum quasi in fumum abeunt & frustra pereunt) peccant in excessu cum respectu materiæ & formæ tum etiam finis, quippe cum in ijs, quæ aut parum honesta sunt, aut quæ publicè priuatimuè nullo modo conducunt, aut in quibus nihil veræ laudis, nihil inest decori, effusissimi sint: ac tametsi hæc ipsa fortasse insunt, tamen dum ostentare pecunias, & facultates suas volunt, atq; ad sui admirationem trahere multitudinem studeant, alium, quam qui Magnificentiæ esse debet, finem quærant, & præter modum, ac decus plurima effundant, & in quibus largos esse par esset, manum sæpè contrahant. *Extremū Magnesi- centiæ in excessu.*

102. ὁ δὲ μικροπρεπὴς Ii verò qui animū pusillum in sumtibus faciendis gerunt, nimiumq; parci sunt, peccant in defectu cùm ratione materiæ, quia in res quidem parvas magnum, sed in magnas *Vitiū, quod opponitur Magnificentiæ in defectu.*

gnas & vtiles exiguum faciũt sumtum, vel etiam prorsus nullum: καὶ ὁ, λ] tum ratione formæ, quia cunctanter & cum tergiuersatione sumtũ faciũt, occasionẽ largiendi præterlapsurã sperantes, eosq; etiam minutè supputãt, & id unum, ne vltra quàm requiritur, impendant, metuunt. Deniq; quicquid impẽdũt, molestè & cum dolore impendũt, omniaq; se maiora, q̃ oporteat, facere arbitrãtur.

Hæc extrema sunt quidem vitia quoad habitũ, sed non reprehendũtur quoad actiones.

103. εἰσι μὲν οὖν] Sunt igitur quidem hęc duo extrema, quatenus considerantur in habitu & ex sui natura, quippe cum à medio recedant, vitia: Sed tamen si actiones eorum considerentur, vituperari non merentur, quia alijs damnum non inferunt. Nam qui excedunt, sibi ipsis tantum damno sunt, alijs verò interdũ vtilitati. At qui deficiunt, vt alijs non sint utilitati, suas tamen opes conseruant. Deinde etiam non admod. sunt deformes. βάναυσος n. ad Magnifici laudẽ propè accedit, & quia in paruis quis liberalis esse potest, licet respectu magnorum sumtuum sit modicus, ideoq; μικροπρεπὴς non longè etiam abest à laude liberalis.

Et tantum etiam de habitibus qui versantur circa pecuniam.

THEMATA

DE VIRTVTIBVS QVAE VERSANTVR CIRCA HONORES,

Respondente

IONA NICOLAI MEGAPOLIT.

De Magnanimitate.

I.

Vt divitiæ sunt instrumenta, sic honores sunt ornamenta vitæ humanæ.

INter bona externa seu fortuita etjam Honores recensentur, qui cum sint ornamenta vitæ humanæ, ut divitiæ utilitate sua, sic & ipsi sua jucunditate, præsertim quando veræ virtutis præmia sunt, principatum obtinere videntur. Quare cum de virtutibus, quæ rectum pecuniarum usum nobis monstrant, proximè egerimus, consequens est, ut quibus virtutibus gloriæ & honoris appetitum seu desiderium dirigamus ac

moderemur, videamus. Quemadmodum autem de Liberalitate ac Magnificentia seperatim egimus: Ita quoque de moderatione Gloriæ & honorum, tum magnorum, quam μεγαλοψυχίαν seu Magnanimitatem vocant, tùm parvorum aut saltem mediocrium, quam nos deindè σωφρνείας ἕνεκα Modestiam appellabimus, seperatim agemus.

Cur de Magnanimitate statim post Magnificentiam agat Aristoteles.

2. ἥδε μεγαλοψυχία] Convenit igitur μεγαλοψυχία in genere cum μεγαλοπρεπείᾳ, quod utraq; circa ea, quæ magna sunt versetur. Et hæc quoque causa videtur esse, cur Magnanimitatem Magnificentiæ connectat Aristoteles, atq; ita de illa prius, quàm de ea virtute, quæ circa parvos honores versatur, agat, licet in præced. prius de Liberalitate, quàm de Magnificentia egerit.

De Magnanimitate non minus in concreto, quàm in abstracto est agendum.

3. περὶ τοίνυν] Vt autem qualia sint illa magna, circa quæ hæc animi Magnitudo occupatur, intelligamus; non tantùm ex ijs, quæ de ipsa virtute, verùm etjam ex ijs, quæ de ipso, qui hac virtute præditus est, dicuntur, disputationem instituamus oportet. Cum enim cognatorum eadem sit natura; quod de Magnanimo dicitur, illud idem quoq;

quoque de Magnanimitate intelligendum erit, præsertim cum Magnanimus, quia ipsius actiones sub sensus nostros cadunt, facilius à nobis cognosci possit, quam ipsa Magnanimitas, quæ ut habitus in animo latet.

4. Δοκεῖ δὲ] Vt ergo quid Magnanimus sit, quid item Magnanimitas; cognoscamus; considerandæ sunt causæ ipsius & inprimis internæ, Forma scilicet & Materia. Forma ex Magnanimi definitione Formali, in qua solius formæ ratio habetur, perspici potest. Magnanimus igitur est, qui cum magnis sit dignus, magnis etjam se dignum judicat. Vbi duo præcipuè sunt consideranda, nempe rei essentia, ut nimirum primò dignus sit propter virtutis excellentiam, magnis honoribus: ac deindè opinionis veritas, ut scilicet sciat & opinetur se magnis dignum esse honoribus. Quemadmodum ergo homo ad virtutem per se, ad gloriam verò per accidens natus esse videtur: Ità Magnanimus non virtuti propter gloriam, sed gloriæ propter virtutem studet. Nam respectu essentiæ ἀξία seu dignitas requiritur, hoc est, meritum & ex-

Magnanimi definitio Formalis.

excellentia virtutis : At respectu veritatis ἀξίωμα, propriæ dignitatis vera persuasio, quam honoris desiderium comitatur. Gaudent enim honorari viri boni, ut indè tanquam ex testimonio aliorum confirment conscientiam propriæ virtutis.

ἀξία Magnanimi à contrario κακίᾳ probatur.

5. ὁ γὰρ μὴ] ἡ ἀξία Magnanimi, & quod suo merito magnis sit dignus, ita probatur : Qui enim se dignum judicat magnis, & tamen illis dignus non est, pro fatuo ac stolido, in quo nulla est virtus, meritò habetur. τῶν δὲ] At Magnanimus non est stolidus ac fatuus. Nullus enim eorum qui virtutem colit, cum idem recta ratione nitatur, stolidus esse potest. μεγαλόψυχος] E. Magnanimus non præter meritum ac dignitatem magnis se judicat dignum, sed ex suo merito.

τὸ ἀξίωμα probatur ex natura Modesti.

6. ὁ γὰρ μικρῶν] τὸ ἀξίωμα vero, & quod Magnanimus non modò magnis sit dignus, sed existimet quoque magnis se dignum esse, hinc patet : Qui enim tantum parvis se dignum judicat ex suo merito, is circa magna non versatur. ἐν μεγέθει] At Magnanimum circa magna versari ipsum indicat nomen.

E. Ma-

E. Magnanimus parvis se dignum non judicat. Sed qui parvis tantum se dignum esse existimat, per Metaphoram σώφρων seu modestus est dicendus. Vt enim is, qui in voluptatibus corporeis mediocritatem servat, σώφρων propriè dicitur: ita etjam qui in honoribus parvis appetendis & amplectendis moderatus est, σώφρων impropriè dici potest & μέτριος.

7. ὥσπερ καὶ] Discrimen autem inter Magnanimum & Modestum etjam ex hac similitudine constare potest: Quemadmodum enim in magno corpore laudatur pulchritudo, si probam omnium partium commensurationem habuerit, quippe cum tale corpus videatur esse perfectum, & habere aliquam dignitatem & admirationem; in parvo autem corpore laudatur συμμετρία, si nimirum artus ac partes corporis invicem sibi convenientes decenter pro statu ipso respondeant. Et licet tale corpus pulchrum non sit & admirabile, lepidum tamen est ac venustum: Ita in magnis honoribus consideratur animi magnitudo, si quis moderatè eos vel expetit vel despicit. In parvis autem

Discrimen inter Magnanimum & Modestum declaratur exemplo simili.

tem honoribus vel expetendis vel despiciendis consideratur modestia.

8. ὁ δὲ μεγάλων] Sed & respectu extremorum, quorum aliud in excessu est, aliud verò in defectu, deduci potest forma Magnanimi. Qui enim præter omne meritum in magnis & magnum sese censet, cum minimè quidem sit, & præclaris atque excelsis dignum, cum sit illis omni è parte impar, minimeq; idoneus, χαῦνος dicitur seu tumidus & inflatus. ὁ δὲ μειζόνων] in magnis dixi. Quia qui præter meritum majoribus se dignum judicat in parvis, non χαῦνος sed φιλότιμος appellatur. ὁ δὲ ἰλατ-τόνων.] Cujus autem animus, quamvis sit ipse ignobilis ac pusillus seque dejiciat, longè tamen etjam minoris seque resq; facit suas, itaque vel inferiorem, quàm ipsius captus est, sese in cunctis gerit, etsi aut propter generis nobilitatem, aut majorum merita, alijsque de causis ampliora forsitan mereatur etjam aliorum judicio ac sententia, is Pusillanimus est & omni è parte despicabilis, degener, abjectus.

Inflatus.

Pusillanimus.

9. Est

9. Ἔστι δή] Ex ijs, quæ diximus, jam patet, quod Magnanimus respectu quidem materiæ subjectæ, quia circa magnos, imò circa maximos honores versatur, sit μεγέθει ἄκρος, magnitudine summus, nempè si conferatur cum Modesto seu honoris studioso, qui circa parvos & mediocres occupatur: sed respectu formæ suæ hoc est, moderationis quam adhibet, μέσος est seu medius. τῶν γὰρ] Quia ijs tantum, quibus dignus est, se dignum censet, & mediocritatem hac ratione tuetur. οἱ δ' ὑπερβάλλοντες] Qui verò animo degeneranti sunt ac pusillo, ij propter innatam relassationem & supinam quandam ignaviam, longius à medio ad id quod minus est recedunt. Contra verò, qui animo turgescenti sunt ac vasto, longeq; amplius, quàm quod æquum est & honestum, de seipsis sentiunt, lineam prætergrediuntur, & medium infra se relinquunt. *Magnanimus quomodo sit ἄκρος.* *quomodo sit μέσος.*

10. Εἰ δὲ δή] De forma Magnanimitatis hactenus. Quantum verò ad Materiam subjectam spectat, ex superioribus patet, hanc virtutem generalem notam habere ipsam magnitudinem. *Objectum Magnanimitatis generale.*

Sed quia hanc ipsam quoq; pro subjecto habet Magnificentia, accidens istud commune, secundum substantiæ cui inhæret, diversitatem, distingui debet, & quemadmodum magnum illud quod Magnificentiæ subijcitur, in divitijs & opibus consistere ex superiori disputatione patet; ita quid sit magnum illud, circa quod versatur Magnanimus, hic inquirendum est. Esse autem illud unum & quidem inter magna maximum, hinc liquet: Virtus quæ circa magna versatur, versatur etjam eximiè circa unum, quod est maximum. Nam non nisi unum Maximum esse potest. εἰ δὲ δὴ] At Magnanimitas est virtus, quæ circa magna versatur, quemadmodum ex superioribus est manifestum, & ipsum quoque nomen satis luculenter ostendit. περὶ ἕν] E. Magnanimitas etjam circa unum, quod maximum est, eximiè versatur.

Magnanimitatis subjectum speciale accidentaliter consideratum secundum quantitatem.

11. τι οὖν] Quod si igitur Magnanimus se dignum judicat uno aliquo, eoque maximo bono, erit utiq; illud bonum extra magnanimum, id est, bonum externum, quod ille expetit & cupit consequi. Dignitas enim est in numero

Subjectum speciale essentialiter consideratum in genere.

mero relativorum. Est enim alicujus rei dignitas. Iam verò Relativa referuntur ad aliquid aliud extra se positum, non ad id quod ipsis inest, v. g. pater ad filium refertur, qui extra, & aliud quid quàm pater est. Nam quod relatis inest, est veluti fundamentum, cujus terminus foris & extra est quærendus. Versatur itaque Megnanimus circa externum bonum.

12. Μέγιστον δὲ] Iam verò inter externa bona Honorem esse bonum maximum & summum, nemini est obscurum. Quod enim Dijs primùm immortalibus piè, reverenterque tribuitur, deinde regibus, principibus, magistratibus cum summo etjam cultu, & summum illud & maximum merito existimandum est suo. Idipsum autem est Honor, quem ubiq; comitatur reverentia. Huc accedit, quod Honor sit præmium virtutis, earumq; actionum, quæ & virtutes constituunt, & ipsæ quoq; ex ijs proficiscuntur. Etsi enim nihil virtute ipsâ majus est aut præstabilius, nec præmijs externis per se indiget, nec honori famulatur: Id tamen unice agit, in eoq; tota est, ut emineat, atq; ut

Magnanimitatis subjectum speciale essentialiter in specie consideratum est HONOR.

est spectabilis, ita quidem in summo gradu conspici, & in precio haberi jure suo velit, eoque tanquam excitamento quodam alliciat ad sese consectandam, & exercendam homines.

Honor inter externa bona summum est.

13. Μέγιστον δὲ] Ex his liquidò apparet, si Dijs, regibus, summis si magistratibus, cum ipsos inter homines, ipsisq; in civitatibus nihil honore habeatur, aut existimatione majus, aut amplitudine etjam dignius, spectatiusque, honor exhibetur: si & virtuti ut dignum precium, gratiæq; consentanea relatio; primum quidem tenere locum humanis eum civilibusq; in rebus oportet, maximumq; omninò esse bonorum externorum omnium: atq; ut maximum, sic etjam pulcherrimum, summeq; expetendum. Indè factum est, ut ab honore honesti nomen sit ductum, vel certè ab honesto honor. Honorem enim verum sincerum, solidum, viro dignum, nisi per virtutem assecutus est nemo, cum divitias & potentiam summam per turpitudinem adepti sint, & adipiscantur quotidiè non pauci, eæq; etjam non raro postremorum sint flagitiorum antoramentum.

14. Διὸ

14. περὶ τιμὰς] Quemadmodum igitur pecunia materies quasi quædam est & Liberalium & Magnificorum hominum, in qua illi quidem cum laude versantur etjam summa: Sic honor & eorum qui magno & præstanti sunt animo, & qui contra pusillo & degeneranti, perindè ut eadem pecunia & avarorum & sordentium. Hinc magni est omninò animi ad gloriam virtutis via grassari, in magnisq; & maximè claris versari actionibus: Perindè tamen ut oportet ac decet, rectaq; ut jubet ratio, quo illum adipiscantur. Id quod nomen ipsum magnanimi præ se fert, ipsiusq; magnanimitatis appellatio. *Conclusio superiorum rationum.*

15. καὶ ἄνευ] Sed & absq; ratione, h. e. solo signo, quod ab actionibus quotidianis non tantum virtutis, sed vitiorum quoque sumitur, evidens est, subjectum horum habituum esse Honorem. Videmus enim, ut quisq; maximè generoso est animo, ita honoris esse expetentissimum, quam ad rem naturâ ipsa duce rapiatur. τιμῆς γὰρ] concurrit enim in illis tum ἀξίωμα, quod propter virtutem magnam se magno dignos esse honore autumant; καὶ ἀξίωμα] tum *Sed & absque ratione patet, honorem esse subjectum Magnanimitatis.* *Viri magni magno se honore dignos existimant.*

tum etjam ἀξία, quod revera etjam tanto honore sunt digni. Quocirca hujusmodi homines necesse est optimis & institutis inniti & artibus, multisq; pariter clarescere virtutibus, quo honorem ipsum assequantur, qui præstantissimarum sit meritum actionum: quandò nisi per virtutem, cujus ipsius æstimatur precium, aspirare ad illum nullo pacto queant.

Sed & pusillanimi circa honores occupantur.

16. ὁ δὲ μικρόψυχος] Sic & μικρόψυχος circa honores versatur, quamvis eos minores quàm pro dignitate sua expetat. Nam πρὸς ἑαυτὸν non tantum deficit, quia virtutem suam minoris æstimat, quàm debeat, sed etjam πρὸς τὸ ἀξίωμα τῶν μεγαλοψύχων, seu quoad existimationem Magnanimi, quia cum Magnanimus se magnis dignum existimet, hic se magnis dignum esse negat.

Et χαῦνοι seu elati.

17. ὁ δὲ χαῦνος] Ad eundem quoque modum & χαύνῳ materies quasi quædam Honores sunt propositi, quamvis ijs majoribus quàm pro merito suo se dignum existimet. Nam πρὸς ἑαυτὸν excedit non tantum, quia virtutem suam pluris æstimat, quàm debeat, sed etjam πρὸς τὸ ἀξίωμα τῶν μεγαλοψύχων, quia

pluris

pluris facit virtutem suam, & majoribus dignam judicat honoribus quàm Magnanimus. ὁ μὲν] Sed quoad meritum non excedit magnanimum. Neq; enim majore virtute est præditus, imò deficit potius in merito, cum & consilio sit destitutus, & à recto tota prorsus aberret via.

18. ὁ δὲ μεγαλόψυχος] Magnitudinem honoris explicuimus, circa quam versatur magni vir animi, nunc virtutis quoque magnitudinem, propter quam dignus est honore magno, consideremus oportet. Est igitur Magnanimus vir bonus, omnique virtute ornatissimus. Si enim Magnanimus sese maximis honoribus dignum judicat ex merito suo, optimus sit necesse est. μείζονος] Nam quo quisq; melior, eo majora meretur: optimus verò maxima. Sed verum prius. τὸν ἀγ] E. & posterius. καὶ δίκαια] Ex quo fit, ut Magnanimitas è quaque virtute, ut est ipsa præclara & nobilis, sic pro natura ac dignitate sua sibi mutuetur, accommodetque quod est in illa præclarum & nobile, idq; Magnanimo subjiciatur quoque, ut propter illud magno

Magnanimus necessariò est bonus.

Quod in quaq; virtute magnum est, id magnanimo subjicitur.

se ho-

se honore dignum judicet. Sitq; necesse, Magnanimum ornari ea coronâ, quæ virtutum omnium nobilissimis selectissimisq; è floribus sit contexta, utq; in quaq; virtute id teneat ac possideat, quod in illa est maximum, pulcherrimum, decentissimum.

Magnanimus necessariò non est malus.

19. οὐδ' ἀμῶς] Sed nec malum esse Magnanimum tribus hisce argumentis probari potest. 1. ab existimatione ejus: Cui nihil magnum est, nihilq; etjam magnum videtur, ille nihil turpe cujuscunque rei gratia committet. At magnanimo nihil magnum est, præterquam virtus. E. Non fugiet turpiter vitæ causa, qui vitam sine virtute nihili æstimat, neq; injuriam alicui faciet, cum ea, propter quæ injusti evadunt plæriq; non magni pendat. καθ' ἑκασα]

1. Argum.

2. Arg.

2. arg. Si Magnanimus esset malus, ridendus omni ex parte videretur perindè ut stolidi & insipientes, si honorari ob virtutem vellet, qua tamen præditus non esset. At Magnanimus non est ridendus, cum recta ratione nitatur & pro merito suo dignos appetat honores E. οὐκ ἄν] 3. arg. Si Magnanimus malus esset, honore non esset dignus

3. arg.

τῆς

τῆς ἀρετῆς] Virtutis enim precium est honor; vitiorum verò, dedecus & ignominia. Sed omninò dignus est honore. E.

20. εἰκὸς] Quoniam verò dignitas honoris ex virtute pendet, idcirco duo inde veluti πορίσματα seu corollaria oriuntur. 1. Quod Magnanimitas sit ornamentum quoddam virtutum cæterarum omnium, quippe cum non solum eas majores faciat & ampliores, & veluti declaret, suo judicio, suaque de ipsis opinione vera, καὶ οὐ] neq; etjam subsistere ullo modo possit absq; virtute, neq; honoris ἀξίωμα adesse, nisi virtutis adsit ἀξία. Διὰ τοῦτο] 2. πορισμα est, quod animi magnitudo difficilis sit, nec facile reperiatur vere Magnanimus. Nam καλοκἀγαθὸν esse dificile est, quippe cum καλοκἀγαθία cumulus quidam sit & amplexio omnium virtutum. Atqui in Magnanimo oportet esse καλοκἀγαθίαν, h. e. omnem virtutem & honestatem ita ut nulla virtus absit. Quoniam ergò hanc virtutem assequi maximè est difficile, nec maxime solum difficile, verùm etjam rarum admodum; idcirco rarissimi ex omni genere virtu-

Magnitudo virtutis confirmatur duobus corollarijs.

virtutum evadunt Magnanimi : Cum necesse sit, quod affluentissimorum est fontium, scatere ut illos aquis, sic hos virturibus permultis ac diversis, summaque imprimis probitate, beneficentia, fortitudine, continentia, & ad actiones omnes contentione, quando & magna & illustria eorum cuncta oporteat esse negotia, facta, officia : quibus ex omnibus hominum sibi potissimum concilient benevolentiam, atq; opinionem ad honorationem, reverentiam, admirationem.

Magnanimus dignum honorem amplectitur.

21. μάλιστα μὲν ὄυν] Ex ijs quæ diximus jam constat, Magni virum animi circa magnum honorem versari. Et quia contrariorum eadem est ratio, versabitur quoque idem circa ignominiam magnam. Sed & circa honores duobus modis occupatur. Honorem enim sua virtute dignum amplectitur, indignum verò repudiat. καὶ ἐπὶ] Digni autem sunt honores tum per se qui magni sunt, & amplum virtutis præmium continent, tum respectu deferentium illi qui à viris magnis & ijs, qui ipsi in laude vixerunt, deferuntur. ὧν τῶν] Oblatos igitur honores magnos amplectitur

citur quidem per se tanquam virtuti suæ correspondentes. sed & minores à viris probis & laudatis oblatos non contemnit. Quamvis enim ejusmodi honores parvi per se quidem indigni sint, qui veniant in censum præmiorum virtutis, propterea quod virtuti perfecte par honor reperiri non facile possit: Propter inopiam tamen eorum, qui deferunt, majora quæ tribuant, non habentium digni sunt, quos Magnanimus non contemnat, ne virorum bonorum de se judicium animo superbo & inhumano videatur aspernari.

Indignum honorem repudiat.

22. τῆς δ'] Cum autem magna conferri non nisi à magnis possint. quæque bona sunt ac laudabilia, non nisi à bonis ac laudatis viris, quæque jure tribuuntur ac merito, tribui nisi a bijs, quorũ id in manu est, & quorum interest, minime debeat, secus n. desinit esse justum; Idcirco à gravib9 ac præstantib. viris, & quorum interest, & de quibus probitatis atq; integritatis opinio est, & expectandus & accipiendus est honor. Namq; ut improbitati, pravitati, inquinationi nullus debetur honor, sed vituperatio potius: sic à nefarijs &

sceleroſis viris verus honor expectandus non eſt, minimè etjam ſi offeratur, accipiendus.

Quomodo verſetur circa ignominiam.

23. ὁμοίως] Eodem quoque modo, quò circa honores, circa ignominiam verſatur. Quandam enim ignominiam non curabit, ſi nimirum vel per ſe parva ſit, & quæ virtutis ſuæ radijs facilè diſsipetur; vel certè ab hominibus improbis, vilibus ac plebeis irrogetur. Aliquam vero curabit, ſi nempè vel per ſe magna ſit & inſignis; vel certè ab hominibus probis aut magnæ autoritatis inferatur ὀυ γὰρ ἐστι] Namq; ignominia, qualiscunq; illa ſit, Magnanimo injuſtè affertur, & virtute ejus indigna eſt. Proindè illam vel non curat, tanquam à ſe alienam; vel curat, tanquam virtuti ſuæ tenebras offundentem.

Magnanimus etjam verſatur circa alia bona ſed impropriè.

24. μάλιστα μὲν οὖν] Magnanimum proprie circa honorem verſari diximus, quia is inter externa bona eſt maximū. ὀυ μὴν] Sed & impropriè verſatur etjam in ijs bonis & malis externis, quæ non ſunt maxima. Sunt autem illa v.g. divitiæ, Magiſtratus, omnis denique ſecunda & adverſa fortuna. Itaq; & potentia, & divitiæ, & claritas generis, quæ

quæ fortunæ dicuntur bona, ubi aderunt Magnanimo, cum & ipsa quoque honorem afferant, quis dubitet vel plurimum etjam conferre ad exornandum eum, honestandumq́;? Verum enimvero in divitijs dignam se modestiam retinebit, & in principatu humanitatem viro consentaneam; atque eo quidem viro, qui seipsum & planè noscat, & quid quemq́; vitæ statum deceat, non ignoret.

25. καὶ οὐ] Neq́ue verò etjam quam personam retinuit in prosperis, eam ipse abijciet in adversis, ut quem felicitas non extulerit, adversa etjam non frangant & aspera, quippe qui nec tumultuanter, ut Cicero ait, eijcietur de gradu, sed præsenti utetur animo atq́; consilio, nec à seipso h. e. à ratione recedet. Est itaq́; Magnanimi etjam in his ipsis proprium, ita lætari prosperis, ut ne id quidem nimis, eumq́; se in illis gerere, rerum humanarum nullo modo ut videatur immemor: ita etjam commoveri adversis, ut nullo pacto concutiatur, deq́; gradu corruat suo, nec mœrore nimio conficiatur, quasi calamitate externa virtutis splendor

Quomodo se habeat Magnanimus in prosperis & adversis rebus.

offuscetur & obtenebretur. Etenim in magnum & præstantem animum, rerumq; humanarum contemtorem non cadit consternatio.

τὸ διότι, cur Magnanimus omnia externa bona contemnat & flocci faciat.

26. οὐκ ἀεὶ] Cur autem illa & bona & mala externa nihil possint in Magnanimum, isque ea contemnat potius & flocci faciat, ejus rei hæc ab Aristotele assignatur ratio. Qui honorem bonum inter omnia externa præstantissimum in rebus parvis numerat, is cætera quoque bona facile contemnet. Quem enim honores etjam summi non efferunt, an divitiæ insolentem, aut principatus sui immemorem facient? Et quem moderatio non deseruit constitutum in summo illo honoris suggestu, quod bonorum omnium habetur maximum, deseretne in opulentia & copia, quæ longè est honore inferior? Patieturnè magnitudo illa ejus comes, infirmari animum ejus, deq; suo gradu deijci? Atqui Magnanimus honorem in parvis numerat, comparatione scilicet præstantioris boni, virtutis nimirum. Neq; enim eum suprema dignitas effert, neq; eum summus honoris gradus sui reddit immemorem. E. multo minus

nus eum efferent longè inferiora bona, minusq; ab illo expetita, ac decoris sui ut obliviscantur, impellent. Itaq: neq; Magnanimus efferetur secundis, neq: deijcietur adversis.

27. αἱ γὰρ δυναστεῖαι] Majorem autem hujus syllogismi, quod nempè reliqua bona externa inferiora sint honorib. sic confirmat Philosophus: Ea quæ propter aliud expetuntur, eo propter quod expetuntur, sunt inferiora. Propter quod n. unumquodq; est tale, illud magis est tale. Atqui divitiæ & reliqua bona externa etjã propter honorẽ expetuntur. αἱ γὰρ] Nã divites & potentes, & qui hæc bona nacti sunt, propter illa bona honorari postulant. Cum enim & nobilitas & opes in civitatibus, & rerum familiarium copia habeantur in precio, multiq; præsidijs indigeant divitum, nobiliumq; familiarum patrocinijs, ut ij ob illa etjam bona quodammodo honorentur, admodum necesse est. E. reliqua externa bona sunt honore inferiora, licet & ipsa quoque conspectiora fiant, si huic bono ac pulcherrimo & honestissimo accesserint, & ipse quoque honor ac virtus magis nobili-

Cætera bona externa honore esse inferiora.

tentur, si adminiculetur ipsis accessio ipsa tùm generis potentiæq; tùm divitiarum: quemadmodum & honor & precium accrescit etjam gemmæ, quando auro exornatur.

Magnanimi sunt contemtores.

28. Διὸ καὶ ὑπερόπται] Quæ cum ita sint, non est mirandum, quod contemtores existant Magnanimi & humana omnia despiciant, quæ vulgus admirari solet. Quippe cum videantur adversantis fortunæ ictus ridere, qui propter excellentem virtutem, qua præditi sunt, dominari rebus humanis velint, qui secundas res atq; ad votum fluentes divitias, opes, potentiam, non modò non admirentur, verùm quandoq; etjam contemnant, atq; despectui habeant: qui laudari res ab alijs suas minimè ambiant, neq; ipsi laudandis alienis, quasi earum admiratores sese profundant: qui non quæcunque pericula à se obeunda, utputa parum digna sua magnitudine putent, nisi summa ea fuerint, atque, ut ita dixerim, Herculea: quibus honor denique vix satis omnino videatur, quamvis civilium bonorum supremum sit omnium. Neque enim virtuti perfectæ ullum

lum sufficiens præmium dari potest.

29 Hic igitur Magnanimi contemtus recto constat judicio, & humanitatem non modò non tollit, sed confirmat potius, promovet, amplificat. Est enim Magnanimus gravis quidem, sed non superbus: est etjam mitis atq; ad parcendum propensus, non sævus aut asper: facilis aditu, non difficilis: de suo conferens, non eripiens alijs: itemque tutator bonorum, propulsator injuriarum: bonus deniq; ipse & vir, & civis, & princeps. Secus enim honore esset indignus, cùm pravitas ipsa summè sit vituperanda atque adversa fronte honori obsistat vituperatio, improbatioque reverentiæ. Non ergò Magnanimi contemtus est superbia, & propterea à quibusdam immeritò condemnatur. *Magnanimus non est superbus.*

30. δοκεῖ δ'] Est enim Magnanimus, aut supra quoque diximus, καλοκἀγαθὸς, nempe ἀγαθὸς quatenus virtute est ornatissimus, & καλὸς, quatenus reliquis etjam bonis abundat, quæ tanquam instrumenta sunt virtutis & ornamenta, & quatenus bona sunt, eatenus etjam illis *Externa bona Magnanimo subijciuntur ratione honoris, quem jure habent.*

illis honor competit, quamvis impropriè & tantum propter aliud, nimirum quia virtutis instrumenta evadere possunt. Et hæc causa est, cur τὰ εὐτυχήματα Magnanimo subijci existimet Aristoteles. Quæcunq; enim honore digna sunt, aut saltem digna esse existimantur, in ijs locus est Magnanimitati. τιμῶνται] At bona ista externa honore existimantur digna esse, & qui his abundant, à quibusdam honorantur. διὸ καὶ τὰ] E. in bonis istis externis locum habet Magnanimitas. Minoris probatio apud autorem talis est: τὸ δ' ἀγαθῷ] Excellentia boni honore digna esse videtur. ἡ ὑπεροχὴ] At nobilitas generis & divitiæ sunt boni quædam excellentia, cum ex ijs virtus tanto & conspectior fiat & honorabilior. δι γὰρ.] E.

Virtus per se est honore digna.

31. καθ' ἀλήθειαν] Quoniam autem virtuti, quia animi bonum est verus honor debetur, propriè nimirum & per se; idcirco in virtute Magnanimitatem propriè consistere ex superioribus patet. ὧν δ'] Interim tamen, si adminiculetur Magnanimo accessio ipsa tum generis potentiæque, tum divitiarum, atque ita major quidam fiat bonorum cumu-

cumulus; tum certè ſplendidior exiſtit & concinnior, & magis adhuc nobilitatur.

32. οἱ δ' ἄνευ] Quicunq́; verò bonis externis absq́; virtute fruuntur, illi profectò magnis ſe honoribus non jure judicant dignos, neq́; rectè Magnanimi ſunt appellandi. ἄνευ] Magni enim eſt omninò animi per virtutem ad honorem contendere, quo ſe jure dignum, ac benè meritum putet is, qui Magnanimus verè dicendus appareat. Sic pauperes permulti cum eſſent virtutum ſtudioſiſsimi, haud magna ſæpè cum re in maximis & honoribus & magiſtratibus conſtituti ſumma cum gloria claruerunt. Contra verò divites, & qui genere tantum, non autem virtute ſunt nobiles, non raro inhonorati & deſpecti vixerunt.

Ευτυχήματα sine virtute.

33. ὑπερόπται] Sed & hiipſi ſine virtute Divites & Nobiles, contemtores improbi evadunt, atque aliorum oppreſſores contumelioſi. Da enim homini virtute non prædito opes & copias: da honores atque imperia: da firmam valetudinem, da gladiatorium totius corporis robur: da quicquid in

Improbus abutitur bonis externis.

filijs parentum votis optari solet: quo ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eò illum magis & in suam & in aliorum armaveris perniciem. Opibus abutetur ad suam libidinem explendam, imperijs ad alienam libertatem opprimendam, firmitate & robore ad obeunda facinora, atque his & similibus alijs ad perturbandam Rempub. ad omnia denique tum sacra tum profana permiscenda & evertenda convertet.

Qui fucatis & externis bonis affluunt, non magnanimi, sed contemtores & oppressores aliorum evadunt.

34. ἄνευ γὰρ] Hinc manifestè patet, quod qui sine virtute externa possident bona, non sint Magnanimi. Qui enim ea possident sine virtute, cum careant rectâ ratione, eam prosperitatem ferre nesciunt, ut ob id improbi prosperitas dicatur esse veluti gladius in manu furiosi. οὐ δυνάμενοι] Qui autem prosperitatem ferre nesciunt, & cæteris sese in ea præstare sciunt, ob illorum bonorum excellentiam alios præ se fastidiosè contemnunt, eorundem verò bonorum copia veluti commodo instrumento ad improbitatem abusi opprimunt reliquos. μιμοῦνται] At qui ita contemnunt alios, non sunt illi quidem

quidem Magnanimi, quamvis in eo videantur Magnanimum imitari velle. τὸ μὲν δοκ] Non enim virtute, quæ basis est veri honoris; sed contemtu duntaxat aliorum imitari studeant Magnanimum, ex comparatione bonorum externorum, quæ cæteris tanta non adsunt, quanta ipsis, proveniente.

35. ὁ δὲ] Contra verò, qui bonis externis fruitur cum virtute, DEUM quendam ad benefaciendum humano generi è cœlo demissum esse dices. Itaque is per se quidem magno dignus est honore propter virtutis excellentiam, & propter judicij integritatem se dignum quoque scit honore magno. Respectu verò aliorum, quorum bona cum suis confert, non injuria contemtor existit, cum verax sit & liber, atq; recto nitatur rationis judicio, quo aliorum cum suis non posse conferre bonis rectissimè videt, in eoque tanquam in acerrimo & longè jucundissimo virtutis studio triumphat, & pro libertate sua Philosophica meritò superbit. Neque enim hæc superbia in vitio posita est, ut neque superbia illa Christianorum

Qui bonis externis utuntur cum virtute, ij verè sunt Magnanimi.

rum, qua meritum Christi sincera fide sibi applicantes Diabolum, omniaque ejus organa & impios excelso animo contemnunt. οἱ δὲ πολλοὶ] At improbi, qui alios temerè despiciunt, idq; præter rationem, hi jure quasi quodam elati superbiq; judicari solent, atque ex eo non injuria condemnantur.

Magnanimum in singulis virtutibus habere id, quod est magnum & excellens, in specie dovet Aristoteles.

36. οὐκ ἔστι δὲ] Supra dictum est, spectare ad Magnanimum quicquid quacunq; in virtute, & quibuscunq; in actionibus ac muneribus insit præclarum, excellens, maximum, ac maximè omnium commendatione dignum, ut quemadmodum ipsa Magnanimitas ornamentum est ferè quoddam virtutum cæterarum omnium, ita coronâ se quadam ex virtutum omnium nobilissimis selectissimisq; floribus contextâ meritò insigniat, tanquam de illis ipsis & universim & sigillatim optimè merita. Hinc Aristoteles ex actionib. singularum pœnè virtutum Magnanimi qualitatem declarat, ut quomodò magnæ duntaxat actiones eidè conveniant, eò melius intelligamq. Nec tn. eas eo explicat ordine, quo in singular. speciali enar ratione usus est. Etenim formosam mulierè sæpè ejũ neglectus decet ornatq.

37. οὐκ ἔστι δὲ μικροκίνδυνος] Primùm igitur in periculis, in quibus Fortitudo consistit, Magnanimitas ita elucet, ut circa pericula se indigna non versetur. Cum enim pauca sint admodum, quæ admiretur, quæq; digna se esse ducat, pauca omnino aggredietur. Atq; cum magnitudo tanta sit ipsa, adeoq; supra res humanas exposita, ut ferè cuncta quasi subjecta pedibus, atq; infra sese collocata despiciat, non mirum est, quod non multa admiretur, & pauca tantum sint, quæ aggredienda à se sua cum dignitate atq; commendatione ducat. μεγαλοκίνδυνος] Cumq; sciat & intelligat, & cum Hercule ipso constitutum habeat, virtutis esse, domare quod cuncti pavent; ob id non adibit nisi quæ ardua, præclara, prorsus magna judicet, atq; in quibus ejus animus dilatari, & tanquam persultare arbitratu suo valeat, pro animi celsitudine, rerumq; ipsarum excellentia. Quod ut assequatur, evadatq; voti compos, vitæ suæ minimè parcet: secus n. vita se indignum putet ducatq; indecorum vivere. Itaq; in maximis illis quidem, pulcherrimisq; inceptis ita versabitur, uti in magnis maior ipse appareat, in maximis quoq; multo maximus & præstantissimus.

Magnanimitas circa Fortitudinis objectum versatur.

38. καὶ

Magnanimitas circa Liberalitatis objectum quomodo versetur.

38 καὶ οἷος] Et quamvis beneficia dare & accipere materia sit quædam Liberalitatis, & quidam quasi campus, in quo ea spacietur; nihilominus tamen Magnanimitas quoq́; in eo sese exercet, quæritq́; suum ex eo decus sibi comparare, atq; honorationem. Decorum igitur observabit in beneficijs cum præsentibus, tum præteritis & futuris.

quoad δόσιν.

Nam in præsentibus quoad δόσιν nimis quam libenter ac promtè multa confert in alios beneficia, præsertim in bonos ac beneficijs dignos & quidem gratuitò solamq́; ob beneficiendi gratiam. τὸ μὲν γὰρ] Hoc enim est animi magni & excellentis, nimirum etjam benefaciendi studio viam sibi ad honorem maximè certam comparare conferendo operam suam quam plurimis. Præcipuè igitur in hoc contendet, totusq́; in hoc erit vir Magnanimus, ut prosit, si possit, omnibus, noceat nemini, nisi ratio, justitia, maximè honesta causa, necessitasq́; aliter tulerit. ita fieri facilè potest, ut ament illum omnes, ut ipsi fidem habeant, ut admirentur eum, ut in illo uno & publicũ & privatum civium bonum esse collocatum arbitrentur.

39. Ευες-

39. Ενεργετούμενος] Est etjam Magnanimi proprium, nolle obligari, nemini debere, nulli esse addictum, quin devincire sibi ipsi alios potius ac subijcere conferendis operis ac beneficijs. Quando ejus qui beneficium confert, partes omnino potioris sunt ac superioris, illius verò qui accipit, inferioris, longeq; minus præstantis. Itaque quam benefaciendo delectatur, tàm ipse recusat, parumque omnino honestum ducit, ac nullo modo suum, ab alijs accipere, fierique obnoxium. quoad λῆψιν.

40. καὶ ἀντευεργετικὸς] Quoad ἀντίδοσιν verò in præsentibus beneficijs, ita se gerit, ut quia honore & virtute se alijs superiorem fore omnibusq; anteferri & cupit & summo etjam studio contendit, beneficium acceptum majore semper mensura remetiatur. Verè enim dici potest de Magnanimo, quod Pompeius ille Magnus sibi usurpabat: ἀεὶ ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον εἶναι ἄλλων. Si quando igitur, quod usu venire est necesse, beneficio se esse affectum senserit, è vestigio dat operam, quo se ab obligatione liberet, properetq; ad remunerandum. Cuius rei adeo multum quoad ἀντίδοσιν.

ineſt

ineſt ei ſtudium, voluntasq; tantopere propenſa, ut multiplicata remuneratione, peraccumulatisq; meritis longè quidem arctius atq; contentius à quo beneficium acceperat, illum ipſum ſibi obliget, efficiatque, quod mercatores uſurpant, ex creditore debitorem.

Quomodo beneficiorum recordetur.

41. δοῦναι δ'] In præteritis autem beneficijs ita verſatur, ut eorum quæ in alios contulit, libenter recordetur, quæ verò ab alijs accepit, non admodum. Quomodo enim in beneficijs verſatur Magnanimus, eodem quoque beneficiorum recordator. At dando non accipiendo circa beneficia verſatur. E. etjam dati non accepti beneficij memoriam retinebit. ἐλάττων] Minor ita probatur: Qui beneficentiæ nomine excellit, dando excellit non accipiendo. Ejus enim qui beneficium accipit, partes ſunt ut dictum eſt omnino inferiores, dantis verò ſuperiores potioresq;. βούλεται] At Magnanimus nullo modo vult ſubijci, ſed quod magni eſſe ſtatuit animi, partes ubique & habere & gerere ſuperioris, ejusque qui alijs præſtet. E. ſtudium ejus erit benefaciendo demereri alios, ac palam feret, eo ſe è ſtudio

studio & cura magnam utique voluptatem capere.

42. καὶ τὰ μὲν ἑαυτοῦ] Itaq; non ut qui exprobret, aut qui arrogans videri velit, libenter commemorat, quæ à se extant in alios benefacta; sed ut qui commemorando ea, delectetur, ipsaq; recordatione ac memoria excitetur magis magisq; ad ejusmodi benefaciendi consuetudinem. Quo fit, ut aut ipse rarò aut vix aliorum in se benefacta commemoret, non quia sit aut ingratus, aut male illorum memor, cum ejus animi magnitudo maximè appareat in referenda gratia, quo se ab obligatione vendicet; sed quia accepti beneficij memoria testificatio sit quasi quædam, ab alio se in eo magnitudinis genere superatum. Et hæc etiam causa est, cur ab alijs libenter audiat sua benefacta deprædicari, aliorum verò erga se malè libenter audiat, ne videatur alijs debere, ijsq; esse obnoxius. Sic Thetis apud Homerum Iliad. α. cum supplicaret Iovi, dissimulat potius beneficia in conspiratione Iunonis, Palladis, & Neptuni, eidem præstita, quàm ut prolixè eadem ipsi commemoret. Dij

Magnanimus commemorat non exprobrat beneficia.

enim & excelsi animi sua potius in alios quam aliorum in se beneficia audiunt. Sic Spartani etjam cum Atheniensium invocarent auxilium, non commemorant beneficia, quæ in eos antea contulerant. Sic Pharisæum Deus ferre non potuit, qui sua ipsius bona opera ipsi nimis ut videbatur, fastidiosè commemorabat, atq; ita Deum quasi debitorem proclamabat, cum tamen omnes, licet cuncta faciamus, nihilominus tamen servi simus inutiles, neq; fieri ulla ratione possit, ut nostris operibus Deum ex creditore debitorem faciamus. Itaq; ejus potius quàm nostra commemoremus commendemusque beneficia necesse est.

Non rogat alios ut accipiant beneficia.

43. μεγαλοψύχως] Deniq; in beneficijs futuris quoad δόσιν, non rogabit alios ut accipiant, nisi ea sit personæ conditio, ut illam etjam rogare sit decorum. Sic Deus expansis quasi brachijs sua nobis, qui aliàs non auderemus petere, per totum diem, ut Propheta loquitur, annunciat beneficia, rogans, ut ea accipiamus. Adamum quoq; conscientiâ sceleris sese occultantem prodire jubet, & ad meliora speranda invitat.

Ad

Ad eundem quoque modum Magnanimum non dedecet, si nonnunquam etjam eum, qui vel ignoret, à quo petendum sit auxilium, vel certè interpellare non audeat, roget ut accipiat. ὑπερκτεῖν] Si verò rogatus fuerit, sponte & libenter conferet. Est enim hoc ipsum humanitatis, & qua nihil ad amorem hominum sibi conciliandum accommodatius, beneficentiæ de alijs benè mereri.

44. καὶ πρὸς μὲν τοὺς] Quale etjam in conversatione vitaq; quotidiana Magnanimi sit studium, quam etjam rationem adversus eos, quibus cum versatur, teneat, ex his quæ sequuntur judicari facilè potest. Nam cum eorum qui in civitate vivunt, alij in dignitate quidem agant, multis ornati divitijs, magnaq; in rerum affluentia constituti: alij autem contra sordescant inopia, humilitate ipsa pressi, atq; hos inter sint etjam medium qui locum teneant; vir ipse Magnanimus eum sese statuet gerétq; apud magnos & dignitate præditos, ut insitam illam à natura, moribusq́, confirmatam animi magnitudinem non retineat solum: verum ut singula-

Magnanimus quomodo in conversatione versetur.

cum magnis & præclaris.

gularem operam, ſtudium, contentionem adhibeat quacunque in actione & munere, quo magnus ipſe exiſtat & generoſus, atque apud præſtantiſsimos quosq; multo maxime & præſtans & glorioſus atque inter illos inſignis. τὸ μὲν γὰρ] Namq; difficile illud quidem eſt & amplum, nempe apud magnos, divites, opulentos, & in dignitate conſtitutos magnitudinem ſuam declarare, & virtutis excellentia cum illis veluti certare, τὸ ἐν τούτοις] Quemadmodum etjam inter magnos magnum eſſe, generoſi & illuſtris viri eſſe videtur.

Cum mediocribus.

45. πρὸς δὲ τοὺς μέσους] Mediocribus verò cum hominibus, eadem neutiq; ab eo habenda ratio eſt, neque eadem apud hos adhibenda contentio, quando magnis qui ſit aſſuetus, facile admodum mediocritatem retineat: quam tamen ita retinebit, ut intelligant omnes, magnis quidem eum atq; excelſis delectari, ſequi tamen apud illos modeſtiam ac temperamentum, quo eis ſatisfaciat magis quam ſibiipſi, majeſtateq; aliquantum remiſſa, illorum ſeſe adæquet humilitati. Quemadmodum

dum enim viri fortis non est cum imbecillibus ac debilibus luctari: Ita hominis est plebeij potius & vilis inter humiles velle magnitudinem affectare. Quod vero ad infimæ conditionis homines attinet, licet Magnanimi locus pro illa animi celsitudine fere nullus apud eos sit, memor tamen ille & observator Poetarum esse debet, referentium: Deos aliquando è cœlo descendisse in terras, humiliaque haud dedignanter agricolarum subijsse tuguria.

Quomodo conversetur cum infimæ conditionis hominibus.

46. καὶ εἰς τὰ ἔντιμα] Est quoq; Magnanimi ad ἔντιμα μὴ ἰέναι, h. e. ad ea loca, in quibus honores conferuntur & distribuuntur, non accedere, ne quasi præmium virtuti debitum efflagitare videatur. Et propterea etjam eo animo non frequentat loca honorata, ut inde honorem aliquem captet, quod facere solent homines insolentes & ambitiosi; sed potius, ut illis locis sua præsentia honorem aliquem adferat. Non Domo dominus, sed domino domus honestanda est, inquit Cicero. Neque nobis ex loco, sed loco potius ex nobis quærendus honor. Neque enim si asinum in cathe-

Magnanimi est εἰς τὰ ἔντιμα μὴ ἰέναι.

dram colloces, ob id continuò est Doctor.

47. ἢ οὔ] Præterea etjam ea loca, in quibus suæ virtutis existimatio obfuscatur, & alij primas partes tenent, non accedit vir excelsi animi, ne cogatur se illis subijcere. Itaque aulas Principum vitat, & eorum conversationes, in quibus illi præcipuè se omnium primos esse volunt, qui potius sunt omnium postremi, quippe qui cum ipsi nihil unquam laudabile egerint, non suas sed majorum crepant virtutes, in ijsq; se efferunt, & sibi primas deberi falsò sibi persuadent. Magnanimus verò propter excelsam illam sui animi magnitudinem & virtutem egregiam sibi primas partes meritò esse tribuendas jure existimat, & propterea alios sibi præferri, eaque re suam illam eximiam virtutem obscurari indignatur.

In quotidianis actionibus Magnanimus cessator est.

48. καὶ ἀργὸν εἶναι] In rebus quoque suscipiendis, atque in gerendis negotijs & actionibus Magnanimus non festinat nimium, sed est aliquo modo tardus & cunctator, prius diligenter considerans, qualia sint illa negotia, & utrum

itrum etjam ſua magnitudine digna. Feſtinatio n. ſtudium & diligentiam indicat, quàm in res non adeo magni momenti non adhibet Magnanimus, quippè cum nihil niſi virtutem, & in quibus virtutis ſuæ magnitudo requiritur, magnificiat. Quando ergò de magna re virtutis magnitudinem requirente agitur, v. g. de ſalute & libertate patriæ; tum certè illa, quæ ſe digna duxerit, adire non ceſſat, ut ita ejus magnitudo in illis abundè decenterque illuſtrari, cum dignitate atque excellentia, in illisque præ cæteris enitescere poſsit. καὶ ὀλίγων] Itaque pauca illa quidem ſunt, quæ aggredienda à ſe ducat, ſed magna & omnium ſermone celebranda.

49. Ἀναγκαῖον] Quid etjam mirum, palàm illum aut odio quempiam, aut amore proſequi, ſi rerum quidem, præterquam virtutis, contemtor eſt omnium? Liber igitur eſt à ſimulatione, fraude, minimeq; eſt verſipellis, neutramq; in partem fingit, quia hæc omnia generoſis ab animis aliena eſſe debent. τὸ γὰρ λανθάνειν] Occultare enim ſententiam, & aliud in pectore, aliud in ore

Veritatem practicam obſervat Magnanimus.

in ore habere, hominis omninò timidi est & mericuloſi. Atqui Magnanimus non timet. E. nec metus illum coget occultare ſententiam, nec utilitatis ſpes, μὴ μικρὰν] ſed rem intuebitur ipſam, ſeq; dignos amplectabitur mores magis, quàm populares illam, quàm plerique ſequuntur, aſſentandi tum levitatem, tum malitiam, atq; ita neque populari ſe metietur judicio, aut ſua ad aliorum referet opinionem. Turpe eſt enim, noſcentem ſeipſum, nequi diſcedentem à vera & excellenti magnitudine, accommodare ſeſe, vel potius obſequi vulgaribus opinionibus, & tanquam in famulatu vivere.

Verax quoque Magnanimus in dictis & factis.

ſo. μὴ λέγειν] In dictis porrò & factis veritatis eſt obſervantiſsimus, ita quidem ut apertè dicat & faciat omnia, quia ut dixi, liber eſt & apertus. Nam aliorum, quibus hæc displicere poſſent, odia, iras atq; minas flocci pendit. Floccipendit autem illa & excelſo animo contemnit, quia liber & apertus eſt, & majorem veritatis quàm opinionis rationem habet. Decet igitur Magnanimum apertiloquentia, fiducia item, ac ſecuritas, magnanimitatis ipſius ſociæ.

Con-

Contrà insidiæ dedecent ac deceptiones, fucata item verba atq; oratio, dolosaque consilia. πλὴν ὅσα] Atque hinc etjam manifestum evadit, Magnanimum non esse simulatorem neq; dissimulatorem, nisi quod interdum in vulgus dissimulator existat, quando videlicet magnitudine sua indignum putat plebi sua consilia factaque cognita esse, & præsertim ijs, quorum nihil interest, & qui ea non intelligunt, aut qui ea cum incommodo aliorum impedire possunt.

51. καὶ πρὸς ἄλλον] Præterea & hoc ad virtutem ὁμιλιτικὴν referendum est, quod Magnanimus, ut est apertus insidiarumq; inimicus, ita quoq; ab adulationibus omnino sit alienus. Itaq; alterius nutu non vivit, præterquàm amici. Quid enim adulatoribus vendibilius, dicam etjam servilius? Eapropter vulgò sic comparatum esse videmus, ut quemadmodum assentatores omnes sunt homines viles, serviles, mercenarij, & pusillanimes: ita viles & plebeij homines plerunq; evadant assentatores. Atqui Magnanimus cum libertatis cultor sit maximus, servilis esse

Magnanimus ad alterius arbitrium non vivit.

non potest. Quæ namq; inesse magnitudo in animo, qui liber non sit, potest? Quomodo vera sui ipsius existimatio, aut rectum ejus judicium, in quo servile insit aliquid? Quanam via rectè sentiat, aut judicet animus, qui sui juris minimè sit, ad alterius nempè arbitrium compositus? Nihil certè servile magnum. Amico autem servit, vel potius obsequitur Magnanimus, quia is est veluti alter ipse. At sibiipsi qui paret atque obsequitur, is profectò servitutem servit omninò nulli. Nullius autem alius qui sentit imperium, is verè liber est. At amico qui paret, paret sibiipsi. Nemo autem sibiipsi servitutem servit, cum servus ad herum referatur, qui extra est. Non enim unus idemque herus simul esse potest & servus eodem videlicet respectu. E. qui amico servit vel paret, servitutem non servit, sed liber est.

Legibus & amicis servire non est servitus.

Magnanimus non est θαυμασιὸς.

52. οὐκ θαυμασιὸς] Cumq; etjam quæ pulchra sunt & magna nobisq; ignota admiremur, utiq; Magnanimus, cui præter virtutem nihil est magnum, non est θαυμασιὸς, seu admirator aliarum rerum.

rerum. Quæ enim ipsi magna sunt, eorum & τὸ ὅτι, atq; τὸ διότι non ignorat. Admirator vero vel τὸ ὅτι ignorat, ut quando quid novum, nunquam antea visum, conspicit: vel τὸ διότι, quando ejus, quod aliàs sæpè observavit, causas tamen non assequitur.

53 ἐν δὲ Μνησικακ&] Meminit etjam Magnanimus magni esse animi, ejusq; qui præter honorem cuncta despicit, & placabilitatem ubiq; servare, & injuriarum facile oblivisci. Itaq; odium ejus neque tenax erit, neq; diuturnum: atq; ut studium ejus est ac propositum debellare superbos & compescere impotentes, ita victi, seq; prostantibus parcere, veniamq; impertiri sese dedentibus. Quid enim indignius, quàm injuriarum perpetuam habere memoriam, vulneraq; refricare post obductam etjam cicatricem? Quàm igitur Magnanimus judicandus sit Darius, cui mane surgenti puer hæc repetere cogebatur, ὦ βασιλεῦ μέμνησο ἀλεξανδρίου, quilibet videt

Quoad πρᾳότητα injuriarum oblivisci tur.

54. ἐν δὲ ἀνθρωποφιλόγ&] Sed neq; de hominibus multum loquitur Magnanimus laudando eos vel vituperando.

Non loquitur multũ de alijs hominibus.

Mini-

Minimè verò etiam ipse aut prædicator est rerum suarum aut recitator. An igitur qui sibiipsi, laudibusq; parcit suis, delectabitur maledicentia? Quique neque captator est laudum, neque earum curiosus, studebitnè obtrectationibus atq; convitijs? quod muliebris est ingenij. An qui laudatoribus vix aures suas aperit, patè facietnè eas aut vituperantibus alios, aut linguam ipse suam ad criminandum exacuet? Et cujus oratio & rara est & parca, & commendandis aliorum benefactis brevis, annè erit in opprobrijs atq; vociferationibus intemperata & multa?

Non est querulus neq; supplex.

55. καὶ περὶ ἀναγκαίων] Quia verò nihil humani à Magnanimo alienum esse potest, ideò se aliquando occasio offeret & injuriæ, quã ab alio accipiat, & cõmodi quod ab alio expectare cogitur. Proinde tùm in ἀναγκαίοις, id est, magnis & necessarijs, (qualis est mors & vita) tum in μικροῖς parvis & non necessarijs vel malis, quæ ab alio inferuntur, minimè est queribundus, vel bonis, quæ ab alio expectat, minimè supplex alteri evadit. Est enim hominis animium studium, nimiamq; curam in

res

res humanas conferentis sic affectum esse. Nullo igitur modo aut queretur Magnanimus apud alios de inopia, aut subveniri sibi rogabit, ne videatur mendicare, quod ab ejus magnitudine penitus & sit & videatur alienum.

56. καὶ οἷος] Cæterum si bonorum externorum possessionem & acquisitionem spectes, Magnanimus gaudebit rebus potius claris ac magnitudine sua dignis, ut equis generosis, bibliothecis eleganter & copiosè instructis, item signis, armis, tabellis pictis & id genus alijs, quàm fructuosis illis, & ad lucrum mercaturamq; comparatis, ut pecunijs, agris, villis. Idq; ideo, quod ob animi sui celsitudinem nihil sibi defuturum timeat, habeatq; persuasum, virtutem abunde quidem omnia suffecturam, nihilq; in magnitudine illa animi rerumque quæ ab ipso administrantur, non summa etjam cum ubertate affuturum: ac si quid defuerit, parvum omninò momentum habirurum.

Delectatur rebꝰ claris potiùs, quàm fructuosis.

57. καὶ κίνησις] Quoad mores verò externos Magnanimus gravitatem suam in omnibus tuetur. Namq; commotiones ejus tardæ sunt, ac sine ulla levitate. Quæ

Mores externi.

te. Quæ enim magna, utiq; etjam tarda, præ magnitudine videlicet sua.

Incessus. Quocirca & incessus quoq; gravis ejus erit, nec pedum modo, verum manuum quoq; & oculorum motus erit gravi & præstanti viro, quiq; præter honorem cætera nihil ducat omnia, conveniens atque appositus, omniq; è parte congruens. καὶ φωνὴ] Deinde etjam vox

Vox. gravis ipsa quidem ac plena, cujus omnino sonus nihil habeat mulebre, nihil puerile, aut languidum, minimè verò

Oratio. petulans. καὶ λέξις] Deniq; oratio quoq; sibi constans, eaq; brevior, atq; inconfusa, verba ipsa expressa, quæq; præ se ferant pondus ac pensum, ut ne ullum prorsus vanitatis, insidiarum fraudis, intemperantiæ, libidinis ijs insit indicium, sed quæ animi potius præstantiam, firmitatem atq; excellentiam tùm quotidianis in sermonibus, tùm etjam in deliberationibus, atq; inter consultandum.

Non est magnopere festinandum ei, cui præter vir-

58. οὐ γὰρ] Oratio igitur Magnanimi, & verba & motus ipse corporis, gestus, status retinebunt ubique viro dignam gravitatem, ac pensum magnitudini ipsi consentiens. Festinatio enim &

con-

concitatio non convenit Magnanimo. Qui enim maximis de rebus est sollicitus, ac neque multis aut levibus, sed paucis potius ac maximè gravibus intentus est; huic nullo pacto videtur convenire dicendi celeritas & in alijs motibus quædam quasi præcipitatio. *tutem nihil est magnum.*

καὶ ἐξυφωνία] Atqui vox acuta, linguæq; volubilitas, & oratio præpropera atque divagans, quemadmodum etjam incessus velocitas festinationem & concitationem significant. Animi enim motum sequitur motus corporis. Proindè animo concitato musculi laryngis intenti reddunt vocem exilem, ejusdemque præcipitantiam linguæ etjam volubilitas imitatur. E. vox acuta ut est puerorum & mulierculorum, & eorum qui clamant potius quàm loquuntur, ut clamando ea quæ volunt, obtinere queant, item incessus velox, qui levitatem indicat & inconstantiam, non conveniunt Magnanimo. Interim tamen, monente Cicerone, vitanda est moles in incessu, qualis est mulierculorum & eorum, qui videntur magno quasi gravati pondere, atq; onere ab ipso, ne properent, impediri.

59. τοιοῦτος] Hactenus de Magnanimitatis natura ex Magnanimi ipsius a-

Extrema cum Magnanimitate pugnantia.

ctionibus tùm essentialibus tùm accidentalibus deductà. Restat de vitijs oppositis adhuc aliquid dicendum. ἐ δ' ἐλάττων] In defectu autem is, qui parvo est, & demisso in honoribus promeritis appetendis aut persequendis animo: in excessu verò, qui majores appetit honores quàm meretur, elatus nempè & superbus à medio recedunt, & Magnanimo adversantur. Cum enim medium, in quo virtus sedem sibi erexit, non à re quærendum sit ipsa, sed à rectæ rationis usu temperataque illius administratione; ab ea vitia quidem aut destituuntur propter languorem atq; imbecillitatem, aut illam fugitant præ immoderatione atque impotentia.

Hæc vitia quomodo sint & quomodò non sint mala.

60. οἱ μὲν οὖν] Quemadmodum autem præcedenti disputatione de Magnificentiæ externis dictum est, vitiosa nimirum illa esse, non tamen videri vituperabilia: Ita quoquè hìc dicendum videtur, vitia nimirum Magnanimitati opposita respectu actionum non esse mala, quippe cum nec incommodantes sint ac nocendi cupidi, neq; maleficij quicquam in quempiam admittant; illi, qui his vitijs sunt imbuti; respectu autem habituum, mala esse & vituperabilia, quippe cum virtuti, quæ bona est

& laudabilis, contraria. Quocirca mitissimo appellantur nomine ἁμαρτήματα.

61. Quod autem inflatos ac tumidos non esse nocendi cupidos diximus, id ex vulgi opinione dictum esse volumus. Namq; si quod dicendum est, dicamus, quinam fieri potest, nemini ut noceant? cum magistratus, honoresq; alios indignè arroganterq; conferre sibi contendant, qui alijs jure debentur. Itaque nocere eos & incommodos esse oportet, etjam in re maxima. Honor enim inter cives maximi habetur. In cæteris autem rebus, minimè eos fortasse esse malos facile largimur. *Inflati etjam nocent.*

62. ὁ μὲν γὰρ] Pusillanimus ergo omni ex parte despicabilis, abjectus, degener, ijs bonis, quib. dignus est, seipsum privat. *μικρόψυχος quoad actiones.*

κατὰ τοῦτο] Et quoad actiones erga alios quidem non est, erga seipsum verò est maleficus, & eò fortasse despicabilior, & nequaq; ob insciti am atq; insipientiam, verum ob innatam ignaviam atq; timiditatem non moveatur ad ea consequenda, quæ & suapte natura appetenda sint & ipse sese dignũ illis esse intelligat.

63. κατὰ ἀγυμνασίαν] Quoad habitum vero improb. est & vitiosus. Namq; si habitq; iste consideretur per se, *Quoad habitum per se consideratum.* μικρόψυχος seipsum igno-

ignorat, cũ recta ratione non dirigatur. Vtitur n. ratione pversa, & ignoranter agit, licet non per ignorantiam. ὡς ἔγγιστα] Nam si sua non ignoraret bona, præmia certè bonis ijs debita non repudiaret, cum naturâ omnes bona desiderent & amplectantur. οὐ μὴν] Propter hanc igitur ignorantiam vulgò non videtur ἀλιτήριος esse stolidus nempè & rationis expers; sed ὄκνηρος potius ac iners & ignavus in bonis scilicet suis persequendis.

Quoad habitum respectu actionum consideratum.

64. ἢ τοιαύτη] Si verò habitus iste consideretur respectu actionum ab ipso promanantium, animi illa abjectio segnes reddit ad res magnas aggrediendas perficiendasq;. Qui n. parva tantum expetit, nunquam vel res magnas & præclaras aggredietur, vel externorum bonorũ affluentia beabitur. At μικρόψυχος tantum parva expetit, quia suo ipsius judicio parva tantum meretur. ἕκαστοι] Quæ autem quisq, meretur ex virtute, ea expetit: & quæ potest perficere, ea suscipit perficienda. ἀφίσανται] E. μικρόψυχος nunquam vel res magnas & præclaras suscipiet, aut susceptas perficiet, neq; externis bonis, quibus se indignum judicat, præ cæteris exornabitur. Merito igitur ignavus inersq; sit necesse est, adde & improbus. Quid n. improbius, q̃ φ com-

mendatione dignum, honestum, pulchrum, ac bonum sit nolle id agere, longiusq; ab illo per desidiam fugere?

65. οἱ δ' κενοῦνται] Inflati vero ac tumidi quoad habitum internum & μικροψύχοις esse videntur, quo quidem ipso à μικροψύχοις differunt: & ignorantes agunt, quod cũ μικροψύχοις habent commune. κατὰ ταῦτ'] Quoad actiones verò externas suam stoliditatem & ignorantiam omnib. testatam faciunt. ὡς γὰρ] Nam quoad ornatum verum, solius virtutis comitem, affectant quidem illum, & magno conatu res magnas aggrediuntur, sed vel infelici vel ridiculo cum successu. Itaq; ꝑ iniqui suimet ipsi sint æstimatores, sua falsi opinione, deceptiq; judicio, cum nec vera, nec se digna sibi arrogent, intumescunt, & tanq̃, vento nimio ac non suo ferantur, velis nimio plus inflatis p̃cipites impelluntur, ridenturq; ab ijs omnib. quibus inflatio eorum benè est cognita, atq; ita ꝑsæpè ex honore ipso, seque indigno munere infamiam sibi comparant atq; objurgationem non sine populari odio & invidia.

66. καὶ ἐσθῆτ] Quoad fucatum verò ornatum ab externis bonis corporis ac fortunæ petitum, insolescunt, & p̃terius, fas, decus, honestatemq; irrumpere

in Magnanimi castra, ut violenti & quidam quasi grassatores conantur. Itaq; ex vestitu splendido, ex gestu corporis gravi quoad incessum, vocem, orationem, ex consimilib. alijs, nempè splendore familiæ, elegantia ædium, supellectilis copia, statuis, imaginibus, quæ omnia sunt magnanimi, falsum sibi quæ runt ornatum. Vt ita de hoc hominum genere convenienter possit decantari Horatiana illa fabella, cum

repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

καὶ βούλονται] Fucum ejam vitiositati suæ illinunt oratione ipsa. Quia n. res suas secundas notas esse volunt ac manifestas, subindè de suis reb. & fortunis loquuntur, idq; spe quadam honoris indè consequendi, quem ex virtute, cum eam non habeant, assequi nequeunt.

67. Αντιθέτως] Sed tamen non sine ratione pusillanimitas ipsa magis adversatur Magnanimitati, quàm superba elatio. Namq; illa vitium est frequentius, & multitudine sua infestat. In quotidiana n. vita plurimos conspicias pudore rustico impeditos, præsertim si pauptatis onus accedat. Deindè malum est deterius, quia ad laudabilia studia &

exercitia planè segnes facit atq; torpidos, qui cum omni sint è parte degenerantes, nihil eorum animis omninò ineſt, quod ratione referri aliqua ad animi magnitudinem queat.

DE MODESTIA.

CAP. IV.

Quod alia virtus ſit, quæ circa mediocres ſeu parvos honores.

68. Εστιν] In ipſo quoque honore, qui virtuti, q̃ diximus, propoſitus eſt, honorisq; expetitione, idem contingit, q̃ etjam in pecunia eroganda, duæ ut ſimul virtutes, inæqualiter tamen, utraq; in re verſentur, altera quidem ut major atq; uberior, ut minor verò minusq; erogans altera. Vt igitur Magnificentia in magnis quidem ſeſe exercet ſumtib. in minorib verò liberalitas: Sic Magnanimitas in magnis quidem ac maximè claris verſatur honoribus; at virtus hæc (cujus nec Ariſtotelem græcè, nec latinè Ciceronem ſuum & proprium nomen prodidiſſe invenimus) in minoribus conſiſtit, nec ejuſdem omnino claritatis eſt atq; præſtantiæ.

Qualis ſit.

69. ὥσπερ] Sicut a. in dandis & accipiendis pecunijs datur medium, nimiũ atq; parum: Ita etjam in honorib. appetendis & nimium datur & parum & mediũ. Et magis igitur, q̃ aut oportet, aut decet, & minus etjam: quin ut magis &

minus; sic etjam mediocriter, quantūq; satis est, ut cæteris in reb. sic minorib. quoq; & expetendis & assequendis honorib. contingit homines affici, laudariq; eosdem aut vituperari pro modo atq; mensura.

Extrema per se vituperantur.

70. τὰ δ' ἄκρα] Extrema itaq; per se vituperantur, quatenus vitiosa sunt. Ambitio n. vituperatur & vitium, improbanturq; ambitiosi, quod relicta ratione in excessum abeant. Nam cum imperari sibi ab affectib. patiantur, nimiaq; à cupiditate, non modò in eo peccant, ꝙ medij lineam sponte transgrediuntur & affectando & ambiendo, sed in eo quoq; ꝙ persæpè unde minimè par est, ac nullo modo debeant, honorem inde aucupantur. τὰ δ' ἀφειμένα] Improbantur etjam, qui ob animi ipsius abjectionem demissionemq;, non solum ut par esset, non moventur ad capessendos honores, nec ad ea se erigunt, quæ sint honesta, pulchra, homine digna: Verum p̄ animi demissione ac frigiditate, ꝙ honestè deberent laudabiliterq; consectari, illud sponte defugiunt, ut nec ipsi cupiant, nec quærant, cum possint etjam cum honestate & laude honorari.

71. εἰ δ' ὅτι] Sed p accidens quin extrema quoq; laudentur, nihil est, ꝙ prohi-

beat, cum sæpè virtutis speciem habere videantur, vel certè hoc non alia contingit de causa, q̃ ϕ & excessus & defectus & medium ipsum certis hactenus appellationib caruerint. Laudatur igitur interdum ambitiosus tanq̃ vir strenuus & virtutis studiosus, ϕ honorem, qui p̃mium virtutis est, psequendo, res p̃claras designet: interdũ honoris contemtor, tanq̃ modestus & temperans in honorib. etjam debitis non psequendis. *Per accidens laudantur.*

72. Διὸ] Causa a cur nunc φιλοτιμία laudetur, & è contra ἀφιλοτιμία vituperetur, nunc vero hæc laudetur, illa vituperetur, hæc esse videtur, ϕ multis modis quis hujus vel illius rei studiosus esse dicatur, nempe vel nimium, vel parum, vel mediocriter, atq; ob id non eodem semper respectu φιλόψυχος efferatur & ἀφιλότιμος. Nam quando φιλόψυχον laudamus, conferimus eum cum vulgo, h. e. cum ἀφιλοτιμίᾳ hominum plebejorum & abjectorum, qui cum nimij sint in honoris contemtu, adeo ut simul virtutem negligant, eorum respectu φιλόψυχος commendatur. Quando verò eundem vitupamꝰ conferimꝰ eum cum medio, à quo cum excedat, reprehensionem meretur. *τὸ διότι seu causa, cur φιλόψυχος & laudetur & vituperetur.*

73. Ἀνώνυμος] Medius a habitus cum nomine careat, idcirco de ejus loco tanq̃ *Medius habitus.*

vacuo certant extremi. Quod a. necessario sit medius habitus, id sic probat Aristoteles : ἐν οἷς] In quib. reb. nimium reperitur & parum, in ijs etiam mediocritas. ὑπερέχονται] At in honorib. parvis & nimium reperitur & parum. ἔστι] E. ἐπαινεῖται] Etsi igitur hæc virtus proprio nomine caret, quia tamen mediocritas est in expetendis mediocribus seu parvis honorib. laude digna censeri debet.

Modestia cum extremis comparata.

74. φαίνεται] Quod si hæc virtus cum suis extremis comparetur, naturam eorum æmulari videtur. Namq; respectu φιλοτιμίας speciem ἀφιλοτιμίας habet & nomen illius induit; at respectu ἀφιλοτιμίας, speciem habet φιλοτιμίας, & φιλοτιμία dicitur. Respectu v. utriusq; simul, utriusq; speciem refert, tum in honore indigno negligendo (sic ἀφιλοτιμία esse videtur) tũ in honore digno appetendo (sic φιλοτιμία esse censetur) ἔοικε] Et hoc ex eo fortasse, ϕ idem in hac ipsa virtute usuveniat, ϕ etjam in fortitudine ac plerisq; virtutib. extremorum inter se ac medij comparatione facienda. Fortis n. ipse metuculoso comparatus, nimirum fidentior atq; animosior videatur: qui si fidentiori comparetur, appareat meticulosꝰ, sin meticulosus fidentiori, videatur forti maximè similis.

THEMATA

DE VIRTVTIBVS HOMILITICIS.

Respondente

MATTHÆO L. F. BACMEISTERO, *Rostochiensi.*

I.

Obiecta externa sunt tria.

OBiecta externa, circa quæ virtutes animi voluptatem moderantes versantur, tria fere sunt numero: Pecunia scilicet, honores, & conuersatio seu conuict⁹ quotidianus. Cum ergo hactenus de virtutib⁹ circa pecunias & circa honores egerimus; supereſt, vt de virtutib⁹ conuersationis quotidianæ agamus, & primum quidem de virtute, q iram, conuersationis humanæ pestem, moderatur. Cum enim multa sint & varia, quæ iram & indignationem in animo hominis concitare atq; conuersationem humanam tollere possunt, nempe iniuriæ, damna, contumeliæ, conuicia, offensiones, &

Ira immoderatior tollit conuersationē humanam.

omnia alia, quibus vel fama vel bona cùm noſtra tùm noſtrorum videntur lædi poſſe; idcirco virtutis valido fræno moderandus eſt hic impetus iræ, atq; ita dirigendus, ne hominem exorbitare faciat, ſed vt aptum potius reddat & idoneum ad conuerſationem.

De Manſuetudine.

CAP. V. *Obiecta ex terna manſuetudinis.*

2. πραότης] Internum igitur obiectum huius virtutis eſt Ira, externa verò omnia ea, quæ iam recitauimus. Vnde Ariſtot. 2. Rhet. Iram definiuit, quod ſit cupiditas vindictæ, nata ex contemtu noſtri aut noſtrorum. Omnia igitur quæ fiunt in contemtum noſtri & noſtrorum obiecta externa ſunt huius virtutis, quam vel πραότητα græcè, latinè vel Manſuetudinem vel placabilitatem & clementiam (quæ tamen appellationes magis ad defectum declinare videntur) appellare, eamq; ſic definire poſſumus, quod ſit mediocritas, quæ circa iras verſatur.

3. ἀνωνύμως] Vt autem huic virtuti proprium non eſt proditum nomen: ita contra-

contraria quoq; vitia nominibus proprijs carere videntur. Quamuis enim medium πρᾳότης videatur appellari, seu Mansuetudo, extremum vero in defectu ἀοργησία seu lentitudo, in excessu ὀργιλότης seu Iracundia: Non tamen hæc ipsa nomina planè videntur rem implere. Namq; medium altera sui parte tantùm ita vocatur, vti diximus, nempè quatenus non irascitur, sed ad vitium in defectu accedere videtur: altera enim sui parte, quatenus scilicet moderationem seruat in irascendo, ac propter iracundiam & vindictam, ad vitium in excessu inclinare videtur; non mansuetudinis, sed seueritatis nomen meretur. Ἀοργησία vero nomen est Stoicorum ἀπαθείαν potius, quam vitium, quod non tollit, sed immoderatos reddit affectus, exprimens. ὀργιλότης autem nomen generale est, cuius variæ sunt species & appellationes, vt paulò post dicetur. ἡμὶν γὰρ] Conueniunt tamen omnes iracundiæ species in ira, quamuis in causis iræ differant, cum varias esse iræ causas appareat, nempè mala omnia, cùm animi tùm corporis & fortunæ.

Medium et extrema circa iram versantia certis & proprijs carent appellationibus.

Quàs ob causas irascèdum sit.

4. ὁ μὲν οὖν] Hæc igitur virtus, quocunque nomine appelletur, omnes iræ circumstantias obseruat, & honestatem vbiq; tuetur. Primum n. irascitur ijs de causis, ἐφ' οἷς δεῖ, propter quas irascendum est, nempe nec temere nec leuem ob causam, vt propter lanam caprinam, sed propter iustas causas, cuiusmodi sunt defensio patriæ, parentum, coniugum, liberorum, legum, libertatis, famæ & existimationis nostræ ac nostrorum. Talis ira laudabilis est magistratuum & hominum piorum.

Quib. personis sit irascendũ.

5. πρὸς οὓς δεῖ] Deinde ijs quoq; personis irascitur hac virtute præditus, quibus irasci licet. Nec enim parentibus irascitur, neq; præceptoribus, amicis, sodalibus & bene monentibus. Sed malis duntaxat hominibus & improbis, qui Dei nomen blasphemant, quos scelerum suorum nec pudet nec pœnitet.

Quomodo sit irascendum.

6. ἔτι δὲ πρὸς ὡς δεῖ] Tertiò motus iste iræ correspondere debet proportione obiecto mouenti, quod est vel causa, ob quam irascendum est, vt malum animi, corporis, aut fortunæ, vel persona, quæ malum hoc infert, & cui propterea etiam

iam meritò irascimur. Iræ igitur magnitudo moderata sit, & cauendum inprimis, ne vehementi illo affectu nimium perturbemur, neue in primo feruore aliquid faciamus, cuius nos postea pœniteat. Athenodorus philosophus Augusto Cæsari præcepit, vt iratus nihil diceret vel faceret, priusquàm omnes literas græci Alphabeti pronunciasset. Intellexit enim interea temporis vehementissimo huic affectui aliquam inijci moram, qua feruor ille tandem aliquid remitteret. Denique cauendum etiam est, ne ira maior sit, quam delictum, propter quod alteri irascimur: Quin potius, si res ita ferat, simus potius ad ignoscendũ quàm ad vlciscendum proniores.

7. καὶ ὅτε] Postremò irascitur Mansuetus, quando sese offert legitimum tempus iracundiæ. Die enim festo, die natali minimè decet huic affectui indulgere. Neq; irascendum est, quando de rebus serijs consultatur, quia ira est inimica consilio: neq; etiam irascendum est tempore lætitiæ, vt in conuiuijs & alijs festiuitatibus: neq; irascendum est

Quando & quamdiu sit irascendum.

in puniendo. Qui enim iratus ad pœnam accedit, nunq̃ in puniendo seruat mediocritatem. Itaq; Plato iratus amico Xenocrati puerum tradidit puniendum his verbis: Cæde tu hunc puerum, nam ego iratus sum. Vt verò rem paucis comprehendam, quoad primum motum, qui ab obiecto externo oritur, seu quoad λῆψιν iræ, nec citius antequam causa plenè est cognita, ad iram commouebitur qui est animi clementioris, nec tardius etiam, ne videatur ad hominum scelera conniuere ac dissimulare; quoad secundum motum verò, qui in animo relinquitur etiam absente obiecto, nempe quoad φυλακὴν iræ obseruabit Pauli præceptum: Sol non occidat super iram vestram. Quò etiam diutius alitur ira, eò fit major, & animum quoq; magis excruciat, tandem quoq; in odium commutatur.

πρᾳότητος *nomen ambiguum.*

8. πρᾶος δὴ] Hanc virtutem quatenus non irascitur, vbi non est irascendum, mansuetudinem, quatenus vero irascitur, vbi est irascendum, non mansuetudinem sed seueritatem potius, dicendam esse diximus. Vtimur ergo τῆς πρᾳ-

ότητος

ὁτῆτος nomine cum quadam distinctione. Nam quatenus habitum significat exquisitè medium, qui mediocritatem seruat in non irascendo, eatenus laudatur. Atq; ita πρᾶος omninò ἀτάρχος & ab omni animi perturbatione liber est, & recta ratione duce, iræ, omnium affectuum vehementissimo, frenum imponit. ἁμαρτάνειν] Quatenus verò habitum ad defectum inclinantem in non irascendo significat, eatenus vituperatur. Nam qui omninò non ulciscitur, sed omnibus ignoscit, conuenit quidem hoc ipso quod ignoscit cum verè leni: differt tamen, quia sine judicio id facit & absq; discrimine.

9. ἥδ' ἔλλειψις] In defectu autem peccant, qui minus, quam deceat, irascuntur, siue hoc vitium lentitudo appelletur, siue ignauia quædam in ulciscendo. Ea enim, propter quæ meritò excandescere atq; ad vindictam accendi debebat, vel non sentit & intelligit, atq; ob id ἠλίθιος quis, h. e. lapidi similis esse videtur, quia neq; sentire neq; ob id dolere videtur, & cum non doleat, non etiam irascitur, neq; etiam vlciscitur. *Vitium in defectu.*

Omnis enim vltio iram præsupponit, cum illius veluti effectus sit. ἢ δὲ] vel sentit quidem & intelligit, & propterea dolet etiam atq; irascitur, quoniam manifesta est iniuria & aperta, vt si quis pugno cædatur, vel luto aspergatur; Sed tamen propter ignauiam, & animum prorsus degenerem non vlciscitur, quia metuit, ne si vlciscatur, ipse maiori afficiatur incommodo. Itaque seruili & degenere esse animo videtur. Degeneres enim animos timor arguit: Nec cedit in molles nobilis ira viros. ICti eos, qui famam suam negligunt, crudeles in seipsos, & suuipsorum homicidas esse rectissime dicunt, quippe cum famam & vitam pari passu ambulare certum sit.

Vitium in excessu.

10. ἀλλ' ὑπερβολὴ] In excessu autem peccant, qui præter modum indulgent iræ, quiq; vel quibus, vel propter quæ, vel quantum, vel quando, vel quomodo, vel vbi non oportet irati vlciscuntur, tum quoad λαϊκὴν iræ, tum etiam, quoad iræ φυλακὴν, Sed tamen hoc vitium in excessu, in omnibus istis conditionibus non reperitur, neq; ὁλόκληρον datur.

Sum-

Summum enim malum non est durabile, quia non tantum per se concidit, cum in semetipsum sæuiat v.g. Intemperantia intemperantem, audacia audacem, crudelitas crudelem &c. quoad animum, corpus & fortunas lædant, & sæpè etiam prorsus interimant: κἄν.] Sed etiam ab alijs furorem tantum ferre non valentibus exterminatur tanq̃ nocentissima quædam belua. At vitium in excessu iracundiæ, secundum omnes conditiones in suo genere est summum. οὐ γὰρ] E. vitium in excessu secundum omnes conditiones non est durabile.

11. ὀργίλοι] In quibusdam autem conditionibus, & quatenus non est ὁλόκληρον, datur hoc vitium, cuius tamen pro varia conditionum siue circumstantiarũ combinatione, variæ sunt species & differentiæ. Namq; species quædam sunt compositæ, quando scilicet & λῆψις & φυλακὴ simul considerantur, sub quibus sunt ὀργίλοι & πικροὶ: Quædam simplices sunt, quando non simul considerantur. Quando enim sigillatim consideratur λῆψις, eius rèspectu ἀκρόχολοι

Variæ iracundorum species.

dicuntur; quando verò ſigillatim expenditur φυλακὴ, eius ſolius reſpectu homines vocantur à græcis χαλεποὶ.

In ὀργίλοις iræ λῆψις cũ φυλακὴ diſcrepat.

12. ὀργίλοι igitur quoad λῆψιν peccant in exceſſu, quia celerius quam oportet, iraſcuntur, quibus ſcilicet non oportet, & propter quas cauſas non oportet, & quantum non oportet. Quoad φυλακὴν verò vel non peccant, omninò moderati ſunt, vel ſi peccant, peccant in defectu. Et hoc ſanè in ijs optimum eſt. συμβαίνει] Cauſa autem cur φυλακὴ moderata ſit, licet immoderata fuerit λῆψις, eſt tum vehementia affectus, tum candor ipſorum, quoniam aperti ſunt, neque diſſimulant iram. Et quidem propter affectus vehementiam ad vindictam ſtatim properant, qua adepta iraſci deſiſtunt. Propter ipſorum verò candorem, cum quid in pectore habeant, externis notis indicent, declinari illorum furor in præſens poteſt, idemque amicorum interuentu mitigari.

Ἀκρόχολοι.

13. ὑπερβολῆ] Ἀκρόχολοι dicuntur ob ſummam bilis efferueſcentiam, quia ἡ χολὴ, id eſt, bilis illis verſatur q. ἐν τῷ ἄκρῳ in ſuperficie cordis. Vnde cor accenditur,

& ca

& calor cordis statim diffunditur per omnes partes cordis: ita vt etiam in oculis & toto vultu ac reliquis membris calor appareat. Eaq; de causa quicunque in iræ λῦπαι excedunt, & quibusuis celeriter ob quamcunq; causam bilis mouetur, siue iram citò deponant, siue tardè, hoc nomen merentur.

In πικροὶς λῦπις cum φυλακὴ consentit.

14. οἱ δὲ πικροὶ] πικροὶ ab amara bile, quâ abundant dicti, celeriter quidem irascuntur, sed tamen iram ad oportunum vsq; tempus vindictæ occultare norunt alij ob id longo eam tempore fouent, tardeque placantur. Iram enim continent atq; comprimunt, quia vindictæ occasionem expectant. παῦλα] Quando igitur occasio vindictæ se offert, quiescunt. Vltio enim sedat iram, loco doloris ex illato malo voluptatem ob malum illud iam vicissim propulsatum adferens. τοῦτο] Quando verò eiusmodi occasio se non offert, graui onere cupiditatis vindictæ clàm puniuntur. Et quia occultum est onus illud & ignotum alijs, nemo eis, vt istud deponant, auctor esse potest. Itaq; iram diu retinent, neq; eam deponunt, nisi

vel

vel vindictam fuerint consecuti, vel temporis diuturnitate eam concoxerint. Et propter hanc implacabilem & occultam iracundiam, semetipsos lædunt, cor suum edendo: & aliis, quibus cum conuersari debebant negotium faceſſunt & molesti sunt.

χαλεποὶ. 15. χαλεπούς] χαλεποὶ verò sunt feroces & crudeles aduersus eos, à quibus sunt offensi, nec tantum nimium irascuntur, quibus, quando, & propter quæ non oportet. (hoc n. commune habent cum prioribus) verum etiam prius iram non dimittunt, quam vel vlti sint iniuriam, vel castigarint eos, qui peccarunt. Itaq; hæc iracundiæ species dicitur etiam βαρυθυμία, quasi animi asperitas, quia grauis est, aperta & pertinax ira, quæ sine vindicta non potest conciliari. Atq; ita differt hæc species à præcedente, quia prioris ira est occulta, quæ temporis diuturnitate quasi concoquitur, & tandem etiam extinguitur: Hæc verò species iram habet apertam, qui sine vindicta non extinguitur.

16. τὴν φύσιν] Explicatis iam ipso medio &

dio & extremis, exinde facile apparet, magis cum medio pugnare iracundiam quam ἀοργησίαν seu lentitudinem, tum quia malum est frequentius, quandoquidem hominibus fere nihil est solennius & vsitatius, quam vlcisci iniuriam: tum etiam quia sæui & asperi homines ad conuictum vitæq; consuetudinem minus accommodati sunt.

Collatio medij cum extremis.

17. ὅλως] Hactenus rudi tantum Minerua & generaliter hos explicuimus habitus, quia de habituum istorum actionibus particularibus præcepta vniuersalia dari nequeunt. Quod enim in præcedentibus sæpè diximus, vniuersam, quæ de moribus habetur, disputationem variam esse & inconstantem propter humanæ opinionis mutabilitatem & circumstantiarum perplexitatem: Ita quoq; in speciali hac habituum circa iras versantium enarratione id vsu venit, vt difficile admodum sit præceptis complecti, tùm virtutis moderationem, quomodo, quibus, propter quæ, quanto tempore, quousq; sit vel non sit irascendum; tùm vitiorum immoderationem, quatenus fugienda sit

Accurata habituum enarratio, præceptis vniuersalibus comprehendi nequit.

ira &

ira & vituperanda. Aliquando enim vtrumq; extremum, si non multùm à mediocritate receſſerit, habetur loco virtutis, vel certè non vituperatur. Nam interdum etiam iracundi laudantur vt animoſi, atq; ad imperandum propter ſeueritatem apti, quemadm. Ariſt. 7. polit. cap. 7. ait, non eſſe idoneos ad magiſtratum gerendum eos, qui non poſſunt nec audent iraſci. Interdum laudantur ij, qui non ſunt iracundi, ſed difficulter ad iram prouocantur, tanquam ſint homines lenes & manſueti.

Sed rudis & generalis conſideratio vniuerſalia præcepta admittit.

18. ὁ γὰρ] Ratio autem, cur non accuratius explicare poſſimus, ſingulas circumſtantias de moderanda ira, hæc eſt: Singularia ſenſu tantum dignoſcuntur non ratione aut intellectu. Atqui habituum actiones atq; circumſtantiæ ſingulares ſunt, & infinitam pænè habent varietatem. E. actiones horum habituum, quæ in ſingularibus circumſtantijs conſiſtunt, certis præceptis ac regulis determinari ac definiri nequeunt. ἀλλ'] Rudis igitur & generalis conſideratio admittit hoc vniuerſale

uersale præceptum, ϕ virtus sequenda sit, & vitia fugienda. Habitus n. circa iram laudabilis sequendus est, vituperabilis vero fugiendus. At habitus circa iram medius laudabilis est, quibus, quantum, quomodo, propter quod iracundus: Extremi in excessu vel defectu peccantes sunt vituperabiles. Quod si à medio recedant parum, leuem, si multum, grauem, si plurimùm, grauissimam merentur reprehensionem. ἄλλως] E. habitus medius amplectendus, extremi sunt fugiendi.

19. Ex virtutibus homiliticis vnam hactenus explicuimus, quæ nimirum versatur circa obiecta per se συγκοινώνητα conuersationi per se contraria & inimica, veluti circa iram, odium, inimicitiam, rixam, dissensionem, quæ omnia conuersationem labefactare, corrumpere ac tollere possunt. Prius enim quæ aduersa sunt & inimica remouēda sunt, deindè quæ iucunditatem adferunt, amplectenda. Sequitur ergo vt iam de virtutibus, quæ versantur circa obiecta συγκοινώνητα, conuersationem scilicet conciliantia, fouentia & conseruantia,

aga-

agamus. Earum autem tres sunt numero, duæ seriæ, respectu personarum HVMANITAS, respectu rerum, CANDOR seu integritas in dictis & factis. Vna deniq; ad conservationem humanam, otiosam & ludicram pertinet, nempe VRBANITAS.

De Comitate.

CAP. VI.

De habitibus circa seriam iucunditatē occupatis primum in genere est agendum.

20. Ἐν δὲ ταῖς] Quæ autem respectu personarum in rebus serijs iucunditatem cum honestate iunctam persequitur, atq; illud vnicè studet, vt eos, quibus cum versatur, nulla afficiat molestia, sed potius delectet, in plerisq; obsecundet potius, quàm repugnet, eius extremi duo habitus omnium consensu vituperabiles sunt, & quia nomen habent magis proprium & certum notiores videntur esse medio, quod proprio caret nomine. Appellantur ergo ij, qui vitio laborant in excessu, ἄρεσκοι, blandi, qui omnibus placere volunt, qui verò laborāt in defectu δύσκολοι, δυσερίδες, morosi, pugnaces, contentiosi & pernicaces dicuntur.

Extremi.

Medius habitus.

21. ὁ δὲ μέσος] Medius autem habitus verè laudabilis est, quia nec in gratiam loquens

quens recedit à medio, profunditq; se se in assentationem atque obsequium, neque dum seria sequitur, delabitur in adversum, acerbasq; increpationes, modo refragatoris personam, modò rixatoris induens: Sed quæ in congressibus hominum probanda sunt, sicuti decet, probat, quæ verò non sunt probanda, improbat, ijsq; offenditur, ita ut cumprimis delectum habeat & rerum & temporum, & locorum & personarum, quo virtutem maximè laudabilem, ac publicè privatimq; & apud cives, peregrinosque æquè spectatam consequatur.

22. ὄνομα] Quamvis autem nullum ferè huic virtuti nomen sit proditum: Aristoteles tamen eam amicitiæ per quam similem esse putat, quando qui ejusmodi virtute est præditus, & cives amplectatur, & exteros, & æquales, atque inferiores, & quibus cum vivendi consuetudinem frequentat, & quibus nulla prorsus necessitudine est conjunctus. διαφέρει] Virtutem autem hanc non esse amicitiam, quamvis sit ei non parum similis, illud sanè docet, quod amicitia cum affectu quodam sit, quod

Hæc virtus nomine quidem caret, sed amicitiæ tamen perquam similis est.

amici officium sit in amicum, non peregrinũ, quodq; inter amicos mutuus sit amor, mutuũ etjam studium, mutua uti litatum collatio, expetitioq; gratificandi, quodq; amicus sit quasi alter ego, ut omnes consentiunt. At hæc virtus, & qui hac virtute præditus est, quem suo sine nomine esse dicimus, non movetur affectibus, neq; ejus officium in amicum duntaxat est, sed etjam in peregrinum, advenam, summum vel infimum civem, notum ignotumvè. Neq; facilem se præbet, quia amat, vel difficilem, quia odit, sed quia ita suapte natura institutus est, eumq; sese ipse assuescendo comparavit, ut qui gratus esse omnibus velit, molestus vero nulli. Qui igitur erga omnes ex æquo facilis est & officiosus, is profecto sine affectu est amoris. At hic noster erga omnes ex æquo talis est erga notos & ignotos, erga familiares & exteros quantum scilicet cujusq; requirit conditio. Nam aliter se præbet facilem σωήθεσι, aliter ὀθνείοις. E.

Comitas. 23. Cæterùm recte inquirenti ac perscrutanti acutius, quæ virtutis hujus partes sint atque officia, apparebit fortasse

tasse eam esse comitatem, quæ à commendo, hoc est, ornando est nuncupata. Quemadmodum enim puellæ placere ornatu præsertim amatoribus student, illisque ex eo gratiores fieri: Ita comis viri studium eo etjam spectat, dicendo ut delectet, pariatq; audienti jucunditatem. Comitas igitur omni ex parte ea complectitur, ac sibi vendicat, quæ mediocritatis hujus propria sunt, quando & in gratiam loquitur, & commendat, & laudat & hortatur, & mulcet & monet, & amice consulit, omniaque cum delectu: neque ab honestate recedit, neq; utilitatis ejus oblivisciscitur, qui cum orationem habet, & cujus inire studet gratiam. Atque ita ut est summè facilis, benigna, lepida, accommodans sese omnibus & civibus & exteris: sic omni studio cavet, ne offendat, ne molesta sit, ne in contentionem incidat. Nec tamen interim refugit molestiam aliquando subire sive aurium, sive animi, prudenter tamen ac permodeste, dum prosit, dum retrahat ab inhonesto ac parum utili, aut etjam damnoso, maleq; tùm dignitati, tum rei domesticæ conducenti.

Popularitas. 24. Sunt etiam, qui hanc virtutem, de qua agimus Popularitatem appellari malint. Sed cum Popularitas communitatem quandam erga populares facilitatemq; præ se ferat, videtur virtus quædam esse illorum potius, qui in alto sunt gradu constituti, quiq; aduersus inferiores sese faciles admodum gerant, exhibeantq; affabiles. Ad hæc Popularitas, ut nomen ipsum indicat, studium habet populi ac multitudinis, multique ob eam populares dictiac habiti sunt factiosi. Habet igitur Popularitas applicationem illam suam erga populum, populares q; atque illorum res tantummodo. At hæc virtus, quam nos comitatem appellamus, eadē quoque est adversus exteros, atq; alieni generis homines, & natura, & habitu & ratione ita dictante.

Humanitas. 25. Nec desunt, qui Humanitatem eam dici malint. Verùm nec Humanitas adversatur contentionis ac rixarum studio, nec qui humanus est, contentioso ac rixatori est adversus. Nec pauci humani quidem sunt, qui tamen non sunt comes seu hac virtute præditi. Nemo tamen comis, quin idem ipse sit huma-

humanus. Etenim qui aliorum moveatur damnis, incommodis, captivitate, orbitate, inopia, exilio, malisq; alijs, humanum hunc dicimus, nequaquam tamen in hoc comem aut hac virtute, de qua iam agimus, præditum. Et Humano ſtudium loquendi in gratiam vix ullum, nulla obſequendi, quemadmodum nec contendendi proclivitas. Oratio ejus ſuavis quidem & placida, quæ tamen nullum præ ſe ferat ſtudium ineundæ gratiæ, proprijq; compendij. Abſtinet autem ſic à gratiloquentia, ut maledicentiam prorſus deteſtetur ac contentiones.

26. καθόλε] Vt ut autem appelletur hæc virtus, illud ſanè manifeſtum eſt, quod cum tres ſint actionum humanarum fines, honeſtas, utilitas & voluptas, hanc in converſatione ſeria cum illis non pugnantem amplectatur, nimirum ut eos, quibus cum verſatur, nulla afficiat moleſtia, inſuper etjam ſi fieri poſsit, dictorum factorumq; ſuavitate delectet. τοῖκι] Namq; voluptates & dolores ex converſationis qualitate provenientes materies quaſi quædam ſunt hujus virtutis, quibus tamen

De habitibus circa ſeriam jucunditatem occupatis in ſpemirum ut eos, quibus cum verſatur, cie agitur nulla afficiat moleſtia, inſuper etjam ſi & primùm fieri poſsit, dictorum factorumq; ſuavitate delectet. τοῖκι] Namq; voluptates & dolores ex converſationis qualitate provenientes materies quaſi quædam ſunt hujus virtutis, quibus tamen de medio quoad fortunam.

tantum in conversando studet, quantum quidem honestas permittit & utilitas. τούτου] Quando igitur voluptas in conversatione seria cum honestate & utilitate pugnat, eam non amplectitur sed fugit. Proinde nec ipse quid agit, quod cum turpitudine ac incommodo est conjunctum, licet fortè conversantibus suave sit & jucundum, atque ob id non agendo molestus & utilis potius, quã agendo jucundꝰ & perniciosus esse volet : κἂν θῇ] Neque si quid agat alius, quod ipsi quidem in præsens voluptatem, in futurum autem damnum aut ignominiam sit allaturum, probabit. atque ita non probando molestus cum honestate & utilitate, quàm probando jucundus cum turpitudine & detrimento esse cupiet.

Explicatur medij habitus natura quoad Materiam.

27. διαφερόντως] Quamvis autem hac virtute præditus nullum aspernetur hominum genus, quod ita sit à natura usuq; institutus : quippe cujus studium sit gratificandi notis ignotisq;, summis atque infimis : Meminisse tamen eum oportet aliam cum cive, aliam cum hospite aut peregrino rationem à se se-

se sequendam esse: cum amico quàm cum ignoto: cum ignobili, quàm cum eo, qui sit honesto loco natus, educatusq́; maximè liberaliter. Qua in re delectum eum adhibebit, ut cuiq́; quantum sat est, tribuat. Ad eundem quoq; modum quoad locum aliter in templo, aliter in curia, aliter in convivio conversandum: quoad tempus, aliter noctu aliter interdiu, aliter æstate, aliter hyeme delectandi homines, ut ita decorum ubiq́; servetur.

28. καὶ κατ' αὐτὸ] Præterea, qui ejusmodi virtute est præditus, operam dabit sedulo, & per se in hoc incumbet, ut gratum sese omnibus exhibeat in sermonibus, conversationibusq́;, in eisdemq́; appellandis atq; invisendis, in salutationibus, deductionibus, reductionibusq́; atque assurrectionibus: Denique ut omni è parte gratus sit illis quibus cum conversatur, & quantum par est in illorum gratiam ac commendationem loquatur, ac res & facta eorum laudet, proq́ue loco ac tempore commendet dicta, probet consilia, sententias, actiones, studia, opera, vitæ genus efferat, eaq́ue cuncta cum de-

Declaratur etjam quoad Finem.

lectu ac ratione, caveatq; ne vel dicto vel facto cuiquam sit molestus.

Finis & scopus hujus virtutis per accidens est, interdum non delectare, sed tristicia afficere.

29. Τοῖς δ' ἀποβαίνουσιν] Per accidens autem τὰ ἀποβαίνοντα, h. e. ea, quæ ex præsenti obsecundatione evenire possent, considerando, interdum non delectabit, & negliget potius leviorem offensiunculam, quæ posset ex commonefactione proficisci, dummodò multùm prosit, studebitq; ab inceptis aut inutilibus aut parum honestis retrahere ijs verbis, exemplis, consilijs, ut monitoris recti, viri boni, civis benevolentis, reprehensoris quandoque lenis, forsitan & locus & tempus & res ipsa aliquando tulerit, ut increpatoris etjam acerbi aut inclamatoris agrestis, consiliarij tamen ubiq; prudentis & integri personam suscipiat. Quod si quandoq; deflectendum sit à linea, illud servabit, quod ij, qui rapida ac majora tranant flumina, in obliquum trahi se tantisper ut sinant, dum ea ratione ad alteram ferantur ripam, cum velle adversum ire contentius, sit non modò difficile, verum etjam temerarium, longeq; periculosissimum. Rursusque ita aliquando adversus contendet, eaq; mole-

molestia & lenitate aut refragabitur, aut parum aliquid probabit, ut exemplo illorum, qui dirigere virgulam aut flagellum incuruum volunt, & sensim & molliter retorquendo dirigere illud studeant, ne dum majorem adferre vim volunt, flagellum ipsum frangant. Et hæc ipsa mediocritas talis est, qualem jam delineavimus, quamvis apud græcos peræque sit ignominis ut & apud Latinos.

30. τῶν δὲ ὑπερβάλλοντος] Qui verò inter extremos in excessu peccant, ij quibusvis per omnia obsequuntur, in nulla plane re contradicunt, quamvis repugnante honestate ac utilitate. Horum duplex est genus. Alij enim ita à natura comparati sunt usuq; etjam confirmati, ut ipsa tantum blanditione capiantur, eaque avicularum in modum sese oblectent. Itaque ipsorum studium tantum est loquendi in aliorum gratiam, atque ad illorum ipsorum vultum atque opinionem, orationem suam seque ipsos componere, iisdemque in omnibus morem gerere, seque suaque dicta, sermonesq; ad hæc ipsa tantum instituere, quam vel maximam

Qui peccant in excessu.

etjam voluptatem vel solam potius statuant.

Adulatores.

ὁ δ' ὅπως] Alij verò sunt, quorum una est cura, quiq; in eo toti sunt, ut adulando rei suæ consulant familiari, & quasi verborum mercaturam faciant. Ideo oratione ubiq; utuntur secunda & blanda, hocq; sibi vitæ genus delegerunt ad ampliandam rem domesticam, amplificandumq; patrimonium, quemadmodum etjam Gnato ille Terentianus quæstum hunc esse longè uberrimum affirmat.

Contentiosi pugnant cum medio in defectu.

31 ὁ δ' ἀπαθὴς] Adulatorum studijs maximè adversi videntur contentiosi quidam homines, quorum ea est natura, id etjam studium, ut non modò non loquantur in aliorum gratiam, neq; gratificentur ipsi alijs, sed contra ut adversentur & ubique, & in quibusq;, neminemque vereantur in dicendo offendere. Odiosum sanè genus hominum, & muscarum maximè simile, ut nati hi omninò videantur ad turbas, vexationes, inquietudinem, vitæq; ad universæ turbationem ac tædia. Id enim studiosè agunt, ut nemini parcant, parumque omnino offensitare alios aut curent aut caveant. Hinc est, quod cum

medio

medio etjam magis pugnare videantur, quàm illi, quos blandos appellavimus. ἀντικεῖσθαι] Sed quia medium nomine caret, propterea videntur extrema tantum inter se opponi.

De Candore.

32. Sequitur de alia virtute ὁμιλητικῇ agendum, quæ in quotidiana vita non jucunditatem sed veritatem spectat. Quemadmodum enim virtutis illius, de qua pauca locuti sumus, sive comitatis, sive humanitatis præcipuum munus est, dicendo ut delectet, pariatque audienti jucunditatem: Ita quoque cum oratio ac sermo vel præcipuum sit vinculum retinendæ societatis, ad quam colendam nati atque educati sumus, cætusque ipsius una sociati & ampliandi & conservandi, sic inquam alterius virtutis, cujus etjam initia jam quærimus, proprium munus est veritatis studium ac cultus, quæ suo nomine est Candor seu Veridicentia. Loquimur autem hac in parte, hocq; in tractatu minimè ea de veritate, quæ

CAP. VII.

De veritate practica hic agitur non de theoretica.

te, quæ in inquirendis versatur rerum ac naturæ caulis, aut de jure injuriaq; ac sive forensibus in negotijs, sive Physicis & Mathematicis inquisitionibus circa certitudinem syllogismorum: Sed de ea veritate, quæ nihil in sermonibus atque in oratione, nihil etjam in moribus inesse fictum, fallax, fucatum indicet, nihil quod simulatum, adulatorium, mendax, glorioſum, vanum, quodq; supra vires appareat, supraque facultates ipsas, aut veri fines excedat, captusve nostri terminos.

Communia hujus & præcedentis virtutis,

33. περὶ τὰ αὐτὰ] Convenit igitur hùic virtuti cum præcedenti, quam Comitatem appellavimus, tùm quoad subjectum commune, quod est conversatio quotidiana & oratio, in qua tamen hæc virtus veritatem, illa jucunditatem spectat; tum quoad nomen, quia proprio & genuino nomine etjam hæc ipsa virtus caret. *Duplex causa, cur de hac virtute sit agendum.* οὐ χεῖρον] Non erit autem incommodum, si de hac quoque virtute agamus. Ita enim fiet, ut non tantum omnes morum habitus, qualescunque sint, sive laudabiles sive vituperabiles, singulis explicatis fidelius

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0418
DFG

lius percipiamus: Verum etjam virtutes in mediocritate positas esse, cognoscamus exactius, cum ita esse in omnibus perspexerimus.

Connexio hujus tractationis cum præcedenti.

34. Εν δὲ τῷ] Cum igitur de ijs, qui in quotidiano convictu voluptatem & offensionem eorum, quibus cum versantur, spectant, satis jam, pro instituti ratione dictum sit; περὶ δὲ] Nunc de ijs quoque disputabitur, qui ut paulo ante diximus in eodem convictu in circulis, in concilijs, in cœnis conventibusq; minime in gratiam loqui videntur, atque inservire auribus, sed veritatis unius studio & causa de se rebusq; suis vera tantum & qualia sunt, prædicant. Conveniunt ergo cum hi, tum illi in subjecto, ut diximus, communi, quoniam uterque habitus circa ἡδονὴν ψυχικὴν ex conversatione quotidiana ortam occupatur: sed differunt subjecto particulari, quod illi jucunditatem, hi autem veritatem potissimùm ob oculos ponunt, idque in moribus ac sermone, hoc est, in factis dictisque.

35. Λοιπὸν]

Primum in genere de istis habitibus agitur.

35. Δοκεῖ] Ut igitur primum in genere non tàm habitus, quàm actiones ab habitibus istis promanantes eo rectius persequamur, principio notandum est, Aristotelem τὰ ἐνδοξα h. e. ea bona quæ ad gloriam faciunt, huic virtuti subijcere, & veracem definire, qui sua bona talia qualia sunt, effert: Simulatorem, qui majora: Dissimulatorem qui minora fingit. Habitus igitur extremi in genere conveniunt, quod in ijs quæ sunt ἐνδοξα, glorioſa & præclara, sive ad seipsos, sive ad alios pertineant, tàm amicos, quàm inimicos, veritatem fugiunt, mendacium sequuntur. In specie verò differunt. Alter enim habitus est in veritatis excessu ἀλαζονία Ostentatio seu Arrogantia: alter in ejusdem defectu εἰρωνεία, Dissimulatio. Illa namque supra verum & loquitur & sese effert: Hujus verò studium est aut dissimulare quæ insunt, aut dejicere ea, infraque verum elevare ac deprimere.

Ostentator seu Arrogans.

36. Arrogans igitur mendax est & Simulator proprie ejus, quod non est, tanquam sit, nequaquam ex æquo seq; resque suas metiens, cum aut secun-

dum

dum Substantiam falsa omninò de se prædicet, atque ea quæ non sunt omninò neque inesse reperiuntur, esse vel esse simulet : καὶ μειζόνως] aut secundum accidens sibi majora affingat, quàm quæ reipsa sint, & quàm ingenium ferat ac facultates. ὁ δὲ ὕπουρ] Sed & Dissimulator etjam ipse mendax est, cum res glorioſas sibi alijsvè præter meritum deroget, & vel secundum substantiam id quod est vel ineſt revera, omninò non esse aut non inesse profiteatur, vel secundum accidens inesse quidem concedat, sed minus tamen esse vel inesse fingat. *Dissimulator.*

37. ὁ δὲ μέσος] Habitus autem medius, cum ἀνελευθερίας sit & ea libertate, ut nemini serviat, neque personas sed res tantum ipsas consideret, eaq; etjam prudentia, ut res omnes tales, quales sunt, animo complectatur; in omnib. dictis nempè & factis veritatè sectabitur quippe cum quoad substantiam ea quæ non sunt neque insunt, non simulet : τὰ ὑπάρχοντα] neque dissimulet ea quæ sunt vel insunt, sed liberè potius atq; apertè, ubi opus fuerit, fateatur, sive bona sint sive mala : καὶ ὄντα] Quoad acci- *Medius habitus, quem candorem seu veridicentiam appellamus.*

accidens verò seu quantitatem, nihil suprà quàm suum est sibi aut accersitè affingat, aut subductim detrahat. Ex his jam sequitur, ut veritati mendacium, sic mendacem aversari veraci, veritatique mendacium. Sed verax unus ipse quidem duntaxat est, & simplex, mendax verò duplex. Nam è numero mendacium alij (ut dictum est) Ostentatores sunt & Simulatores, alij Dissimulatores.

Ex ijs tantum actionib. quæ per se obeuntur, habitum esse dijudicandum.

38. ἐπὶ δὲ] Cum verò actiones tàm medij quàm extremorum habituum vel per se obeantur vel propter aliud, ob id eas distinguendas esse judicamus, atque ex ijs quæ per se obeuntur solis habitum dijudicari debere, tali ratiocinatione probamus: ἕκαστος) Talis quisque per se est, hoc est, tali habitu est præditus, quales actiones edit. Ex actionibus enim externis internum comparari habitum in disputatione de virtute abundè ostendimus. καθ' αὑτὸ] Atqui actiones hominis mendacis per se sunt malæ & vituperabiles; per accidens verò non sunt malæ neque vituperabiles, quatenus nempe alicujus hominis tamen non improbi, mendacium

bono

bono alicui majori occasionem præbet. Sic Iuditha transfugam se simulat, ut patriam ab Olofernis Tyrannide liberet. Sic viro bono Rei. causa mentiri licere etjam Plato asserit. τὴν δὲ] Candidi a. viri seu veridici actiones per se bonæ sunt & laudabiles, quia veritate delectatur, quæ per se bona est & laudabilis. Per accidens autem malæ sunt, quoniam ex veritatis professione malum majus evenit, ut qui Tyranno conjuratos indicant vel solo veritatis studio, vel etjam spe præmij: illi quidem simplici, hi duplici vituperio digni. οὕτω] E. hominis etjam veri habitus per se bonus est & laudabilis, mendacis verò vituperabilis, tum uterque, μᾶλλον] tum alter quàm maximè, qui nimirum peccat in excessu.

39. περὶ ἑκατέρου] De utrisque autem extremis nunc in specie agemus, prius tamen de veridico propter virtutis dignitatem & præstantiam. Declaranda autem ejus natura est, ex quotidianæ vitæ actionibus. Sunt autem actiones Candidi, veracis, integri, aperti, veridici aliæ propriæ quæ illi per se conveveniunt, τὴν ἀληθεύειν scilicet τοῦ βίου καὶ λόγου:

Deinceps in specie de istis habitibus agendum.

λόγῳ: aliæ impropriæ, quæ tantum per accidens illi conveniunt. nempè ὁ μὴ ἀληθεύων, verum non sequi sed mentiri nunc simulando, nunc dissimulando sua alienave bona vel mala.

Actiones veracis pro priæ quoad habitum respectu materiæ.

40. ὁ γὰρ περὶ] Is ergo, qui moribus & sermone, hoc est dictis & factis ita constitutus est, ut veritatem per se sectetur, si spectes habitum, respectu materiæ non in omnibus occasionibus ex æquo eluceſcit, sed in quibusdam magis in quibusdam minus. Nam ubi causa, cur veritati studeat alia, quàm ipsum veritatis studium subest, ἄλλης γάρ] ibi veritatis habitus latet, & alterius virtutis specie tegitur, v. g. *Si quis* veritatem servet ἐν ταῖς ὁμολογίαις, in ijs, quæ manifesta sunt & aperta, quæq; nemo nisi impudens negare possit, is honoris potius sui conservandi studio, ne mendax videatur esse atque vanus, quàm veritatis causa verum dicere videtur, quemadmodum etjam is, qui vera loquitur in ijs quæ justa sunt & injusta, non tam veri quam fidei studio id facere dicendus est. Vbi autem alia causa quàm veritatis studium non subest, aut saltem non videtur subesse, ibi ex stu-

ex ſtudio veritatis habitus certò colligi poteſt.

41. ἐκ τῶν ἕξιν] Reſpectu formæ autem is veridicus eſt ſeu candidus & apertus homo, qui per ſe ex habitu talis eſt, non autem propter aliud, quiq; ſolius veritatis amore apertè quidem cuncta dicit, ſineque injuria, & cuius ſermo prorſus alienus eſt à fuco, infractione, mollitie: talis denique qualem ſerenitatem eſſe nocturnam requirimus, in qua nihil turbidum, nihil ventoſum, neque quod vel æſtum adferat vel gelu; qualis eſt profectò ſerenitas verna, quæ nullo modo cum offendat, (quod ſuaviſsimum tamen eſt) rorem effundit ad omnem germinationem quàm maxime utilem ac felicem. Qui verò nonnunquam veritatem dicit vel præmij ſpe, vel metu coactus, vel vindictæ ſtudio; is non ex habitu veritatis vera dicit, ſed ex avaritiæ habitu, vel timiditatis vel iracundiæ, quibus habitibus veritatis profeſsio famulatur & miniſtrat.

Actiones veracis reſpectu formæ.

42. Δόξειε δ' ἄν] Si verò ſpectaveris accidentia, quæ viro candido atque veridico inſunt, probum eum & juſtum

Hominis aperti accidentia.

virum esse oportet, & propterea etjam ad omnes reliquas virtutes, quarum compendium justitia continet, idoneum, utpotè veritatis oppido quàm studiosum, ὁ γνῆ φιλ] quippe qui etjam in ijs, in quibus fortè nihil referret, ne vel tantulum quidem è via deflexerit, nedum ut à linea digrediatur veri, majoribus in rebus ac negotijs: quin tenorem ubique suum & præcipuè ubi maximè opus est, ut in pactis, conventis, judicijs, servabit, rectèque ad metam proficiscetur, ut qui mendacium, nugas, veterationesque ubique fugiat, detesteturq; perindè ut rem maximè turpem summeque indignam recto & bono viro. Igitur qui veraces, ijdem & viri boni, & cives probi sunt, ac merito laudantur, cum non maximis tantum aut mediocrib. in actionibus, sive sermonibus, sive congressionibus veracitatis eorum eluceat studium ac vis; verum etjam in minimis quibusque ut veritatis studiosi ac Professores de minutissimis illis ac maximè levibus non aliter sint solliciti, quàm pudicissimæ matronæ de honestatis ac pudicitiæ fama, nec de continentia tantum pudo-

risque

risque commendatione, deque moribus ac verbis singulis; verum etjam de levissima oculorum inflexione, deque incessu, qui fortè mollior judicari possit, aut de manuum agitationibus, atq; oris habitu liberiore.

43. ἐπὶ τὸ ἧττον] Sed tamen cum aut locus, aut tempus aut rerum status ejusmodi esse possit, ut τὸ μὴ ἀληθεύειν aut magis conducat, aut contra obsit ἀληθεύειν, deque se, rebusque suis vel alienis loqui liberius, oreq; magis pleno; itaque veraci interdum etjam permissum est aut verum quandoque subticere, aut aliquid, quod nequaquam ita se habeat subsimulare atque effingere. Ac nescio etjã quomodo videatur hic ipse veridicus de se dum dicit, si quippiam sibi rebusq; suis subduxerit, dum ne dissimulandi gratia, de modestia vel merito laudandus: quin (modò tamen modestè) si quid laudandis ac referendis aliorum rebus ornatus addiderit, ut virtutis laudatori, ut rectè factorum commendatori videtur assurgendum. Namque ut in enarrandis suis ubi fuerit parcior, dum ne id fiat cum dissimulatione, commendatur ut modestus: Ita

Actiones veracis impropriè.

videndum est, ne si differendis alienis fuerit constrictior, detur id invidentiæ.

Interdum licet fingere.

44. Ad eundem quoque modum cum magna vis temporum sit ac rerum, non minor etiam personæ ipsius, quam quis gerit, ob id fingunt nunc multa, nunc contra celant in adversis ac periculosis casibus prudentes tum rerumpub. temperatores, tum duces exercituum: Sic in bello inopiam recte dissimulat prudens Imperator, præsertim quando patria ab hoste infestatur. Sic in bello se viribus exhaustum bonus dux simulat, ut hostem ad securitatem perducat. Multa quoque peritissimi Medici periculosissimis in morbis fingunt, & ægrotis persuadent: nec tamen illi ex eo aut mendaces habentur, aut minus veridici, quando neque propositum eorum est aut mentiri aut fallere, verum & prodesse ea ratione & pericula avertere, quod omninò prudentium est hominum munus atque officium.

Diff. inter ostentationem & arrogantiam.

45. ὁ δὲ μέσος] Explicato medio, de extremis adhuc restat agendum. Adversatur autem huic mediocritati, quam

quam candorem seu veridicentiam appellavimus, Mendacitas, cujus & excessus exiſtit quidam & defectus: atque excessus quidem ipse suo nomine est Ostentatio. Sunt tamen qui Iactantiam malint, alij, qui Arrogantiam. Sed hæc ipsa Arrogantia versatur magis circa honorum nimiam affectationem, quàm in veri dictione & usu, quippe cum arrogantes per vim arrogent sibi supra meritum, ultraque natales suos atque actiones ac vitæ genus. Neque enim captus sui rationem habent. Itaque violenti sunt. Qui verò sibi plus in dicendo de se, suisque de rebus tribuunt, quàm quod re est vera atque ex merito est assumendum, hi nequaquam violenti habendi, verum mendaces, vani, futiles, leves. Quando verbum ipsum Arrogo, violentiæ quidem est atque elationis: Ostento autem vanitatis atque inanis cujusdam umbræ dictio, quasi videri sibi inesse velit, quod nullo modo insit. Iactantia verò ipsa ad superbiam ubique est aut ad stoliditatem referenda, cum Iactator etjam in ijs, quæ vera sunt, referendis atque extollendis sit nimius,

nimisque fastidiat & gestu & verbis & contentione sit immoderatior. Qualis fuit Ajax ille apud Ovidium. At ostentatio plerumq; vana est, nec ostentator quidem jactatu nimius, sed parùm omninò dictis verus, atque ex eo vanus magis quàm aut superbus aut arrogator.

Vitium in excessu deducitur ex fine. Alij enim mentiuntur per se, alij propter aliud.

46. Sed ut ut appelletur hoc vitium, illud quidem certum est, quod eorum qui excedendo mentiuntur alij sint, quibus mendacium ipsum precium est, ipsaque mentiendi voluptas perquàm suavis est fructus, quod genus maximè vanum judicandum est, cum eorum cogitationes ac voluptates prorsus inanes sint ac vanæ, fluxaque consilia. μάταιος] Iure igitur vani sunt appellati, non autem propriè mali sunt, cum animo nocendi alteri non mentiantur. εἰ δ'] Alij vero mentiuntur propter aliud, nempe propter bonum aliquod, quod tamen mendacio est minus, nimirum aut honoris adipiscendi gratia, qui tamen minus sunt reprehendendi, quandoquidem gloria virtutis præmium est; aut comparandæ pecuniæ causa, quj multò sunt turpiores, cum pecu-

pecunia multo deterior ſit quàm honores. Nam qui mentiuntur propter bonum, quod mendacio eſt majus, nempè Reipub. aut ſalutis aliorum cauſa, eos adeo non peccare diximus, ut propterea etjam prudentes eſſe dicantur. Prudentis enim eſt, nunc ſimulare, nunc diſsimulare, ut in rebus dubijs atque adverſis & ubi fortuna variat. Vulgo id officioſum appellatur mendacium.

47. ἐνὶ ἐν τῇ δυνάμει] Oſtentatorem eſſe diximus, qui ſibi affingit, aut quæ nulla prorſus è parte inſunt, aut qui majora quàm ſint, facit. Hoc autem non ad externam commoditatem, quod ſcilicet vel poſsit ſibi ea quæ vult arrogare ſeu aſſumere, vel ea ſibi actu adſcribat: ſed ad habitus conſtitutionem ſeu ad internam voluntatem referendum eſt, quod ſcilicet plura velit & cupiat, quàm veritas patiatur, quamvis facultate efficiendi ea, quæ cupit, interdum deſtituatur. Quilibet enim ſecundum habitum talis eſt, qualis dicitur, nempe propter electionem & conſilium quod cepit, licet conſilium iſtud ſucceſſu careat. κατὰ τὴν] At

Deducitur ex Forma.

verò Ostentator seu arrogans secundum habitum talis est. οὐκ ἐν τῇ] Et Ostentator προαιρέσει non δυνάμει talis est & esse dicitur. ὡσαύτως] Quemadmodum & mendax homo, sive per se, sive propter aliud mendacio gaudeat, non ob id mendax dicitur, quia mentiri & suo mendacio alios decipere potest: sed quia mentiendi consilium capit, sive cum successu, sive absque successu.

Arrogantis seu Ostentatoris natura deducitur ex Materia.

48. οἱ μὲν οὖν] Triplex autem est, ut ex superioribus liquet, ostentatorum genus, qui in simulationibus versantur. Alij enim sunt, quibus mendacium sit, ipsum mentiendi auctoramentum, quo in vitio planè regnat vanitas. Alij quib. ea è re proposita sit honoris famævè consecutio. Ostentant n. seq; & sua, quo honores, magistratus, & alias dignitates, assequantur, quod studium non vacat ambitione. οἱ δὲ κέρδους] Alij denique sunt, qui ampliandæ rei familiari hac ratione dent operam & quæstui incumbant, quod vitium ab avaritia ducit ortum. Itaque eas artes profitentur ex quibus se quæstum aliquem facere sperant, quemadmodum olim Sophistæ, qui arrogabant sibi sapien-

pientiam & eloquentiam, & pro magna mercede profitebantur, qui tamen revera neque sapientes fuerunt neque eloquentes. De Medicorum circumforaneorum & agyrtarum mendacijs dicere opus non est, cum quotidiana ejus rei exempla videamus, adeò ut in proverbium abierit: Promittunt Medici De ariolis, astrologis, auguribus, & aruspicibus idem esse judicium. Hi autem omnes seque & facta sua magnificè prædicant plerumque apud homines imperitos & simplices, qui facilè ijs credunt: apud intelligentes verò non multùm gloriantur, quia facilè possunt ab ijs coargui de mendacio. Deindè quoque gloriantur in ijs, in quibus tenebras licet alijs offundere, ne eorum mendacia ita facilè deprehendantur, quemadmodum et jam Pyrgopolinices apud Plaut. se in Cilicia, Macedonia, Cappadocia & alijs remotis locis tantas strages commisisse jactitat, de quibus servis nihil constare poterat.

49. ὁ δ' ὕστατος] Alterum extremum, quod in defectu adversatur virtuti huic

nostræ,

Extremum in defectu est Dissimulatio.

nostræ, est Dissimulatio. Sunt autem ex Dissimulatoribus, qui minora de se, rebusque suis dicant, aut ea prorsus inficientur ac dissimulent, in quib. ijdem ipsi præstent, sintq; ea præclara admodum, ac magis magisq; nobilitata: nullo modo tamen emolumenti causa, aut pecuniæ, verum ut insolentiam devitent ac tumorem, cujusmodi fuit Socrates, cujus, cum hoc unum se scire affirmaret, quod nihil sciret, consilium nequaquam erat aut finis, quo aut falleret ipse, nugareturvè, aut lucrum indè sibi compararet: Verùm ut ostentationem defugeret, tumoremque vitaret, ab insolentia verò sic recederet, ut intra modestiæ ac verecundiæ fines potius diversaretur. De eo enim, in quo quis præstat, cum demit sibi particulam: vel de se ita quidem loquitur, ut videri nolit aut insolescere ex eo, aut non existimare tantum se profeciſſe, quantum aliorum fortasse sit judicium: utrumque profectò modestiæ est, non tergi versationis, aut fraudis, qua tamen in re medium quoque retinendum est. Nam velle id quod

Socratica Ironia.

inest,

ineſt, nimium attenuare, id finitimum eſt inficiationi.

50. οἱ δὲ καὶ τὰ μικρὰ] Vehementior autem extenuatio vel potius diſsimulatio eorum bonorum, quæ parva ſunt & omnibus nota non minus fortaſſe in *βαυκοπανούργοις*. Oſtentationem intendit, quam arrogatio illa inſolens ac vanitatis ſocia. Ariſtoteles eos, qui ea ſibi adeſſe bona diſsimulant, quæ ſunt parva & omnibus nota, βαυκοπανούργους appellat, hoc eſt, glorioſos, verſutos delicatos veteratores, qui dum minimis quibuſdam è rebus ſivè elevandis, ſive diſsimulandis laudem aucupantur, ex eo contemptibiles fiunt, & prorſus ſunt deſpiciendi, quemadmodum veteratores illi propriè ſic dicti, qui ex veteramentis, hoc eſt, veſtibus & quibuſdam utenſilibus vetuſtate & uſu attritis & corruptis, rem faciunt, atque ita pro novis vetera emtoribus obtrudere non verentur.

51. καὶ εἰρωνεία] Sed interdum hæc ipſa diſsimulatio manifeſtè quidem oſtentatio quædam eſt, cujuſmodi eſſe generis Ariſtoteles Laconicum arbi-

Laconica in veſtitu ſuperbia.

arbitratur vestitum, pannosum & sordidatum: sub illa namque modicitate delitescere elationem ac superbos Spiritus. Tali sub modicitate ac vestitus sorde sunt hodie etjam in Papatu Monachi & similes hypocritæ, qui externo habitu, incessu & alijs gestibus sanctiores cæteris videri volunt, cum tamen interea alto supercilio alios præ se fastidiosè ac impiè contemnant. Eorum enim omnium idem est propositum, ut, cum ipsi nebulones sint in cute, quod tamen minus sunt, id habeantur atque appareant. è quibus alijin id intendunt, pessimi scilicet veteratores, ut lucrentur, victumque inde sibi uberiorem parent, majoremque reverentiam, utque habeantur in honore, vindicentque sibi apud populum sanctitatis opinionem, existimenturque DEOrum frui colloquijs ac præsentia, qui meo quidem judicio non degeneres modò atque abjecti, verùm nullius esse videntur precij, deq; cætu hominum prorsus eijciendi.

Hypocritæ.

Socraticus Dissimulator.

52, οἱ δὲ μετρίως] Socraticus verò ille Dissimulator cum nec pecuniæ inhiet nec lucris, neque demittendo seque

que & sua altius efferat, neque inaniter mentiatur & decipiat, sed ut inanem gloriolam vitet, & vulgi, quod sine judicio est, judicium, modeste de se sentiat; propter illam modestiæ speciem, laudem humanitatis subit, ita ut politus & elegans esse videatur. Detrahebat sibi Socrates de cognitione rerum, de scientia, non ut abnegaret, quod in luce expositum erat, sed ut alios invitaret ad humanitatem ac modestiam. Neque enim videri volebat insolescere ob multarum rerum peritiam.

53. Sed quoniam Prudentia dux est ac magistra actionum humanarum omnium moraliumque virtutum; illud non videtur præterendum, prudentiam ipsam pro loco & tempore, negotijs, administrationibus, periculis, proque persona quam geremus tum exigere, tum etjam præcipere, ut nunc simulemus, nunc contrà dissimulemus: nunc veritatem occulamus, nunc quæ vera nullo modo sunt, & fingamus & asseveremus. Quæ res efficit, ut fingere interdum, simulare, dissimulare, inficiari, celare, ostentare, demere, accumulare,

Actiones variant pro ratione circumstantiarū.

mulare, dum tamen Prudentia id exigat, virtuti sit dandum. Sunt enim actiones ipsæ ad finem referendæ. Sic Bono viro licere propter salutem Reipub mentiri etjam Plato diserte asseruit. Et Solon publicæ rei gratia furorem simulavit, & Brutus stultitiam. Sed nullo ab hominum genere, nullis ab administratoribus plura aut simulantur, aut dissimulantur, quàm ab exercituum Ducibus, rerumque administratoribus bellicarum. Inde varij generis Strategemata, quorum vis propriè in arte solertiaque posita proficit, tàm ubi cavendus, quàm ubi opprimendus est hostis. Illa enim belli furta pulcherrimam laudem habent, per quæ hostes maximè decipiuntur, & amici plurimùm juvantur.

Strategemata.

54. Ἀντικεῖσθαι] Et sic quoque extrema jam explicuimus, quæ adversa fronte obsistunt medio. Quanquam autem Aristoteles rectè putat veraci ostentatorem magis adversari, longiusq; ab illo digredi, utpote deteriorem: non minus tamen difficilè est ab his ipsis cavere qui etjam minutissima ac sordidissima quædam obstinatè dissimulant,

Collatio extremorum cum medio.

quod

quod ea ad virtutem ipsi referant, publicamq; ad commendationem, cum eorum morbus vix appareat, & adeo tamen serpat latè, ut non modo interdum in ostentationem sese convertat, verum etjam in Spiritus superbissimos, execrabilemq; animorum impotentiam: Ostentatio verò ipsa sese patefaciat, id quod nomen etjam ipsum declarat. Sed de hac quoque virtute ejusque extremis pro instituti ratione satis.

De Vrbanitate.

55. οὐσης δὲ καὶ] Egimus igitur hactenus de virtutibus, quæ conversationem humanam per se quidem seriam & negotiosam moderantur. Quia verò etjam vita nostra per accidens otiosa est & ludicra, quatenus quod caret alterna requie durabile non est, propterea & virtus aliqua necessaria est, quæ conversationis ludicræ curam gerat in dictis & factis ad hilaritatem pertinentibus moderandis. Eam vel urbanitatem vel novo quodam vocabulo, Facetudinem appellamus. Dari autem

CAP. VIII. Connexio hujus virtutis cum præcedentibus.

habitus tùm medium tùm extremos in jucunditate vitæ otiosæ conversantes, sic videtur probari posse: Vbi vita est, ibi virtuti & vitijs locus datur. Nulla enim pars vitæ teste Cicerone vacare officio debet, in eoque excolendo sita est omnis vitæ honestas, & in negligendo turpitudo. Atqui in otio & quiete vita est, quieta scilicet, otiosa, ludo jocoq; condita. Vita enim nostra primario posita est in motu & actione, quæ suapte natura est laboriosa. Labor vero actioq; omnis cum non sit absque defatigatione, tum cessationem requirit, refocillationemq; quasi quandam inter agendum, tum requietem postquam ad finem perventum fuerit. Itaque vita hominis secundariò tantum & per accidens otiosa est, ut nimirum requie & otio refocillatus, ad negotium alacrior vegetiorq; redeat.

De quo otio hîc agatur. 56. καὶ ἐν ταύτῃ] Recreationes autem ipsæ ac refocillationes, quietesque vel dormientium sunt, ut somnus: vel vigilantium διαγωγὴ, quæ rursus vel solitaria est & homini, ut homo est, non conveniens: vel popularis, quatenus

cum

cum alijs conversatur. Sed nos hac in parte de hac tantùm vita otiosa rationem habemus, quæ communi in consuetudine animorum relaxationem, quærit, atq; ab labore remissionem, ipsisq; à molestijs. Cum enim ut diximus hominum vita tùm corporis, tùm animi laborum plena sit ac molestiarum, idcircò post labores cessatio quæritur, in qua recreetur animus, atq; inter molestias jocus. Natura enim duce ad requietem trahimus ac voluptatem.

57, Δοκεῖ] Meritò igitur laudatur urbanitas, expeturq; à plerisq; urbanorum ac facetorum hominum consuetudo ac familiaritas, ut ita ἐμμελὴς ἐμμελῶς conversatio apta & concinna instituatur, cum nimirum talia dicantur quæ sunt dicenda, & quemadmodum dici debent; & audiantur quoque, quæ & quomodò sint audienda. Διόπερ] Interierit etjam inter quales quis loquatur, qualesvè loquentes audiat. Quemadmodum enim respectu jocantium, non idem jocus Domini decet personam & servi, neque idem militis &

Conclusio Syllogismi, quod hæc virtus detur.

Philosophi: Ita quoque respectu eorum, qui jocos aliorum vel audiunt vel perferunt, non eodem joco apud patrem & apud sodalem uti convenit, item apud popularem & apud Principem.

Aliud argumentum, quo probatur esse hæc virtus.

58. ἄλλως] Sed & ex contrarijs constat, talem esse virtutem, quæ mores hominum in otio & joco moderetur: Nam ubi potest dari excessus & defectus, ibi quoque mediocritas detur necesse est. Illa enim inter se correlativa sunt, quorum natura est, ut posito uno, ponatur & alterum. Sed in ludis ac jocis excessus & defectus reperiuntur. Sunt enim, qui nimium illis dediti sunt; sunt præterea quidam adeò tristes ac severi, ut nimium ab illis abstineant. E. circa ludos & jocos etjam aliqua servanda est virtus, quæ doceat inter excessum & defectum servare mediocritatem.

59. ὅτι μὲν οὖν] Quæstionem τί ἐστι, An sit virtus quædam quæ circa ludos jocosque versetur, explicuimus. Sequitur quæstionis τί ἐστι explicatio. Principiò igitur, definitionem nominis quod

quod attinet, illi qui excedunt jocando, atque id unice affectant, ut risum moveant, nulla vel honestatis vel etjam jucunditatis ejus, in quem dicunt, habita ratione, βωμολόχοι dicuntur, quasi οἱ περὶ τοὺς βωμοὺς λοχῶντες, qui aris, h. e. ijs quæ aris impositæ essent, victimis insidiarentur. Scurræ enim olim fuerunt & moriones, qui cum cibi causa operam suam scurrilem alijs locarent, aris seu victimis insidiari, & è flamma cibū petere sunt dicti, allusione scilicet facta ad flammam sacrorum, quibus ventris causa intererant. Majores autem nostri hoc vitium Scurrilitatem vocavere, & qui ita sit affectus scurram, fortè à græco σκὼρ, quod significat stercus, quia ejusmodi nugatores sunt plerumque homines impuri, qui turpia & obscœna ore suo proferunt, & tanquam stercore aliorum famam & existimationem impuris suis convicijs inquinare cupiunt, susque deque ferentes, etjamsi alios lacessent ac sugillent. *Nomen ejus, qui jocando excedit.*

60. οἱ δ'] Qui verò in defectu versantur, & tùm à dicendis facetijs ab- *Nomen ejus qui deficit.*

horrent atque à jocando, tùm etjam ab audiendis, quæ cum jucunditate dicantur, ἄγροικοι appellantur & agreſtes. Ex horum numero etjam videntur eſſe, qui σκληροὶ dicuntur ſeu fatui & inſulſi, quorum quidem dicta non modò ſalem non habeant, verùm in eo deficiant, ut riſum nullo modo pariant. Sed ſi fortè aliquem pepererint, id accidet non è dicendi ſuavitate, verùm ab inſulſitate potius ipſa, quæ ridiculos illos reddat ac deſpicabiles.

Nomina eorum, qui in jocando rectè ſe gerunt.

61. οἱ δ' ἐμμελῶς] Denique medio habitu qui ſunt præditi, & concinnè lepideq; ſalibus utuntur, εὐτράπελοι græcis dicuntur, latinis urbani, quod ij oratione uterentur & civè & eo, qui in urbe converſaretur digna, cum viventium in agris & vita eſſet agreſtior, & ſermo etjam qui rus referret, ruſticanæque conſuetudinis tum mores, tum etjam locutionem ac geſtus. Eodem fere continentur genere, ſintque inter ſe cognati, & familiæ pæne ejuſdem, quos facetos appellamus, item lepidos, feſtivos, & ſalſos, quamvis ſi rem aliquan-

aliquanto accuratius consideremus, nonnihil inter se differant. Sed rebus ipsis intellectis in verborum significationibus faciliores esse debemus.

62. διὸμ εὐτραπέλοι] Quod autem εὐτραπελία nomen medio habitui proprie conveniat, ex ipso etymo patet, εὐτράπελοι enim dicuntur quasi εὔτροποι, pro rei, temporis & personarum conditione, in vita otiosa & ludicra mutabiles, cum facilè possint suos mores sermones & actiones flectere ad aliorum arbitrium, ut illos non offendant sua morositate, sed potius oblectent, servata tamen honestate. Id quod probari etiam potest hoc syllogismo: ὥσπερ] Ex motu externo morum, mores ipsi interni dijudicantur. Vt enim ex corporis motu vegeto & agili corporis sanitas, vigor atque robur cognoscitur: Ita ex moribus externis mores interni, adeoque habitus ipsi. τῶν γὰρ] Atqui sales & joci videntur esse morum externi motus, & ab eo habitu pendere, à quo pendent mores serij. E. ex salibus & jocis cognoscuntur animi mores. Et quemadmodum in dormien-

εὐτραπελία proprie quidem medio habituitribuitur.

tibus insomnia arguunt corporis temperiem salubrem vel insalubrem: ita in vigilantibus quali quisque sit ingenio, per ludum facile eluceſcit.

Sed impropriè etiam ſcurrilitati

63. Ἐπισολάζοντος] Sed & εὐτραπελίας nomen impropriè ſcurrilitati tribui, idque temporum vitio, manifeſtum eſt. Nam cum ſcurrilibus jocis omnes ferè delectentur, ne rei inhoneſtæ approbatione etjam ipſi videantur inhoneſti, ſcurrilitati nomen urbanitatis indunt, & vocis mollicie ſuæ blandiuntur turpitudini. Atque in hac ſignificatione nomen εὐτραπελίας accipiendum eſt apud D. Paulum ad Epheſ. 5. ubi hæc tria vitia αἰσχρότητα, μωρολογίαν & εὐτραπελίαν in ſermonibus ſerio prohibet, ὅτι δὲ] Cum tamen alioqui ſcurrilitatem & urbanitatem plurimum inter ſe differre ſatis ſuperque conſtet.

Ἐπιδέξιοι.

64. Τῇ μίσῃ] Ii vero, qui ut recta ratio præcipit, jocari poſſunt, ſalibusque uti, non εὐτράπελοι tantum vocantur, ſed etjam ἐπιδέξιοι. Τοῦδε] ἐπιδεξιότητι enim convenit & dicere & audire, quæ viro bono ac libero, hoc eſt, verita-

veritatis ſtudioſo conveniunt. Atqui vir bonus & liber non tantum in ſerijs negotijs, verum etjam in otio ludicro, quod ab εὐτραπελία regitur, verſatur, & hìc εὐχημοσύνην non minus, quàm illic probitatem ſpectat. τῇ μίσῃ] E.

65. Vir igitur ἐπιεικὴς jocis utitur honeſtis & libero homine dignis pertinentibus ad εὐχημοσύνην, id eſt, ad honeſtam & decoram converſationem. εὐχημοσύνη. διαφέρει] εὐχημοσύνη autem illa variat pro rerum ac perſonarum reſpectu. Ratio enim habenda eſt ἔν τε γὰρ] tum rerum, ut ſcilicet, eos ludos jocosque quos omninò decet, & ipſe ferat ad alios exhilerandos, & ab alijs introductos approbet: tum etjam perſonarum & ſuæ & aliorum. καὶ ἢ τῶν] Ipſa enim joca alia ſenum ſunt, alia juvenum: alia eorum qui magiſtratum gerunt, precioque dignam perſonam, alia privatorum, alia ingenuorum alia ſervorum, doctorum item alia, alia indoctorum. Habentque hæc ipſa ut fructus pomaq; ſua quoque tempora, ſua etjam loca: nec carent auditorum conſideratione ac conſidentium. Ne-

quaquam enim omnia omni aut tempore aut loco, aut quacunque in audientia ac conceſſu decent. ἴδοι] Quod quidem ipſum ex veteribus & novis comædijs cuivis intelligere licet. τῶν μὲν) Veteri namque Comædiæ, tum quia inculta adhuc erat illa ætas, tum quia libera Athenienſium respublica, verborum obſcenitas erat ridicula, & choro apertè verbis obſcenis vitia hominum obſcena taxare licebat. τοῖς δὲ] Novæ autem Comœdiæ, poſtquam Tyrannide triginta Tyrannorum erepta fuit Reipublicæ Athenienſium libertas, & cultior etjam ſucceſſit ætas, obſcœnitas verborum non amplius concedebatur in vitijs reprehendendis, ſed circumſcriptionibus tantum uti licebat, ut ſuſpicione potius aſſequerentur auditores turpitudinem facti, quàm aperta narratione. Itaque dicacitas priſcos comœdos decebat, novos modeſtia. Qua de re videatur Iul. Cæſ. Scal. libr. 1. De Re Poetica capit. 7.

Definitio rei, quis pro priè ſit facetus.

66. πρότερον] Definitionem nominis ſequitur jam rei Definitio. Eſt igi-

turho-

tur hominis faceti proprium in dicendo & audiendo, quæ ad recreationem spectent, animorumque relaxationem in convictibus, consessionibusque ac congressibus, ipsisque in hominum coronis collocutionibusque mediocritatem sequi, & dicere eos jocos, quos oportet. Sed quinam sunt illi quos oportet? An id ex persona dicentis metiendum est? ut scilicet eos tantum jocos quis dicat, qui hominem liberum rectæ rationis ductu, quæ, apud quos, quando, ubi oportet, proferentem, decent. Id quod nos meritò affirmamus. ἢ τοῦ μὴ λυπεῖν] Nam ex persona audientis, ut scilicet is, qui jocatur, jocis suis audientem, seu eum in quem jocatur, vel delectet, vel ad minimum non offendat, neque certus neque perpetuus ducitur fons liberalium jocorum, quippe cum aliud alij sit jucundum & molestum, atque ita quoque respectu personæ audientis idem jocus jucundus esse possit & injucundus. Honestus enim bono & honesto viro jucundus est, inhonesto autem injucundus.

Faceti est dicere joca.

67. Tol-

Faceti est audire joca.

67. τοιαῦτα] Sed Faceti est non tantum dicere, verum etjam audire & ferre jocos honestos & liberales, non turpes & inhonestos. ἃ γὰρ] Quæ enim libero & bono viro non licet facere, ea neque audire licet per jocum quasi fecerit. Nam quæ quis patienter audit sibi imponi quasi fecerit, ea etjam data occasione facturus videtur. οὐ δὴ] At libero homini, ea quæ turpia sunt non licet facere. τοιαῦτα] E.

Scommata non sunt dicenda.

68. Probi etjam viri esse ea quæ honesta sunt, dicere, turpia verò non dicere sic probatur : οὐ δ' νομοθέται] Maledicta legibus coercentur, nec cuilibet quælibet dicere legislatores permittunt. τὸ γὰρ] At scomma est maledictum. Hoc tantum interest, quod maledictum sit serium, scomma joco saleque conditum. ὥστε] E. ut joca quoque convicijs carerent ac maledicentia, abhorrerentque ab invehendo, hoc quoque civilibus & legibus & institutis cautum esse, & vindicari debebat supplicijs & pœnis. Solon certè, deinde 30. Tyranni, vere-

ni, veteris comœdiæ licentiam severis legibus coercuerunt, teste Laert. & Plutarch.

69 ὁ δὴ χαρίεις] Ex his igitur, quæ jam diximus liquidò constat, medium sic esse affectum, ut ipse sibi quodammodo lex sit, & jocos se dignos proferat, & ab alio prolatos non ægrè audiat, illiberales verò studiose evitet. Is igitur ab eo delectus jocorum dictorumque est habendus, ut & suam tueatur & aliorum, & astantium personam: nec non & ætatis & temporis & loci, & rerum ipsarum, ipsiusque civilitatis, imprimis vero honesti decorique ratio habeatur, ut (quod in epulis exigitur) nec insulsa sint joca, nec nimis salsa, quæque nec jejuna sint ac macrescentia, nec crassa nimis, stomachoque prorsus ingrata. τοιοῦτος] Talis igitur est medius, sive εὐτράπελος sit dicendus, sive ἐπιδέξιος, sive εὐχαρις, sive ἀστεῖος, sive χαρίεις, sive εὐχάμων, sive alio quodam nomine. Etenim cum de re constet, de nomine non litigemus.

Conclusio, qualis nimirum sit medius.

Extremum in excessu.

70. ὁ δὲ βωμολόχος] Scurrilitas autem extremum est, quod peccat in excessu. Is enim scurra est, qui non in dictis tantum, sed in factis etjam scurrilibus modum excedit. Nam scommata quævis ipse non tantum in alium dicit, nulla ratione habita vel personarum, nec suiipsius nec aliorum; vel rerum, cum dicat, quæ homo liber atque probus nunquam dixerit, neque ab alio dicta unquam tolerarit: Sed ab alio etjam ea nimium audit patienter & præterquam honestas ipsa patiatur. Itaque in eo totus est, ut jocari queat ac risum movere, & propterea ex altera parte honestatis modestiæq; digreditur è via, ex altera parte vellicat aliantes, ac molestia afficit, & perturbat potius, quàm delectet aut recreet, ut finis ejus nequaquam sit refocillare facetijs ac jucundis dictis, sed quovis modo risum movere: dumque delectet, parum omninò curat alios lacessere ac fugillare. Multi quoque ex scurris obscœni sunt, dicaces, ac spurci, qui nimirum impuris & jocis & dictis prorsus

prorsus diffluunt. Sunt etiam, qui verbera pati, lotio perfundi, fuligine tingi sustinent, ut risum hominibus moveant, qui non dictis quidem, sed factis scurrilibus scurræ sunt & & habentur.

71. ὁ δ' ἀγροῖκος] Alterum verò extremum, quod in defectu versatur, ἀγροικία dicitur, Rusticitas, vel potius, id quod Aristotelicum fortasse verbum magis innuit, si ita loqui liceret, Agrestitas seu Agrestitudo. Astrestis enim proprium est tum abhorrere à dicendis facetijs, atque à jocando, tum etiam ab audiendis, quæ cum jucunditate dicantur. Itaque à mediocritate multo quidem quam Scurra longius abest, quod huic modus tantum deest ac mensura, illa nempe, quæ mediocritatem gignit, quam ubi sectari voluerit, atque ad illam regredi, facilè ipse quidem facetus erit. At Agrestis omni ex parte adeò deficiens est, ut nullo ferè pacto accedere ad mediocritatem queat, aut illam assequi, quippe cui omnia simul desint. *Extremum in defectu.*

72. Τοῦς

Comparatio virtutum ὁμιλητικῶν veluti per ἀνακεφαλαίωσιν.

72. Τριῶν δὲν] Explicuimus jam virtutes ὁμιλητικὰς, quæ conveniunt quidem ratione subjecti. Omnes enim in quadam sermonum & actionum communitate versantur. Sed differunt subjectis particularibus. Alia enim virtus in veritate posita est tàm in dictis quàm in factis, ut nimirum nihil dicamus aut agamus, quod falsum sit aut simulatum & fictum, aut cum aliquo dolo vel fraude conjunctum, sed ut apertè, candidè, sincerè nos tàm in sermone, quàm in actionibus erga alterum geramus. Aliæ verò virtutes sitæ sunt in jucunditate, & rursus vel in jocis, ut illa de qua ultimo loco diximus, vel in serijs actionibus ac sermonibus, ut illa est, quam Comitatem seu Humanitatem appellavimus.

CAP. IX. De Pudore.

Ratio ordinis.

73. περὶ δ' αἰδοῦς] De virtutibus Ethicis, quæ ad habentem referuntur, aliquot jam disputationibus egimus. De Iustitia igitur, quæ ad alios refertur,

tur, nunc statim sequeretur agendum, nisi de affectionibus quæ similes esse videntur habitibus Ethicis, nec sunt tamen, & præcipuè de Pudore ac verecundia, quæ ad virtutes quoque ἠμιλυτικὰς referri debere videtur, pauca essent interponenda, quandoquidem Aristoteles libr. 2. capit. 7. non actionum modò, sed etjam perturbationum dari mediocritatem docuit. Præsuppositò igitur eo, quod in affectibus quoque mediocritas reperiatur, solius pudoris nunc meminit, ut vel mediocritatem ejus, laudatissimam licet, à virtutis mediocritate diversam esse ostenderet. Quod quidem ipsum etjam de reliquis ferè omnibus est intelligendum.

74. Imprimis autem nosse oportet, nonnihil discriminis esse inter erubescentiam & verecundiam. Erubescentia enim græcè ἐρυθρίασις est timor in convitij expectatione, ut loquitur Damascenus libr. 2. capit. 15. & secundum eundem hæc optima est passio, quæ cuivis ætati convenire

Differentia inter Erubescentiam & verecundiam.

 potest,

poteſt, qua ratione Magnanimum quoque erubeſcere dicit Ariſtoteles capit 3. hujus libri. Itaque eſt de turpi fiendo ut ait Thom. 1. ſecundæ quæſtion. 41. articul. 2. Pudor vero ſeu verecundia, quæ græcè αἰδώς appellatur eſt ille affectus ſeu metus qui exiſtit poſt peccatum admiſſum, cum aliquem ſui peccati & facti adeò pudet, ut etjam illud ſeſe perpetraſſe doleat, atque ita eſt de turpi jam facto, unde etjam pudor caſtigans dicitur. Nonnulli hoc diſcrimen ſtatuunt inter Pudorem & verecundiam.

Pudorem non eſſe virtutem.

75. Pudorem igitur non eſſe virtutem, Ariſtoteles oſtendit partim per ſe, ex ipſius natura, partim reſpectu eorum in quibus ineſt. Ex ipſius natura hoc modo: Omnis virtus eſt habitus. At Pudor neque inchoatus neque perfectus eſt habitus, ſed tantum affectus. E. Minor probatur duobus argumentis. 1. Omnis metus eſt perturbatio ſeu affectus. ὁρίζεται] At pudor eſt metus infamiæ, ex qui-

1. Arg. ex pudoris eſſentia.

ex quibuscunque malis sive veris sive imaginarijs coortæ. E. ἀποτελεῖται] 2. Argument. ex pudoris accidente, propter quod ejusdem videtur esse generis, cujus est timor. ὥσπερ δοκεῖ] Corporeæ affectiones notæ sunt potius perturbationum animi, quàm habituum. Habitus enim longo usu acquiritur, & assuetudine non ex improviso comparatur. At in affectibus, cum primi motus, quia improvisi, vehementer conturbent, conturbationem animi sequitur etiam corporis perturbatio, cujus indicium ex colore immutato, ex voce impedita, ex tremore, ex animi defectu, ex pilorum arrectione, & alijs desumitur. σωματικὰ] At accidentia pudoris non minus quam timoris corporeæ sunt affectiones. ἐμφαίνονται] Etenim qui pudore corripiuntur, rubore suffunduntur, qui verò timent, faciei pallorem contrahunt. E.

2. *Arg. ex pudoris accidente.*

76. ἐν πᾶσιν] Respectu quoque eorum quibus inest pudor, virtutem eum esse negavimus. Virtus enim

cuilibet ætati convenit. At Pudor non nisi juvenibus convenit, qui à Socrate laudantur, quod purpura virtutis suas malas tingant. Nutriendus enim illis est pudor, qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus. Sic Diogenes cum videret puerum sequente amatore erubescentem, confide, inquit, hic color virtutis est. Laus igitur pudori per se non convenit sed propter spem virtutis. A senibus verò & adultis hic timor infamiæ quàm longissimè abesse debet. Nunquam enim quicquam admittant, cujus gratia rubore suffundantur, cum suis perturbationibus frena injicere facilius possint, quam juvenes.

Virum bonum quatenus bonus suarum actionum non pudet.

77. οὐδ' γὰρ] Quinimò nec viro bono verecundia convenit, siquidem fiat ob admissam turpitudinem, ut dictum est, à qua vir probus est alienissimus. Cavet enim sibi studiosè, non à malo tantum, sed etjam à specie mali, ut conscientiæ pariter & famæ consulat. Quamvis namque

turpia

turpia sint duplicia, alia scilicet quæ revera talia sunt, alia verò quæ per ignorantiam admittuntur: Vir tamen bonus & prudens neque ea admittere debet, quæ revera sunt turpia, neque ea quæ opinione sunt turpia.

78. Τὸ δ' οὕτως] Huic autem de Pudore opinioni tria adversari videntur vel Platonis vel aliorum argumenta. 1. Est. Quicquid vel actiones turpes comitans tacita conscientia animum hominis turpia committentis flagellat, vel certè cogitationes turpes comitans ab actionibus turpibus deterret homines, id certè bonum esse, & virum quoque bonum non dedecere videtur. Atqui Pudor non tantum vel actiones vel cogitationes turpes comitatur, sed vel maximè flagellat animum ob admissa delicta aut deterret à peccando. E. Sed Aristoteles respondet per inficiationem ad majorem, absurdum esse inquiens ob hanc causam virum se esse bonum putare. ἐπὶ τοῖς] Quæ enim sponte nostra

Contraria argumenta

1. ab effectis pudoris.

Responsio.

nostra malè agimus, eorum nos pudet. ἀνὴρ] At vir bonus nunquam sponte sua malè aget. Nisi quatenus mixtæ quædam actiones partim bonæ partim malæ in virum quoque bonum sæpe cadunt. E. virum bonum nunquam suarum actionum pudet.

2. Argum. 89. εἰκὸς δ' ἄν] 2. adversariorum argumentum tale est: Si quid turpe aliquandò vir bonus vel per vim coactus, vel per ignorantiam deceptus commiserit, tum demum pudere quam non pudere laudabilius est. Atqui contingere sæpè potest, & potissimum in actionibus mixtis, ut vir bonus labatur, & vel per ignorantiam vel vi quadam coactus mala agat. E. Virum quoque bonum tum pudere quam non pudere laudabilius est. οὐκ ἔστι] Respondendum est committi Paralog. non causæ ut causæ. Nam ut hac ratione bonum esse concedamus pudorem, non tamen idcirco virtutis comes erit dicendus. Turpis enim actio pudorem trahit comitem: At virtu-

Pudor est bonus secundum quid sive ex suppositione.

virtutis non est turpis actio. E. virtus non trahit pudorem comitem, neque actiones viri boni, quatenus bonus, unquam tales erunt, propter quas pudere oporteat.

82. ℣. A'] Tertia objectio à contrario. Contrariorum contraria sunt accidentia. At Impudentia & pudor sunt contraria. E. si Impudentia malum est, utique pudor omnino bonus erit. R. Plus esse in conclusione, quam fuit in præmissis. Deinde ad majorem simpliciter veram esse negamus. Avaritia enim & prodigalitas sunt contraria sicuti & audacia ac timiditas, quæ tamen utraque mala sunt & vituperabilia. Ita quoque hic non sequitur, si maius malum nempe impudentia in virum bonum non cadit, quod propterea minus malum in ipsum cadere possit. Nam cum bono habitu præditus nunquam male agat, certe recte factis semper lætabitur, & nunquam pudore suffundetur. Pudor enim per accidens tantum bonus est, & ve-

3. Arg. à contrario affectu.

luti

luti comes non virtutis, sed continentiæ & tolerantiæ.

Continentiam non esse virtutem.

81. ἐγκρ.] Neque enim existimandum est Continentiam esse virtutem. Namque virtus Ethica habitus est simplex, quando videlicet recta ratio citra repugnantiam bruto affectui dominatur. At continentia non est habitus simplex, sed mixtus ex affecta bruto & recta ratione, ita tamen ut post longum conflictum recta ratio tandem superior evadat. E. Continentia non est virtus Ethica, sed dispositio tantum ad virtutem, seu inchoatus habitus & semivirtus. Qua de re simulatque prius de Iustitia atque prudentia egerimus, ex libro septimo, σὺν θεῷ prolixius agemus.

LIBER

LIBER QVINTVS

DE IVSTITIA ET IVRE.

Respondente

BOCATIO HAGIO Strandiensi Holsato.

I.

CAP. I.

DE Iustitia inter virtutes morales ultimo loco agitur, non quod reliquis inferior sit, sed quia latius patet, & non tantũ possessorem suum perficit, rectæ rationi appetitũ per omnia subijciendo; verum etiã & vel præcipuè, quia in mediam quoq; hominũ vitã bonitatis suæ rivulos deriuat, atq; ita non tàm ad habentem, quàm ad alios refertur, quibus cum versamur, suum cuiq; tribuendo. Vnde quædam universalis est iustitia, quæ suo ambitu reliquas omnes morum virtutes complectitur, ut ob id quoq; ad eius naturam & præstantiam melius intelligendam cæteras virtutes prius explicare omninò fuerit necessarium.

Cur de Iustitia ultimo loco agatur.

Qua de re in tractati

2 περὶ κείνου] Considerandum igitur nobis deinceps erit, primum quoad cau-

one de Iusti tia sit agendum.

sas constituentes, quoad materiam scilicet, cuiusmodi in actiouibus (quarum appellatione etiam passiones intelligimus) versentur Iustitia & iniustitia: & quoad formam, ipsam nimirum mediocritatem, quæ & qualis ea sit, ut qua ratione ab Ethicarum virtutum moderatione differat, cognoscamus: καὶ τὸ δίκαιον] Deindè quoad effectus, quarum videlicet rerum & personarum medium sit, & quomodo medium sit Ius. Ius enim & iniuria ex Iustitia & iniustitia proficiscuntur veluti effectus habituum. Quia habitus sunt causæ efficientes actionum. Iustitia igitur causa quoq; efficiens est iustæ actionis, quæ nihil aliud est, quàm ipsum ius. Vnde non malè dixit Vlpianus Ius à Iustitia esse appellatum, respiciens non ad Grammaticorum Etymologiam, quæ in vocabulorum deriuationibus occupata est, sed ad rerum ipsarum naturã.

Quomodo sit agendũ.

3. ἡ δ' ἀνάλυσις] In ijs, quæ diximus, exquirendis, eadem tractandi explicandiq; via vsurum se profitetur Aristoteles, qua in superiorum virtutum explicatione vsus est, ea scilicet, quàm lib. 1. & 2. aliquoties repetivit. Non exquisita igitur

gitur & accurata Mathematicorum demonstratione, sed populariter duntaxat, & pro subiectæ materiæ natura probabili argumentandi genere singula de hac virtute tractabimus. Namq; hæc virtus maximè versatur circa actiones hominum, quæ sunt singulares & maximam habent varietatem propter circumstantias, vt ob id iusta & iniusta, lege potius & opinione hominum, quàm natura constare videantur. Ergò in iustitià ipsa omnium maximè, si qua in alia virtute, probabilitas tantum, non demonstratio erit requirenda & amplectenda.

4. ὁρῶμεν] vt igitur primum rudi modo ac generaliter ὡσ ἐν τύπῳ de Iustitia agamus, ex communi omnium hominum comprobatoq; consensu & iudicio eam esse dicimus habitum, à quo in mediam hominũ vitam profluant iustæ tùm δυνάμεις, vt πρακτικοὶ simus τῶν δικαίων & possimus iusta agere; tum ἐνέργειαι, vt scilic. quando iustè agendi occasionem habemus, iusta agamus, quando non habemus, saltem velimus & cupiamus iusta agere. Qua ratione etiam à Ictis ex Simonide non ineptè definitur,

Iustitiæ & iniustitiæ rudes descriptiones

quod sit constans & perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi. Eodemq; modo iniustitiam esse dicimus habitum, quo & iniuriam faciunt homines, iniustaue & agunt voluntq;.

Ratio prima cur vulgata opinio de duplici isto habitu præsupponenda fuerit.

5. ὁσαχῶς] Quanquam autem in theoricis animi habitibus, quorum finis tantum est cognitio, usu venit, ut cognitio contrariorum obiectorum, ad eundem pertineat habitum, sicuti physica motus & quietis, mortis & vitæ: Metaphysica entis & non entis: Medicina morbi & sanitatis: Iurisprudentia iusti & iniusti scientia dicuntur, quemadmodum eriam Logicus verum & falsum: Grammaticus puram & Solæcam orationem: Rhetor ea quæ ad suadendum & dissuadendum, ad laudandum & vituperandum valent, cognoscunt. vnde vulgatæ Logicorum regulæ, quod contrariorum eadem sit ratio, disciplina, & scientia: quod potentiæ æqualiter se habeant ad utrumq; contrariorum, sicuti videndi facultas ad album & nigrum colorem &c. οὐχ οὕτω δ'] Non tamen ita se res habet in habitibus Practicis, cuiusmodi sunt virtutes & vitia, quibus actio est proposita. Illi enim non

non sunt contrariorum, neq; versantur circa contrarias actiones, neq; eorum exercitium contrarios effectus præstare potest. Quemadmodum enim corporis habitus salubris actiones contrarias non producit, sed salubres tantum omnium partium & membrorum corporis, veluti pedum in ambulando & currendo, manuum in laborando, oculorum in videndo. Similiter etiam cæterarum partium sani corporis sanæ etiam sunt operationes. Contra vero à morbo non nisi morbosi corporis eiusq; partium operationes. Neq; enim potest ægrotus ita pedibus incedere, aut currere, aut manibus aliquid apprehendere, laborare, gestare aut aliquid aliud agere, sicuti homo sanus. Ita quoq; animi habitus bonus non nisi bonas, malus verò non nisi malas edit actiones. Hinc rectè quoq; dicitur, quod contrariorum diversa & contraria sit ratio, nempe quoad exercitationem, non autem quo ad cognitionem. Cum ergo Iustitia sit habitus animi bonus, ideò non potest, nisi per bonas & iustas actiones definiri. Iniustitia autem, quia est vitiosus animi habitus, non potest nisi per

iniustas & vitiosas actiones definiri. Ad eoq; necesse fuit pro vtriusq; cognitione, vtriusq; actiones contrarias supponere.

Consequitur cognitio contrariorum habituum sese mutuo tum quoad res ipsas.

6. πολλαχῶς μὲν οὖν] Sed & hæc Logicorum est regula, quod contraria iuxta se posita magis eluceſcant. Quatenus ergo cognoscuntur habitus etiam practici v. g. virtutes & vitia; ita unius cognitio alterius cognitioni inseruit, & propterea consensus hominum de utroq; iustitiæ scilicet & iniustitiæ habitu supponendus fuit, ut alterum ex altero, si foret necesse, intelligeremus. Cognoscitur autem habitus vel improprie ex habitu contrario, vel propriè ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων ex rebus habitui subiectis, per quas nempe habitus cognoscitur, ingeneratur, fovetur, conservatur. ἕξεων] Nam quod ad modum improprium cognoscendi habitum attinet, si notum sit, quod εὐεξία habitus sc: corporis bonus sit carnis soliditas exinde quoq; cognoscitur, quod κακεξία mala corporis constitutio sit carnis raritas. Si namq; bonus habitus cognoscitur ex carnis densitate ex coloris bonitate, ex membrorum vigore, & omnium virium corporis integritate, vtiq; & κακεξία - cognoscitur ex-

car

carnis raritate, coloris vitiositate, & reliquarum virium corporis imbecillitate. Ad eundem modum si mors est animi & corporis dissolutio; vita erit animi & corporis consocietas. Si albedo est color disipans visum; nigredo erit color congregans visum. Ad modum verò proprium cognoscendi habitum, ex rebus scilicet subiectis, (per quas intelligimus omnia, quæ ab eo, qui habitum hunc introducere vel cognoscere laborat, considerantur, sicuti & operationes, quæ ab illis proficiscuntur,) quantũ spectat, sic ex ἰυστίᾳ seu ex bona corporis habitudine, quæ habitudinẽ efficiunt, & vicissim ex efficientibus ipsa ἰυστίᾳ seu habitudo cognoscitur, vtputa, si bona habitudo est carnis soliditas, ergo ea quæ carnis soliditatem faciunt, bonam pariunt valetudinem & è contra. Sic quid sit iustitia cognoscitur ex actionibus viri iusti. Ad eundem modum, quia video Musicum benè canere, Arithmeticum benè numerare, hinc definio ipsos habitus, & Musicam dico esse artem benè canendi, Arithmeticam benè numerandi &c.

7. ἀναλυτικῶς] Consequitur etiam cognitio

tùm quoad nomina. Transitus ad diuisionem Iustitiæ.

gnitio contrariorum habituum sese mutuò, quoad nomina. Vt enim res ex rebus, ita etiam nomina ex nominibus contrarijs habituum intelliguntur. Ferè enim evenit, si unum contrarium homonymum sit, alterum quoq; homonymum esse: Vt si iustum sit æquivocum, erit etiam iniustum. Quod si vero iustum & iniustum sunt æquivoca, etiam Iustitia & iniustitia vocabula erunt æquivoca. Si enim vnum coniugatorum est æquivocum, reliqua etiam coniugata æquivoca sint necesse est. Atqui Iustus & Iustitia, item iniustus & iniustitia sunt coniugata. Etsi vnum ex illis est æquivocum, reliqua etiam erunt æquivoca.

Τὸ ὅτι quod scilicet Iustitia & Iniustitia voces sint homonymæ

8. ἔστι] Sed Iustitiã & Iniustitiã homonyma esse seu æquiuoca, & multis modis dici manifestum est, quippe cum de rebus differentibus nomen commune enuncietur. ἀλλὰ] Quia verò propinqua est & occulta illarum homonymia, ideo latet, ut propter rerum inter se differentium similitudinem pleriq; decipiantur, nec ullam subesse putent homonymiam. Est enim homonymia seu æquivocatio aliaaperta & manifesta, propter

pter diversitatem manifestam κατὰ τὴν ἰδίαν secundum formam seu speciem, quæ oculis obijcitur. u, g. κλεὶς vocabulum ὁμώνυμον est duas res planè diversas significans, nempè instrumentum ferreum, quo seræ clauduntur vel aperiuntur, & deindè os iuguli,, quod claviculam vulgo appellant. Hic ipso visu dijudicari potest vtriusq; speciei differentia, ita ut neminẽ, nisi stupidũ planè, homonymia ista decipere queat. Alia verò æquiuocatio est occulta, ut in ijs rebus, quæ magnam inter se habent similitudinem, vt non facilè possint à quovis discerni. Sic iniustus dicitur, & is qui legibus non paret, & is qui æqualitatem negligit. *Æquivocatio aperta.* *Æquivocatio obscura.*

9. ἐιλήφθω] Quod autem τὸ δίκαιον & ἄδικον duob⁹ modis dicatur & ὁμώνυμον sit, ita demonstratur: Quot modis dicitur ὁ δίκαιος & ἄδικος, totidem etiam τὸ ἄδικον & τὸ δίκαιον. At duobus modis dicitur ὁ δίκαιος & ἄδικος. Namq; ἄδικος dicitur, tum ille qui contra leges quaslibet peccat, παράνομος: tum qui plus sibi sumit, quàm par est, neq; conservat æqualitatem, πλεονέκτης καὶ ὁ ἄνισος. Ad eundem quoq; modum ὁ δίκαιος dicitur, tum is *Nota. Quomodo & cur sint homonimæ voces*

qui leges servat, ijsq; obtemperat, νόμιμος: tum qui æqualitatis studiosus est, neq; plus sibi tribuit, alijs minus, sed vnicuiq; quantum meretur. ὁ μὲν] E. duobus quoq; modis dicitur ὁ δίκαιον sive ius ipsum, quod vel νόμιμον est & legibus cavetur, vel ἴσον & æquum appellari potest: item τὸ ἄδικον sive iniuria, quod est vel παράνομον, id quod adversus legem committitur, (nam qui leges violat iniuria videtur afficere remp.) vel ἄνισον iniquum. Hinc colligitur, quod totidem quoq; modis dicatur δικαιοσύνη nimirum illa quæ servat leges, & universalis dicitur seu legitima, & illa quæ servat æqualitatem & particularis appellatur, quemadmodum duobus etiam modis dicitur ἀδικία, nempe παρανομία & ἀνισότης.

Declaratio iniustitiæ

10. ἔτι δὲ] παρανομία autem ex ipso nota est Etymo, quoniam contra leges manifestè peccat. Hinc D. Paulus ad Rom 1. omnem legis transgressionem vocat ἀδικίαν, iniustitiam, sicuti & D. Ioannes peccatum esse dicit ἀνομίαν. Ἀνισότης vero nihil aliud est, quàm evidentissima πλεονεξία in ijs bonis atq; malis, in quibus lucrum & damnum manifestè con-

conſpicitur. Quam, is enim & hæc quoq; quàm maximè ſit contra leges; magis tamen evidens inæqualitas, quàm obſcurus neglectus perpenditur. περὶ τὰ ἀγαθὰ] Vniverſalis igitur Iuſtitiæ & iniuſtitiæ obiectum ſeu materia circa quam verſatur, ſunt omnia virtutum moralium obiecta, nempè φοβερὰ καὶ θαρραλέα in periculis bellicis, voluptates corporeæ, divitiæ, honores, ἰσμιλία ſeu converſatio quotidiana, & quæ ad illam pertinent. Particularis verò Iuſtitia & iniuſtitia verſatur ſolùm circa diſtributionem & commutationem externorum bonorum, quæ fortuita ſunt & circumſtant hominem, & in quibus, ſi adſint εὐτυχία, ſi abſint ἀτυχία conſiſtere videtur. *Obiectum Iuſtitiæ*

11. ἃ ἐνδέχεται μὲν] Fortuita illa bona hic appellat Ariſtoteles ἁπλῶς ἀγαθὰ, nempè quatenus per ſe conſiderantur & expetuntur, non habita comparatione ad virtutes ſeu animi bona. Sunt enim & ipſa quoq; ſimpliciter conſiderata per ſe & ſua natura bona, quatenus nimirum à Deo Opt. Max. in uſum hominum ſunt creata & conceſſa. Quod ſi non eſſent bona, eſſeq; viderentur, vtiq; *Bona externa.*

tiq; etiam non expeterentur. τινὶ δὲ] Sed tamen hæc ipsa ἁπλῶς bona rursus pro vario vsu aliquibus non modò non bona, sed etiã mala esse possunt. Respectu igitur hominũ, qui ea expetũt, non semper neq; simpliciter, neq; omnibus sunt bona, sed prout eius animus est, qui eis vtitur, qui benè eis vtitur, ei bona, qui malè, ei sunt mala. Quod si etiam conferantur cum alijs bonis, quæ per se semper expetuntur, & propter quæ divitiæ, & reliqua bona fortuita expetenda sunt; sic animi virtutes ἁπλῶς ἀγαθὰ, divitiæ verò, honores, robur, pulchritudo & similia μὴ ἁπλῶς ἀγαθὰ censentur. οἱ δ' ἄνθρωποι] Hæc verò bona fortunæ homines stulti, quorum maxima semper pars est in mundo, votis omnibus expetuut, eaq; per fas & nefas acquirere studeant, itaq; ut plurimùm sunt πλεονέκται. δεῖ] Prudens autem optare quidem ea potest, ut nimirum hæc ἁπλῶς & simpliciter sine comparatione considerata bona, sibi quoq; bona sint & eveniant; sed tamen in eius potestate non est situm, ex simpliciter bonis efficere, ut sibi quoque bona fiant. Sæpè enim & optimo viro illa sunt pernicioſa. Sic multi propter

pter diuitias occiduntur, μὴ ἁπλῶς τα-
men, sed κατὰ συμβεβηκὸς. ἀφ' ἡμῖν] in a-
gendo autem in nostra potestate situm
est, ut eligamus & sumamus ea bona, q̃
nobis sunt bona, nempè cum honestate
iuncta, cuiusmodi sunt animi bona.

12. οὐκ ἄδικος] πλεονεξίαν igitur propriè
eorum esse bonorum diximus, quæ pro- *Iniustus*
pter hoc ipsum, quod naturæ amica *impropriè*
sunt, in sui desiderium rapiunt alios: *versatur*
Sed quia in alijs quoq; virtutibus id ac- *circa mala*
cidit, ut circa Vnum propriè uersen- *externa.*
tur, circa aliud verò impropriè, quem-
admodum Temperantia propriè circa
voluptates corporis, impropriè & per
accidens circa dolores ex defectu & ca-
rentia rei iucundæ obortos; Liberali-
tas propriè circa dandam, impropriè &
per accidens circa accipiendam pecu-
niam: Ita quoq; πλεονεξία impropriè ver-
satur circa mala externa, in quibus eli-
gendis iniustus per se non est πλεονέκτης
sed potius μειονέκτης: Non enim id quod
πλεῖον sed id quod ἔλαττον est, eligit, atq; i-
tà in damno minus sibi quam alijs tri-
buit. ἀλλ' ὅτι] Interim tamen, quin per
accidens sit πλεονέκτης, nihil prohibet.
ἐν τῷ] In eo enim quod bonum est ἄδικος

πλεο-

πλεονεκτεῖ ἀλλ'] At minus malum respectu maioris mali bonum esse videtur. διὰ τί] E.

Iniustitia particularis sub iniustitia universali comprehenditur tanquam species sub genere.

13. ἐστὶ δὲ] Ex ijs quæ diximus iam liquido constat, quod ἀνισότης seu πλεονεξία sub παρανομία comprehendatur sicuti species sub genere. Iniustitia enim universalis cum omnes vitiositates complectatur, iniustitiam quoq; particularem complectetur, tanquam vitiositatis speciem. Interim tamen non est necesse ut in quo est iniustitia universalis, in eo sint etiam omnia vitia, ut Avaritia & prodigalitas, Audacia & timiditas &c. Cum enim hæc & huius generis alia sint contraria, in uno eodemque subiecto simul esse non possunt. Inerunt autem in iniusto illa Vitia, quæ se invicem non destruunt, sed compati possunt. Qui vero iustus est vniversaliter, is omnibus præditus est virtutibus, quia virtutes sibi invicem non contrariantur, & propterea in eodem esse possunt. Bonum enim est communicativum sui, sicuti malum sui etiam ipsius destructivum. Atq; ideo non sequitur, si quis ita argumentetur, In quo iniustitia inest, in eo non possunt

esse

esse omnia vitia. E & in quo Iustitia est, is non potest simul habere omnes virtutes. Argumentum enim à contrarijs valet, quando contrariorum eadem est ratio.

14. Ἐπεὶ δ' ὁ παράνομος] Hactenus rudi quodam modo & generaliter Iustitiæ & definitionem ac divisionem explicuimus. Sequitur de utraque iustitia deinceps accuratius dicendum & primum de Legitima seu universali Iustitia. Esse autem eiusmodi Iustitiam duobus argumentis probat Aristoteles. 1. à coniugatis. Si omnis νόμιμον est δίκαιον, sicuti omnis παράνομον est ἄδικον certè omne quoq; νόμιμον, erit aliquo modo δίκαιον. Sed verum prius. δῆλον] E. Omnia νόμιμα erunt aliquo modo δίκαια. πῶς, aliquo modo dixi, nempè ex hominum pacto. Possunt enim quædam revera iniusta esse, quæ tamen secundum legem receptam iusta esse dicuntur, ibi scilicet, ubi lex illa viget, v. g. mactare parentes senio confectos eosq; devorare &c, τότε] 2. arg. à notatione καὶ ἔπαινον] Quæcunq; à νομοθέτῃ id est, scientia legum ferendarum definiuntur, iusta esse vulgo dicimus. τότε]

De iustitia universali quæstio An sit expedita.

At

At νόμιμα sunt ea, quæ à νομοθετικῇ definiuntur. E·

Definitio iustitiæ nondum certa primum investiganda est.

15. οἱ δὲ νόμοι] Quid autem sit hæc iustitia, quia nondum certum est & constitutum, inquirere nos oportet, ea quæ ad iuris legitimi constitutionem faciunt, sigillarim deducendo. Ius igitur legitimum, legibus definitum & comprehensum, quoad personas ipsas, publicum seu politicum esse videtur, sub quo tamen etiam Oeconomicum comprehenditur. Leges autem de omnibus rebus loquuntur, quæ ad publicam salutem & societatis civilis inter homines, constitutionem, propagationem & conservationem conducunt. At ius νόμιμον illud esse, quod legibus definitur, paulo antè dictum est ὅσα ἔνια] E Ius νόμιμον de omnibus rebus ad publicæ salutis & societatis humanæ constitutionem & conservationem conferentibus loquitur. Vna igitur species τοῦ δικαίου legum tabulis propositis, beatitudinem politicam tum universim, tum singillatim, quantum in se est, docere, propagare, & conservare satagit.

16. συλλογιζόμενοις] Maior præcedentis syllogismi, quod scilicet leges de omnibus

bus ijs loquantur, quæ conducunt ad Reip. salutem, ex formis Reip. cum materialiter tum formaliter consideratis, intelligenda est. Nam si consideres Reip. formas materialiter, desumtas ab eorum qui imperant, diuersitate, sic leges ad eorum, qui imperant utilitatem referunt omnia, siue imperent numero plures, vt in Politia & Democratia, omnes eiusdem Reip. ciues: aut in Aristocratia & Oligarchia optimi & selectissimi è multis: ἢ τοῖς κυρίοις] siue unus tantum imperet, vt in Regno & Tyrannide. ἢ κατ' ἀρετὴν] Si vero consideres formaliter, ex fine scilicet quem propositum habent, sic leges ad Rerump. formas sese accommodant, vt omnia referant vel ad vtilitatem publicam veram, virtute scilicet & honestate circumscriptam, qui quidem finis est bonarum Rerump: vel ad utilitatem non veram, sed imaginariam tantùm, vtputa opulentia, aut potentia aut libertate definitam. Et hi fines sunt ultimi malarum Rerump.

Vtilitas publica quot modis consideretur.

17. προσάττει] Ius quoq; legitimum, quo ad res, h. e. actiones in conversatione Politica requisitas, & à legibus directas

De quibus rebus præcipiant

de omnium virtutum & vitiorum actionibus, has vetando, illas iubendo pertractat. Leges n. propositis præmijs atq; pœnis præcipiunt actiones Fortitudinis; vt non deserere ordinem, neque fugere, neq; abijcere arma: & Temperantiæ; vt non facere adulterium, neq; alienæ pudicitiæ illudere, non inferre stuprum: & Mansuetudinis; vt neminé vel verbis vel factis per iracundiam lædere: itidemq; in cæteris virtutibus ac vitijs, illa quidem iubentes, vt diximꝰ, hæc vetantes. Sunt enim duplicia legũ præcepta καταφατικὰ, quæ iubent aliquid fieri, & ἀποφατικὰ, quæ prohibent contraria. ὀρθῶς μὲν] Est autem legum hæc quoq; differentia, quod aut rectæ rationi consentiant, atq; ita non huic tantum Reip. vtiles, sed simpliciter & absolutè sint bonæ, quia honestæ: aut non consentiant, atq; ita huic quidem Reip. sint vtiles, sed non absolutè bonæ. In qua Repu. aliud est virum bonum esse, aliud ciuem bonum.

Definito iustitiæ vniuersalis.

18. αὐτὴ μὲν] Ex ijs quæ diximus, iam talem colligimus Iustitiæ legitimæ definitionem, quod sit virtus perfecta ad alterum relata. Vel, si placet, sic etiam defini-

definitur, quod sit Obœdientia vniuersalis erga omnes leges, diuinas & humanas, naturales & ciuiles. Et hoc modo Philosophis Aristides perhibetur iustus. Christiani verò sciunt, hac iustitia absolutè neminem esse justum, sed imputativè tantum homines pios. Christus enim pro nobis impleuit legem. Cum enim triplex hominis sit ordo; erga Deum, erga proximum, erga seipsum; Iustitia quoq; vniuersalis erit perfecta obœdientia, qua iubemur Deum diligere ex omnib⁹ virib⁹, & ꝓximū vt nos ipsos, & vires ac facultates animi nostri ita comparatas habere, vt inferiores superiori h. e. rectæ rationi per omnia obtemperent. Qualis perfectio post lapsum in nemine hominū fuit, præterq; in Christo, qui quod nobis per peccatum prorsus fuit impossibile, abundè satisfecit, vt nos essem⁹ iustitia in ipso.

Quomodo Aristoteles hic intelligat iustitiã

19. Sed Aristoteles hìc Politicam duntaxat Iustitiam definit, qua politicus, vtputa ciuili societati natus ad leges, ad Magistratus, ad conciues, ad omnes deniq; reip. partes, veluti ciuis & homo politicus aptatur. In hac consideratione Iustitia ferè idem est cum disciplina externa, quæ est ordo vitæ,

cauens, ne quis contra legum humanarum pręcepta aliquid committat. Leges enim tantùm externam obœdientiam locomotiuæ, non adeò mentis aut voluntatis aut cordis εὐταξίαν requirunt, quippe cum neq; peruideri latebræ, & inordinati motꝰ animi, eoq; nec lege notari possint. Et hoc quidem verum est de legibus ciuilibus, non a. de legibus naturæ, quippe q̃ internam quoq; obedientiam requirunt. Atq; ideo Aristoteles hic Iustitiam intelligit esse obœdientiam legum, non tantum in externis, sed in internis quoq; motibus, vt appetitus cum ratione consentiat. Virtus enim requirit harmoniam omnium animi facultatum, vt supra sæpe est disputatum.

l. cogitationis De pœnis.

20. καὶ διὰ τοῦτο] Definitio autem Iustitiæ, qua dicitur esse perfecta virtus ad alterum relata, breuis illa quidem est, sed tamen optimè constituta. Nam propterea quod ad alterum refertur, inter omnes virtutes videtur esse tum κρατίστη longè optima & præstantissima, quia plurimis commodat. Bonum enim quo communius, eo diuinius: tum etiam καλλίστη gloriosissima existit & splendidissima,

Definitionis inuestigatæ confirmatio.

didissima, cum neq; Hesperus, neque Lucifer, lucidissima in cœlo sidera, tantam sui admirationem excitent, quantam ipsa Iustitia. Eò verò quod perfecta est Iustitia, in sese virtutes continet omnes, atque ob id à Pythagoræis mater & nutrix nominatur omnium virtutum, propter quam causam etiam apud Stobæum dicitur, συναγωγὴ τῶν ἀρετῶν, quasi congregatio & coaceruatio omnium virtutum.

21. καὶ τελέα] Quod autem Iustitia vniuersalis sit ἀρετὴ τελέα, hoc argumento probari potest. τελέα δ'] Virtutis perfectissimæ vsus est, vt non tantum possessor eâ perficiatur, sed vel maximè vt alij, quibus cum conuersamur, eius fructum sentiant, suum singuli obtinentes. At Iustitia virtutis vsum perfectissimum continet. E. Iustitia est virtus perfectissima. *Iustitia est ἀρετὴ τελέα*

22. Minor autem propositio præcedentis Syllogismi ita confirmatur. Virtus perfecta maximè dicitur propter vsum perfectissimum. At Iustitia virtus est perfecta, ἕξις τις] E. Iustitia propter vsum perfectissimum dicitur. Qui enim virtutis vsus difficilior, is & per- *Vsus ostendit perfectionem virtutis.*

sectior est. At virtutis vsus erga alium difficilior, quam erga seipsum. Multi enim suis quidem in rebus virtute queunt vti, in ijs autem, quæ ad alium pertinent, non queunt: quia nostra nobis cum chariora, tum etiam magis curæ sunt. Et propterea rectè à Biante dictũ videtur, quod Magistratus virum patefaciat. Quemadmodum enim vas aliquod integrum sit nec ne, non potest cognosci, nisi aqua infundatur: Ita qualis quisq; sit, sine Magistratu non ita facilè perspicitur. Vnde Sophocles in Antig: Nullius inquit pectus potest introspici, priusquam Magistratum gesserit.

Magistratus ostendit virum.

23. διὰ δὲ τὴν] Quod autem Iustitia sit quoq; πρὸς ἕτερον, id non ex eo tantum concluditur, quia cum alijs viuit, sed quia aliotum vtilitati consulit, & ipsa sola omnium virtutum ἀλλότριον ἀγαθὸν est & esse dicitur, quoniam ad alium pertinet. Ea enim agit, quæ alij vtilia sint, vt principi, aut populo. Hic enim omnia refert ad eius vtilitatem, ille verò ad huius commoda. Hinc ergò sequitur, quod pessimus ille sit, qui improbitate & in seipsum & in amicos vtitur.

Differentia Iustitiæ quod sit πρὸς ἕτερον.

tur. ἄριστος] Neque tamen ob id ἄριστος seu optimus iure quis vocetur, aut videatur, qui in seipsum bonus est, quia facile est & naturæ consentaneum, sibi ipsi optima velle. Sed optimum esse aliquem ex eo potissimum perspicitur, quod erga alium virtutem exerceat, eique prosit quibus possit modis. Hoc enim difficile est & operosum. Atqui in eo quod difficilius est, virtuti laus maior competit, & commendatio prolixior.

24. ἀνὴ μὲν οὖν] Vt igitur, quæ de Iustitia vniuersali hactenus dicta sunt, in pauca conferamus, eam sicuti & ipsam quoq; iniustitiam, si cum reliquis morum virtutibus conferantur, partim conuenire concludimus, partim etiam differre. Conueniunt enim vt totum cum partibus. Nam Iustitia legitima non species est virtutis, siue pars, sed virtus vniuersa, cum virtutis Ethicæ vsum doceat perfectissimum esse illum, nempè suum cuique tribuere, & ad eorum, quibus cum viuimus, commoda referre omnia. Sic Iniustitia cum legum præcepta de omnigenis virtutibus negligat,

Conclusio disputationis de legitima Iustitia.

nec aliorum, quibus cum vivit, commodo ſtudeat, neq; ſuum cuiq; tribuat, ſed adimat potius, & quacunq; ratione noceat, non pars eſt vitij ſed integrum vitium & vniuerſum. οὐ δ' ἡ ἐναντία] Differunt tamen etiam, licet non re neq; ſubiecto: Sunt enim re ijdem habitus, ſed non eadem vtriusq; ratio. ἀλλ'] Nam quatenus referuntur ad alios, quorum commoda tueri debent & promouere, ſic omnes virtutes ſub Iuſtitia vniuerſali comprehenduntur, ſicuti omnia vitia ſub iniuſtitia vniuerſali. ἦδ'] Quatenus verò referuntur ad habentem, cuius animum perficiunt, ſic virtus & vitia ſunt & dicuntur, non verò Iuſtitia & iniuſtitia. Virtus igitur Ethica abſolutè conſideratur: Iuſtitia verò relatiuè. Aliàs conueniunt.

CAP. II. *De Iuſtitia particulari deinceps agendũ eſſe.*

25. ζητεῦμεν] Sequitur, ut deinceps de particulari Iuſtitia tanquam colophone Ethicarum virtutum agamus. Cum enim omnium conſenſu talis quædam particularis Iuſtitia ſit, de ea quoque agendum erit, ne in virtutum Ethicarum explicatione defeciſſe videamur. De Iuſtitia autem vniuerſali eo tantum nomine egimus, vt hæc particularis Iuſtitia

ſtitia eò rectius intelligeretur. Aliàs enim huius inſtituti non eſt, ex profeſſo eam hic explicare pluribus, cum, vti diximus, re eadem ſit cum cæteris virtutibus, & ratione tantum differat, ac propterea tautologia committeretur, ſi de ijsdem ſub Iuſtitiæ nomine hic iterum ageretur.

26. σημεῖον] Quia verò contrariorum eadem eſt ratio, proinde ſi conſtiterit iniuſtitiam particularem ab vniuerſali diuerſam dari, exindè quoq; conſtabit, Iuſtitiam dari particularem. Eſſe autem Iniuſtitiam quandam particularem, tribus oſtendi poteſt argumentis, 1. arg. generale ab iniuſtis actionibus ſumptũ tale eſt: Si quædam vitioſæ actiones ſub injuſtitia vniuerſali, quatenus reliquas vitioſitates omnes cõplectitur, non comprehenduntur, & tamen iniuſtæ ſunt, quatenus ad alium referuntur; certè alia quædam Iniuſtitiæ vniuerſalis ſpecies dabitur, præter iſtas reliquas vitioſitates. φήσομεν] At verum prius. E. & poſterius. ἔστιν ἄρα] Dabitur igitur Iniuſtitia quædam particularis, quæ ſub vniuerſali continetur, vt pars in toto, ſpecies in genere. καὶ ἄδικον] Dabitur

Quæſtio an ſit, tribus argumentis expeditur.

1. Arg.

itidem iniustum quoddam particulare, quod ἄνισον, tanquam pars iniusti vniuersalis τοῦ παρανόμου, quo quicquid contra legem fit, continetur.

Quasdam iniustas actiones sub vniuersali iniustitia, quatenus hanc particularem non continet, non comprehendi.

27. Minor propositio præcedentis Syllogismi ex actionum vitiosarum partitione declaratur. καὶ τὰ μὲν γὰρ] Namque is, qui secundum actiones vitiosas delinquit, vel non videtur πλεονεκτεῖν, & improbus dicitur certo aliquo improbitatis genere, si per se consideretur: vt si quis Clypeum abiecit, ob timiditatem reprehenditur, si quis asperitate ductus est ad maledicendum, propter iræ vehementiam vituperatur, si quis pecuniâ non iuuat amicum, propter illiberalitatem accusatur: ἀδικεῖ μέντοι] Si verò consideretur respectu aliorum, quos ea improbitate quodammodo lædere videtur, iniustus videtur. ὅταν δὲ πλεονεκτῇ] vel videtur πλεονεκτεῖν, atq; ita vitiosas actiones lucrandi animo obire manifestè conspicitur. Has autem actiones secundum iniustitiam vniuersalem, qua reliquæ tantum vitiositates continentur, non esse iniustas hinc liquet: Omnis actio vniuersaliter iniusta ad certam aliquam reliquarum vitiositatum, de qui-

de quibus antea egimus, referri potest. πολλάκις] At non omnis actio πλεονεκτοῦσα ad certam aliquam vitiositatis speciem aperte referri potest, ἀλλὰ μὴν] sicuti neq; actio vitiosa ad πλεονεξίαν aperte reduci potest. E. non omnis actio πλεονεκτοῦσα vniuersaliter iniusta esse videtur. καὶ ἡ πονηρία] Malas tamen eiusmodi actiones esse, satis liquido constat. Quæcunque enim actio vituperatur, mala sit, vel esse videatur necesse est. At πλεονεξία omnis vituperatur. E.

28. εἰ γὰρ ὁ μὲν] 2. Arg. Si iniustitia vniuersalis eadem esset cum particulari iniustitia, tum omnes, qui iniustè agerent, eodem modo & propter eandé causã dicendi essent iniusti. Sed non omnes iniustę actiones ad iniustitiã particularẽ referuntur, neq; omnes, qui iniustè agunt, eodem modo & propter eandem causam dicuntur esse iniusti, v. g. Duo adulterium committunt, alter propter lucrum & mercedem, quam à vetula expectat, qui cum manifestè videatur πλεονεκτεῖν, propter illam apertam πλεονεξίαν, non tantum vniuersali, sed etiam particulari ratione iniustus dicitur, nimirum διὰ τὸ κερδαίνειν, propter inho-

2. Arg: ab exemplo parium.

inhoneſtum lucrum. Alter verò id facit etiam cum ſuo damno, cum pecunias eroget in ſeruos & ancillas, ut dominæ concubitu eo facilius potiri poſſit. Hic ergo vti ꝓpter libidinem intéperans eſt, ita ꝓpter iniuriam, qua maritum adulteræ afficit, ratione vniuerſali iniuſtus erit. At quia nulla eſt aperta πλεονεξία, cum vulgo nihil videatur lucrari, ſed ſua potius perdere, particulari ratione injuſtus non erit. E. Iniuſtitia particularis non eſt eadem cum vniverſali.

3. Arg. Actiones quædam iniuſtæ ad certum aliquod genus vitioſitatis referri nequeunt.

29. ἢ περὶ μέρ.] 3. Arg. Si πλεονεξία, quæ eſt particularis iniuſtitia, eadem eſſet cum παρανομίᾳ, quæ eſt vniuerſalis iniuſtitia, vtiq; & πλεονεξία referri poſſet ad vnum aut alterum reliquorum vitiorũ moralium, quæ hactenus explicata fuerunt. At πλεονεξία non poteſt ad illa vitia referri, ſed peculiare quoddam eſt vitium. Quamuis enim, qui iniuriam fecit adulterando, quia iniuſtitiæ ſuæ fomitem habuit libidinem, ad Intemperantiam, qui eum, qui ſibi proximus erat in acie deſeruit, ad timiditatem, qui percuſſit, quia iniuſtitiæ ſuæ fomitem habuit iram, ad Iracundiam referamus:

Tamen

Tamen, quando quis lucri causa iniuriã intulit, ad nullam aliam vitiositatem referri potest, quam ad ipsam iniustitiã. Per lucrum n. hic intelligimus τὸ πλέον, plus cæteris habere. Itaq; πλεονέκτης absolutè is dicitur, non qui voluptatem capit ex pecunijs vel honoribus, in quibus plus obtinet, sic enim ad auaritiam vel ambitionem quoq; referri deberet, sed qui voluptatem capit ἐκ τοῦ πλέονος absolutè, qualecunque tandem sit plus istud. πλεονεξία igitur materialiter considerata ad vitiositatem certam refertur; formaliter verò & absolutè considerata, non nisi ad iniustitiam particularem referri potest.

30. ὥστε φανερὸν] Quæstionem τί ἐστι expediuimus, esse nimirum particularem iniustitiam, quæ sub vniuersali tanquam species sub genere, vel tanquam pars sub toto comprehendatur. Quæstio verò τί ἐστι sequitur nunc declaranda. Conuenit autem hæc cum vniuersali iniustitia & συνώνυμος est, conuenit inquam tũ nomine, quia vtraq; iniustitia ex æquo appellatur, tum reipsa quoq; siue natura communi. Vtriusq; enim vis in eo posita est, vt ad alterum referatur. Neq; hæc

Transitus ad explicationem quæstionis τί ἐστι.

hæc pugnant cum ijs, quæ supra dicta sunt, quod nimirum Iustitia ὁμωνύμως dicatur. Nam si Iustitiæ species consideres, vniuersalem scilicet & particularem, quarum quælibet propriam habet naturam siue rationem, ὁμωνύμως de illis efferetur Iustitiæ nomen, quoniam reipsa differunt: sin vero communitatem eam, quoniam ad alterum referuntur, consideres, sic συωνύμως vtraq; Iustitia appellabitur.

Quomodo differat particularis ab vniuersali iniustitia.

31. Ἀλλ' ἡ μὲν] Liquet ergo, quod vtraq; hæc iniustitia, vniuersalis & particularis, non συωνύμως tantum sit, sed ὁμώνυμως etiam, cum nomine conueniant, natura vero differant. Namque iniustitia particularis ratione materiæ non versatur circa quælibet obiecta, sed circa ea tantum, in quibus manifestè licet πλέον ἢ μεῖον ἔχειν, plus aut minus obtinere, qualia sunt bona & mala externa corporis & fortunæ, vt vita, libertas, pecunia, honor, & huius generis alia: At ratione formæ non modo hoc habet, quod vel sibi vel alijs non tribuit, quod debebat, sed etiam hoc habet peculiare, quod πλεονεξίᾳ ista delectatur. ἡ δὲ] Vniuersalis autem iniustitia

iustitia ratione materiæ, circa omnia ea versatur obiecta, circa quæ virtutes & vitia Ethica versantur: ratione formæ alterum, quacunque ratione lædit contra legum præscriptum.

Exactior explicatio iustitiæ rudi subtexenda.

32. δὲ μὲν οὖν] Hactenus de Iustitia & iniustitia actum est generaliter & rudi Minerua, vt præter vniuersalem etiam particularem aliquam esse constaret. περὶ δὲ] Nunc porro de ijs, & præcipuè de particulari exactius agendum restat, vt quæ & qualis ea sit exactius intelligatur. De habitibus enim Ethicis natura differentibus separatim & sigillatim est agendum. At vniuersalis & particularis iustitia & iniustitia habitus sunt diuersi. ὅτι καὶ περὶ τῶν] E. Minor autem sic probatur: Quot sunt iuris & iniuriæ species, tot quoque species Iustitiæ & iniustitiæ. διώρισται] Atqui duæ sunt species iniuriæ, nempè τὸ ἄδικον παράνομον & ἄνισον, item iuris, nempè τὸ δίκαιον νόμιμον & ἴσον. καθὰ μὲν οὖν] E. duæ quoque species erunt iniustitiæ, nimirum vniuersalis παρανομία: & particularis ἀνισότης, quæ licet

particularis ἀνισότης, quæ licet à παρανομίᾳ sit diuersa, ita tamen se habet, vt nunc generis, nunc speciei rationem subeat. ἐπεὶ δ' ἡ] Nam si consideretur per se, veluti genus est τοῦ πλέονος & τοῦ ἐλάττονος. Omne enim πλέον est ἄνισον, sed non omne ἄνισον est πλέον. καὶ ἐπεὶ] Sed respectu τῆς παρανομίας veluti species est. ἡ μὲν γὰρ ἄνισον] Omne enim ἄνισον est παράνομον; quia lex prohibet etiam illam iniuriam, quæ in πλεονεξίᾳ consistit. Sed non omne παράνομον est ἄνισον, & apertam continet πλεονεξίαν. καὶ ἡ ἄδικον] Inde iam sequitur, quod sicuti se habet ἀνισότης, ita quoque se habeat ipsa iniustitia particularis, vt nimirum nunc generis, nunc speciei rationem subeat. Namq; per se considerata genus est πλεονεξίας & μειονεξίας, sed respectu παρανομίας, species siue pars est vniuersalis iniustitiæ: Eodemq; modo Iustitiæ duæ erunt species, vniuersalis nimirum & particularis.

De Iustitiâ & iniustitia vniuersali non esse hic ulterius agendũ.

ὥστε καὶ περὶ] 33. De Iustitia & iniustitia vniuersali & particulari, sicuti & de iure & iniuria vniuersali ac particulari agendum fuisse iam ex præcedenti argumento satis liquido constat. ἡ μὲν οὖν] Sed quia de vniuersali, quæ nihil aliud

tus &

tus & vitium vniuersum, quoniam virtutis & vitij vsum ergà alium continet, in explicatione singulorum habituum Ethicorum, à quibus non nisi solo respectu differt, egimus, non est, cur hic actum agamus. καὶ τὸ δίκαιον] Neq; de eius effectu, iure scilicet & iniuria vniuersali opus est hic pluribus agere, cum quomodo distinguenda sint, constet. Nam ius et iniuria vniuersim νόμιμα sunt atq; ita vt Iustitiæ & iniustitiæ vniuersalis, ita quoq; virtutum & vitiositatis effectus esse videntur, quandoquidem τὰ νόμιμα pleraq; ea sunt officia, quæ à virtute vniuersa præscribuntur: vnicuiq; enim virtuti conuenienter viuere iubet lex, vnumquodq; vero vitium sequi vetat. τὰ δὲ ποιητικὰ] Non autem effectus tantum sunt virtutum iura & leges, sed etiam causæ earundem existunt. Namq; leges præcepta continent vitæ secundum virtutem instituendæ, & veluti præcepta publica iubent, quæ facienda quæ fugienda sint. Ex quarum obseruatione & iustus ciuis & bonus vir appellatur. Sed de priuata cuiusq; disciplina, qua quis simpliciter & absolutè vir bonus est, vtrum ad politicam,

an ad aliam quandam facultatem pertineat, lib. 3. Polit. disputandum erit. Non enim fortassis idem est, bonum virum esse & bonum ciuem, quocunq; in loco, seu in omni Reip. genere. Sed in Rep, bene constituta idem est. In Rep. verò malè constituta potest quis bonus ciuis esse, qui tamen non est vir bonus, sicuti in Repub. quis bonus esse potest sutor, qui tamen quoad mores vir pessimus existit.

Enumerantur species particularis iustitiæ.

34. τῆς δὲ κατὰ μέρος] Iustitia igitur & iniustitia vniuersali nunc relicta, de particulari exactius agemus, cuius cum forma quędam rudis in superioribus declarata sit, exactior in singularum specierum declaratione eluceſcet. Iustitia enim illius, quæ virtutis pars est, & ci°, ꝙ ex ea ius dicitur, vnum quidé genus est, quod cernitur in distribuendo honore, aut pecunijs, alijsue rebus, quæ distribui possunt inter eos, qui eiusdem Reipub. communione coniuncti sunt. In ijs enim fieri potest, vt & alter altero plus minusue, & vt æquam vterque partem ferat. Erit igitur hæc Iustitia ἡ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διανεμητική, quæ ex dignitate personarum secundum pro-

por-

portionem Geometricam cuique id quod meretur, tribuit, quodq; non meretur non tribuit, in quocunq; genere conuersationis siue contractus, in quo licet plus & minus habere. ὁ δὲ] Alterum verò genus est, quo negotia, quæ inter se contrahunt homines, dirigantur. Erit igitur hæc iustitiæ species ἡ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτική. Nam sicuti prior illa æqualitatem cuique tribuit; Ita hæc posterior inæqualitatem in contractibus ortam tollit, atq; ad æqualitatem reducit, tum in ciuilibus tum in criminalibus contractibus. Itaq; hæc correctiua latinis, sicuti illa distributiua recte appellatur.

35. τούτου δὲ μέρη] Huius correctiuæ Iustitiæ rursus duæ sunt species ex συναλλαγμάτων differentia petitæ: Nam eorum quæ inter se homines contrahunt, quædam sponte fiunt, quædam inuite. Sponte fiunt, in quibus contrahentes omnes conueniunt, cuiusmodi sunt, emtio venditio, mutuum, fideiussio, commodatum, depositum, locatio, conductio. Dicuntur autem hi contractus voluntarij, quia illi qui contrahunt, scientes, volentesque & à

Duæ species correctiuæ iustitiæ

nemine coacti contrahunt, atque in literis obligatorijs ſeſe ſponte contraxiſſe teſtantur. In his ergo verſatur correctiua iuſtitia, fraudulentam venditionem reſcindendo, & in alijs quoque contractibus inæqualitatem ad medium ſeu æqualitatem redigendo. Τῶν δὲ ἀκουσίων] Eorum autem, quæ fiunt inuitè, in quibus perſonæ contrahentes omnes non conſentiunt, alia clandeſtina ſunt, quæ quidem δι' ἄγνοιαν ἀκούσια erunt, reſpectu patientis iniuſta, quia calliditate occulta inſtructus agens iniuriam patienti infert ignoranti & nihil tale timenti. Cuiuſmodi contractus ſunt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, falſum teſtimonium, cædes ex inſidijs, ſerui alieni circumuentio aut corruptio. Alia violenta ſunt, quia is, qui iniuſta patitur, cognoſcit quidem, verum cum neque viribus, neque ingenio hanc iniuriam poſſit amouere, ea inuitus perfert, non quidem ἀγνοῶν, ſed βιασθεὶς. Cuiuſmodi ſunt, verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia.

CAP. III. 36. Ἐπεὶ δ' ὁ, τε ἄδικος] Duas autem illas Iuſtitiæ ſpecies, diſtributiuam ſcilicet & cor-

& correctiuam, rectius cognouerimus, si prius, quid commune habeant, & in quo conueniant, explicemus, ac deinde naturam vtriusq; propriam declaremꝰ. Conueniunt autem in eo, quod vtraq; mediocritas sit. Vbi enim nimium est & parum, ibi semper medium aliquod dari potest inter ista duo extrema. At vbi est iniustum, ibi datur nimium & parum, quia iniustum est iniquum, quod suo ambitu continet nimium & parum. E. vbi est iniustum ibi dari potest medium, quod nos ἴσον appellamus & æquale, & nihil aliud est, quam iustū.

Communis natura vtriusq; Iustitiæ mediocritas scilicet prius est explicãda.

37. ἐν ὁποίᾳ γὰρ] Sed & ex natura contrarij habitus, quem ἄνισον esse constat, probari potest, quod Iustitia sit mediocritas. In quibuscunq; enim actionibꝰ inæqualitas locum habet, ἢ τὸ πλέον scilicet & ἔλαττον, in illarum contrariis locum habebit æqualitas. ἐν οἷς] At in actionibus iniustitiæ particularis locum habet inæqualitas, quoniam alter plus habet, alter minus. ἢ μικιον] E. in contrarijs, nempe in iustitiæ actionibus, æqualitas locum habebit, ὅπερ] id quod autoritate quoq; & testimonio omnium hominum comprobari potest, etiamsi ratio

Quod Iustitia sit mediocritas ex contrario probatur.

tio, cur ita sit, non adferatur. ἀπό] Iam verò ἴσον est μέσον. Atqui ἡ δίκαιον est ἴσον. ἡ δίκαιον] E. ἡ δίκαιον erit μέσον.

Mediocritatis iustæ natura explicatur ratione materiæ.

38. Vt autem qualis ea sit mediocritas, & quæ eius natura, melius cognoscatur, ratio habenda est & materiæ subiectæ, in qua consistit, & formæ. Materiæ inquam, nempe rerum & personarum. Si enim ius ad aliquid dicitur & aliquorum est ius, certe in eo cognoscendo quatuor terminorum ratio est habenda, duarum videlicet rerum ad minimũ, quatenus datur & accipitur aliquid: duarum item personarum ad minimum, quæ inter se contrahunt. ἀνάγκη] At ius & ad aliquid dicitur, & aliquorum ius est. ἡ μέσον enim & ἡ ἴσον ad aliquid dicuntur, & aliquorum sunt. Nam ἡ ἴσον relatum est, atq; ideo ad aliquid dicitur, respectu scilicet alterius rei æqualis. Æquale enim æquali æquale est. εἰ δὲ] ἡ ἴσον quoq; aliquorum est, duarum rerum ad minimũ, quę inter se dicuntur æquales vel inæquales. μέσον quoq; ad aliquid dicitur, respectu scilicet extremorum excessus & defectus. Et aliquorum est, nimirum rei excedentis & deficientis. Atqui

ius

ius μέσον esse & ἴσον ex superioribus patet. καὶ ἡ μὲν] E. Ius & dicitur ad aliquid (Nam quatenus μέσον, sic τοῦ πλέονος & ἐλάττονος medium dicitur, quatenus verò ἴσον, sic respectu duarum ad minimum rerum inter se æqualium æquale dicitur) & aliquorum ius est, ὡσὶν ἡ δικαιον, vt scilicet concretè res simul & personæ considerantur.

In iure cognoscendo quatuor terminorũ ratio est habenda.

39. Ανάγκη ἄρα] Ex ijs iam sequitur, ꝙ in iure cognoscendo ad minimum quatuor terminorum ratio sit habenda, nempe duarum personarum, οἷς, quibus ius est, quæ inter se contrahunt: & duarum rerum, ἐν οἷς τὰ πράγματα, in quibus contractus subsistit, agendo & patiendo, dando & accipiendo. In contractibus enim mutua est actio & passio, mutua datio & acceptio. Sic venditor dat librum, vt accipiat pecuniam, & viceuersa, emtor pecuniam dat, vt librum accipiat. Sic latro dat latrocinium & accipit Rotam. Respublica accipit latrocinium & dat Rotam. Hic verò vterq; sponte quidem dat sed accipit inuitè.

40. καὶ ἡ αὐτὴ] Formæ a. ratio habetur, quatenus relatio quædam & propor-

Mediocritatis iustæ natura explicatur ratione formæ,

tio est, inter quatuor istos quos diximus terminus. Est autem ista mediocritatis iustæ forma vna, licet in quatuor terminis ad minimum consistat. Quamcunq; enim æqualitatem siue rerum siue personarum, priore loco consideres tanquam notiorem, eam continuò altera sequitur æqualitas, quæ minus est nota. Atq; ita eadem est & æqualitas in omnibus & mediocritas. ὡς γὰρ] Etenim positam æqualitatem rerum, simul etiam personarum æqualitas comitatur. Vt enim se habent τὰ ἐν οἷς, sic quoq; se habent τὰ οἷς, id est, quemadmodum se res habet ad rem, ita quoq; persona se habet ad personam, v. g. Sicut pecunia se habet ad calceum, ita quoq; Philosophus in isto contractu se habet ad sutorem, pecuniam dans & calceum accipiens. Vtrobiq; enim est æqualitas, sed rerum æqualitatem sequitur personarum æqualitas. εἰ γὰρ] Æquales enim æqualia obtineant, v. g. Duo Consules æquales sunt, æqualis igitur illis debetur honor. Inæquales verò inæqualia obtineant, v. g. Consul & Senator. Maior enim reuerentia consuli debetur, quam senatori. ἀλλ'

Æqualitatem rerum comitatur personarũ æqualitas.

ἐντεῦ-

εντεῦθεν] Quando verò rerum proportionem proportio personarum non sequitur, tunc querelæ de iniuria oriuntur, imò prælia; pugnæ, & expostulationes, nimirum quando qui æquales sunt non æqualia consequuntur. Hinc bellum civile inter Cæsarem & Pompeium, quod Cæsaris in consulatu non habita esset ratio. Hinc fratres de hereditate controversantur, si uni pater liberalior fuerit, quam alteri, cum sint æquales, quatenꝰ fratres sunt. ἢ μὴ ἴσοι] Sic quoq; expostulationes oriuntur, quando inæquales æqualia obtinét. Sic Mercenarij illi in Evangelio, qui totius diei laborem & æstum pertulerant, ægre ferunt ijs parem tribui mercedem, qui sub vesperam primum erant conducti.

41. Ἔτι ἐκ τοῦ κατ' ἀξίαν] Sed & ex diverso æqualitatem personarum simul etiam rerum comitatur æqualitas, quæ sumitur, ἐκ τῆς ἀξίας, ex eo quod quisq; meretur. Personarum enim ἀξία, propter quam hæc vel illa tribui sibi cives eiusdem reipublicæ postulant, in democratijs sumitur à libertate omnibus communi. Ibi enim omnes cives ἄξιοι iudicantur, qui omnium bonorum in-

Æqualitatem personarum sequitur rerum æqualitas.

ter eos communium participes fiant, non habita ratione literatorum & illiteratorum, agricolarum & Medicorum, &c. In Oligarchijs verò æstimatur illa ἀξία ab opulentia & nobilitate. Ergo qui opulenti sunt & nobiles, ij tantum participes fiunt bonorum communium, reliqui non item. Sed in Aristocratijs à virtute sumitur ἀξία. Proinde viri boni & honesti tantum, non autem alij ad Magistratum & alias dignitates euehuntur, & communium illorum bonorum fiunt participes. Ex quibus patet, quod personarum æqualitas simul & æqualitatem rerum, quæ merentibus tribuuntur, inuehat. ἡ γὰρ] Atqui Iustitiæ distributiuæ æqualitas in quouis Reip. genere à personarum ἀξίᾳ sumitur. E. in Iustitia distributiua etiam rerum æqualitas erit, quæ personarum æqualitatem comitetur.

ὃ Μεσότης esse ἀνάλογον probatur obliquè.

42. ἐπὶ δὲ] Sed & formaliter considerata forma mediocritatis iustæ in analogia consistit. Neq; enim obstat, ꝙ analogia seu proportio tantum in numeris sit non autem in iustis actionibus. Namq; analogum non tantum est numeri monadici, sed omninò numeri,

hoc

hoc est, Analogia non tantum est in numero abstracto, qui nihil aliud est, quã vnitatum aggregatio, & ab Arithmeticis consideratur; sed etiam in concreto, qui cum ipsis rebus, quæ numerantur, perpenditur, & ἀριθμὸς ἐν προσθέσεως vocari potest, quia adijciuntur simul etiã res ipsæ, quæ numerantur, vt cum dicimus, vnus mundus, duo luminaria cæli, tria principia corporum naturaliũ, quatuor Euangelistæ, quinq; libri Moysis, centum boues, mille homines &c. Facile tamen largimur, quod in numero arithmetico, qui seorsim à rebus numeratis consideratur, & μονάδικὸς dicitur, primo & per se reperiatur ἀναλογία; in re numerata non per se, sed tantum beneficio numeri abstracti, rationis nempe iudicio. Nam si sensum spectes, prius in re, quam in numero videbitur consistere analogia

Directè probatur quod ius sit ἀναλογία

43. ἡ γὰρ ἀναλογία] Quod autem τὸ δίκαιον sit ἀνάλογον, id quoque hac ratione liquet. Omnis analogia est æqualitas rationum, & in quatuor ad minimum terminis consistit. Namque disiunctam proportionem in quatuor consistere non est obscurum. Vt sicuti se habent duo ad quatuor, ita se ha-

habent 3. ad 6. Sed & in continuata seu continente quatuor sunt termini. Quã vis enim tres tantùm actu sint; potentia tamen quatuor existunt, cum medius bis sumatur. Vt sicuti se habent 2. ad 4. ita se habent 4. ad 8. Medius igitur terminus qui 4. est bis sumitur. Ergò & hic quatuor erunt, quæ inter se conferuntur. ἴσα δὲ] Ius autem est æqualitas inter quatuor terminos ad minimum, inter duas res & duas personas. E. ius omne erit analogum, & iustitia erit analogia.

Termini ἴσα & ἄ.

44. Διήρηται] Termini autem illi, in quibus ius consistere diximus, sunt ad minimum duæ personæ, quæ inter se contrahunt sponte vel invitè, quas Aristot. voce ἕτερα intelligit; & deindè duæ res, quæ designantur per ἄ, quæ scilicet vicissim dantur & accipiuntur. v.g. Duæ sunt personæ, quæ inter se contrahunt sponte, patronus nempè & mercenarius rebus duabus intervenientibus Mercede & opera diurna. Sic in distributiva Iustitia sunt duæ personæ, inter quas aliquid est distribuendum, veluti Aiax & Vlysses: sunt itidem duæ res, duo præmia quæ Aiaci & Vlyssi sunt distribuenda,

da, propter res præclarè & fortiter in bello gestas. In hac distributione ut fiat iustè, consideranda est dignitas utriusque personæ, & cuiq; tantum est dandũ quantum pomeruit.

45. Εσαι ἄρα] Iusta a. distributio cognoscenda est & iudicãda ex 9paratione terminorũ, i.e. pſonarũ & rerũ, q̃ comparatio duob⁹ modis instituí debet, primũ seorsim in singulis terminis, ut sc: singuli termini inter se conferantur: deindè coniunctim in tota ꝓportione, cũ duo termini coniuncti comparantur cum duob⁹ terminis coniunctis. Sed & collatio illa terminorum, quæ sigillatim & veluti per partes fieri potest ac debet, duplex est. Altera recta, comparando quamlibet personam cum re sua, quam confert, v. g. Quæ proportio est α, ad β. id est, quantum operæ & laboris Mercenarius confert; eadem erit proportio ipsius γ. ad δ, id est, tantum mercedis conferre debet patronus. κατ' ἀναλόγ.] Altera vero collatio terminorum, quæ fit sigillatim, est commutata, conferendo personam quamlibet cum re alterius, quam per commutationem accipit, ut quæ est proportio α ad γ. id est, quantam partem

Quomodo & undè cognoscenda sit iusta distributio.

partem laboris accipit patronus, eadem est proportio c ad f. id est, tantam quoque partem mercedis accipere debet mercenarius. Ita enim primus terminus comparatur cum tertio, & secundus cum quarto.

Coniuncta proportio totius ad totum.

46. ὥσε καὶ] Coniunctim vero cum totis fit collatio, quando totum cum toto comparatur. Duo enim tota ex mutua acceptione & datione oriuntur. Et hæc compositio totorum, si partium compositionem imitetur, & ex illarum proportione deducatur, iusta erit & æqualis, si non imitetur, erit iniusta & inæqualis. Nam si in hac altera comparatione totorum eadem est ratio & proportio totius ad totum, quæ fuit in prima comparatione partis ad partem, tunc iuste & recte facta est. Sic quando cum utraq; re, cum ea scilicet, quam in medium confert, & cum ea quam ab altero accipit, persona confertur vna, tunc vnum efficitur totum. vti se habet Mercenarius ad laborem, quem Patrono præstat, ita etiam se habebit ad mercedem, quam à patrono accipit. Qui non laborat non manducet. Qui parum laborat, parum etiam mer-

mercedis, qui verò multum laborat, multum mercedis accipiat, iustum est. Quando verò cum re vtraq; confertur persona altera, alterum totum efficitur. Vti se habet patronus ad mercedem, quam mercenario dat, ita etiam se habere debet ad laborem, quem à mercenario accipit.

47. ἡ ἄρα τοῦ α] Cæterum, quia supra duas esse species iustitiæ particularis diximus, nempe διανεμητικὴν & διορθωτικὴν, & hactenus naturam vtriusq; communē explicuimus, necesse iam est, vt propriā quoq; cuiusq; speciei & præcipuè formalem seu analogicam subnectamꝰ. Extremi igitur α, cum extremo γ, & extremi β, cum extremo δ, coniugatio, ius illud est, quod in distributione consistit. Sint enim quatuor termini

Iustitiæ distributiuæ natura propria explicatur.

α β γ δ

Mercenarius Labor Merces Patronus. Ergo si α ad γ æquale sit, æquale etiam erit β ad δ. Quia proportio est æqualis, licet res inter se inæquales sint. κοὶ μέσον] Hoc autem ius, quatenus æqualitatem sequitur, & inæqualitatē fugit, mediocritas est, & medium obtinet iniuriæ. ἡ γὰρ]

ἡ γὰρ] Nam ἡ ἀνάλογον est mediũ inter ea, q̃ sunt παρὰ τὸ ἀνάλογον. τὸ δὲ δίκαιον] Atqui ius esse ἀνάλογον ex superioribus patet. E. ius erit medium inter ea quæ sunt ἀνίσα inter τὸ πλέον scilicet & ἔλαττον.

Geometrica analogia

47. καλοῦσι] Appellant autem mathematici talem proportionem Geometricam. Namq; in analogia Geometrica, q̃ proportionem habet ἑκάτερον πρὸς ἑκάτερον, eandem quoque ὅλον πρὸς τὸ ὅλον habebit. v. g. Sint termini quatuor 2. 4. 8. 16. ut se habent 2. ad 4 ita etiam se habent 8. ad 16. utrobique scilicet proportione duplâ. Et hæc est collatio ἑκάτερα πρὸς ἑκάτερον. Totum verò cum toto confertur, si terminus primus cum tertio, & secundus cum quarto conferatur. Quam igitur rationem habent 2. ad 8. eandem habét 4. ad 16. Vtrobique est proportio quadrupla E. si collatio partium est æqualis, vtique & collatio totorum erit æqualis. Non tamen necesse est, ut proportiones partium & totorum inter se sint æquales. Atqui in iustitia distributiva, si partialis collatio terminorum sit æqualis, & totorum quoque collationem æqualem esse, paulo ante ostendimus. E. in iustitia distributiva

locum

locum habet proportio Geometrica secundum meritum cuiq; tribuens.

49. Esi d'] Interim tamen non conuenit iuri distributiuo analogia continua. Namq; in numerorum collationibus, vbi terminus communis est, qui bis sumitur, analogia oritur continua. οὐ γὰρ] Atqui in iure distributiuo nullus terminus communis est, qui bis sumatur, sed omnes termini sunt diuersi. Nam personæ, inter quas est aliquid distribuendum, sunt diuersæ, sicuti & res, quæ inter illas distribuuntur, sunt diuersæ. Cuiq; enim certi aliquid distribuendũ est. Esi d'] E. in iure distributiuo non est analogia coniuncta. ἡ μὲν οὖν] Sed disiuncta iuri conuenit distributiuo, quia quatuor ad minimum termini actu expressi & distincti proponuntur, res nimirum duæ & totidem personæ.

Ἀναλογίαι coniuncta non habet locum in iustitia distributiua.

50. ἡ δ' ἄδικον] Vt autem ius est ἀνάλογον, ita ἡ ἄδικον est παρὰ τὴν ἀναλογον. γίνε]αι] Quandocunq; enim analogia Geometrica inter personas & res negligitur, tunc alij quidem præter dignitatem & meritum plus obtinent, alij minus. Quicquid enim à proportione remotũ est, id inæquale est, vel secundum plus

ἡ ἄδικον est παρὰ τὴν ἀναλογον.

vel secundum minus. At iniustum est à proportione remotum, cum præter dignitatem personarum contrahentium actio & passio mutua fiat. v. g. in contractu emtionis & venditionis pluris addicit merces suas venditor, quam debeat, & plus pecuniæ emtor exponit quam debeat. Ergo cum merces & pecunia proportione sibi non respondeant, ne personæ quidem contrahentes æquales erunt, sed venditor lucrum, emptor damnum fecisse dicetur.

Æquale, plus & minus etiam in factis locum habent.

51. ὅπερ καὶ] Sed non in rebus tantum τὸ ἄδικον est παρὰ τὸ ἀνάλογον, verum etiam in actionibus & factis. Nam qui iniuriam fecit, is dicitur habere plus boni & minus mali, quam is, qui iniuriam passus est. Hic enim habet plus mali & minus boni. Contra verò in duobus malis, quæ sunt inæqualia, is qui minus malum habet, dicitur habere plus boni, quam alter, qui maius malum habet: τὸ δ' ὅλον αἱρετὸν] Omne enim, quod optabile est, bonum est, & quo optabilius, eo melius ὅσῳ γὰρ] At minus malum respectu maioris optabilius est. ἐν ἀγαθοῖς] E. Minus malum respectu maioris bonum esse videtur.

52. τὸ

52, ὁ μὲν οὖν] Explicuimus propriam Iustitiæ distributivæ naturam, sequitur ut paucis adhuc de διορθωτικῇ seu correctiua, quæ in contractibus quibusvis tàm spontaneis quam non spontaneis inæqualitatem vel per ignorantiam, vel per dolum vel per vim obortam corrigit. Quod quidem ius & ordine & dignitate posterius est iure distributivo, quia si hoc rectè administretur, correctiva non erit opus iustitia. Sed per accidens tamen ius correctiuum illustrius est propter coniunctam potentiam & evidentiam, atq; gratius, propter præcedentis inæqualitatis odium. Vt enim in arte Medica non reipsa, sed opinione hominum maius est & laudabilius hominem ægrum reficere, quam sanum cõservare, quod hoc non ita in sensus vulgi incurrat, quàm illud: Sic quoq; correctiva iustitia iniuriam veluti morbũ reductione æqualitatis curans, plus gloriæ & gratiæ invenire videbitur.

Ius correctiuum per se dignitate posterius est iure distributiuo, per accidẽs verò illustrius.

53. Τοῦτο δὲ διπλοῦν] Hanc a. iustitiæ speciem diversam esse à διανεμητικῇ ex eò patet, quod ius διανεμητικὸν, uti ex superioribus constitit, proportione Geometrica nitatur. Nã si pecuniæ communis

Differt Iustitia correctiva à distributiva.

distributio fiat, eadem ratione vtendum erit, quam habent inter se res eæ, quæ ab vnoquoq; in medium allatæ sunt. h. e. personarum ratio erit habenda, quantum quisq; mereatur, & pro dignitate cuique tribuendum. Et hanc dignitatem intelligere vult Arist. quando ait, τὰ ἀντιπεπονθότα, id est, res in medium allatæ, propter quas præmijs digni videantur. Διορθωτικὸν vero ius analogia vtitur Arithmetica. Nec obstat, quod virtus in mediocritate rationis seu Geometrica consistat, vt ex definitione eius patet. Est enim etiam hęc iustitia medium rationis, secundum essentiam suam, quia à ratione determinatur, vt non excedat neq; deficiat. Sed medium quoq; rei est, quatenus eius effectrix est, hoc est, inæqualitatem rerum ad æqualitatem reducit Nam in correctione iusta, præcipua ratio habetur rei, non adeo dignitatis personarum, quæ inter se contraxerunt iniuste in cæde aut stupro aut sacrilegio, quod scilicet alius probus sit, alius improbus, alius diues, alius pauper. Nam quisquis sit, qui iniuriam fecit, iniustus est & corrigi debet. Et quod de Iustitia

dicitur

dicitur oculos deuolutos habere, in hac specie potissimum locum habet.

54. ὥστε τὸ ἄδικον] Itaq; hanc iniuriam, quam in contractibus & quotidiana communicatione alter facit, alter patitur, Iudex adæquare conatur, quia iudicat, cui à quo quanta sit facta iniuria, & loco Iniuriæ ius restituere satagit, auctoritate, quam habet, vel ordinaria, vel delegata & arbitratria. καὶ γὰρ] Iniuria quidem illa numero una est, sed utriusque contrahentium respectu inæqualis, cum alter plus, alter minus obtineat. — In homicidio vitam eripit alter, alteri eripitur. ἀλλὰ πραξάντων] Materia verò ex qua, siue per quam adæquat, est damnum & lucrum, quod reciprocè personis, inter quas iniuria exorta est, accommodatur, & qui iniustè lucrum obtinuit, damnum iustè adhibetur: ei è contra, qui damnum passus est, lucrum tribuitur.

Exactius declaratur iuris correctiui natura.

55. λέγεται γὰρ] Quamuis autem res diuersæ sint, illa nimirum quæ adæquatur, vtputa iniuria; & illa per quam adæquatur, nempè æqualitatis reductio: Nomen tamen habent commune κέρδους & ζημίας lucri & damni. Illic quidem

Lucrum & damnum nomina sunt communia & iniuriæ & cor-

correctionis, sed modo contrario.

dem lucrum & damnum iniustũ, hic vero damnum & lucrum iustum. In universum enim is, qui iniuriam infert, πλεονέκτης videtur, & iniuria πλέονος appellari poterit: Cui verò infertur iniuria is ζημιοῦται dici potest, & iniuria, quam passus est ζημία erit damnum & multa. ἀλλ' ὅταν] Sed quando iniuria adæquatur per correctionem, h. e. quando iudex iniuriam expendit, & veluti metitur mensura æqualitatis facilè deprehendit lucrum & damnum iniustum, & illud contrario lucro & damno iusto adquat. v. g. Sunt duo, alter pecutiens, qui iniuriam fecit, alter verò percussus, cui iniuria est facta. Ille ea in parte plus habet, & quasi potior est eo, quam qui est percussus, Hic vero passus est iniuriam à percutiente, & ea in re habet minus & inferior est percutiente. Sunt ergò inter se inæquales. Itaque confugiunt ad iudicem. Hic qui iniuriam fecit & percussit & propterea lucrum habuit, mulctari debet, & actio iudicis erga illum ζημία erit. At qui iniuriam passus est, debet lucrari & recipere id, quod amiserat, ita ut non videatur amplius esse deterior & deteriore loco percutiente,

cutiente, sed per illam reductionem red datur ei æqualis. Proinde actio iudicis erga illum κέρδος erit.

56. ὥστε ἡ μὲν] Iuris correctivi materiã in qua versatur, iniuriam, ex qua, sive per quam adæquat, lucrum & damnum esse diximus. Quantum verò ad Formam eius spectat, eam Atistoteles aliã fecit commune cum iure distributiuo, aliãverò propriam. Iuris igitur correctivi forma communis cum distributivo est, ꝙ æquale sit, & per consequens medium. Omne enim æquale ponitur inter duo extrema, quæ sunt inæqualia, quorum respectu etiam dicitur esse medium. ὅπερ ἦν] ἡ ἴσον igitur est medium lucri & damni, quia est inter plus & minus quæ lucri & damni rationem habent. διαίγομεν] Atqui ius est ἴσον. ὥστε ἡ μὲν.] E. Ius non tantum distributivum, sed etiam correctiuum medium est lucri & damni.

Forma iuris correctiui cũ distributivo communis.

57. διὸ καὶ ὁ] Hinc iudicem quoque medium esse dicunt, & si iudex medius, quatenus Iudex, quid obstat, quo minus ius sit medium, quod iudex sequitur & introducit. Quod autem Iudex sit medius, id testimonio

vulgi probari poteſt. Vulgò enim iudicem in rebus dubijs & controuerſis adeunt, tanquam medium ſiue mediatorem, per quem poſſint ſuum ius quod ipſis debetur conſequi, id eſt, æquales fieri ei, à quo iniuriam acceperunt. Iudex enim ſuſtinet perſonam iuris, & propterea dicitur eſſe δίκαιον ἔμψυχον, ſeu ius animatum. Vnde etiam dici ſolet, ad iudicem ire nihil aliud eſſe quam ad ipſum ius ire. Hinc etiam Iudices à quibusdam vocantur μεσίδιοι, medium diuidentes, vel μεσῖται mediatores, qui mediam viam inter litigatores quærunt & ingrediuntur. Vnde à Grecis διὰ μέσον διόντες, dicuntur illi qui debét dirimere controuerſias. Inde vocabulũ quoque germanicum videtur deductũ, Biederman/ q. beidermann, qui vtrique parti litigantium æquè fauet, & neque exceſſum neq; defectum ſequitur, ſed medium tuetur, & æqualiter ab vtroq; extremo abeſt.

Conatus iudicis.

58. ὁ δὲ δικαστὴς] Conatus autem iudicis hic eſt, vt nimirum exæquet, & ad mediocritatem reducat, ac veluti linea in duas partes inæquales diſſecta, quo maior pars dimidiam ſuperat, hoc de illa detrahat, atq; ad partem minorem ad-

addat. v. g. sit hereditas aliqua duobus fratribus à parentibus relicta nempè Sempronio & Titio, quæ hæreditas est in universum 1500 fl. in hac divisione Sempronius forte consequitur nongentos fl. Titio verò obtingunt tantum sexcenti. Divisio hæc inæqualis est, & propterea iniusta. Sempronius enim trecentos florenos plus habet, quàm Titius. Itaq; hi trecenti floreni in duas æquales partes sunt dividendi: & una pars nempe 150. adiudicandi sunt Titio, & tunc ambo frattes habebunt æquales partes ex illa hereditate, singuli scilicet 750. flor. Et hoc est, quod dicit Aristoteles, toto in duas partes æquales diuiso, tum singulos suum obtinere, cum partes æquales abstulerint: toto nimirum vel eo, quod alter plus obtinet, vel tota summa confusa ante distributionem.

Propria forma iuris correctiui.

59 ἢ δ' ἴσον] Ad propriam verò iuris correctiui formam quod attinet, id medium esse eius quod plus est, quodque minus secundum analogiam Arithmeticam, etiam supra est ostensum. Quod autem medium sit, id confirmatur ex etymo tum iuris tum iudicis. δίκαιον enim dicitur quasi δίχαιον, οὗ δίχα ἐστὶν,

quoniam inter duo inæqualia, inter plus scilicet atque minus, quibus iniuria continetur medium est. δικαστὴς verò dicitur quasi διχαστὴς, qui per medium ipsam litem & controversiam secat à verbo διχάζω id est, in duas æquales partes seco. Iudex enim in iustitia commutativa corrigenda totam summam rerum permutandarum in duas æquales partes secat, & facta comparatione eorum, quæ utraque pars accepit, facilè inde perspicit, quantum unicuique parti debeatur, atque iniuriam, quæ contigit secundum plus & minus, inæqualem, ad æqualitatem revocat, ab ea parte, quæ plus accepit, auferendo aliquam partem excessus & adiudicando ei parti quæ minus accepit, donec fiant inter se æquales: ita ut in permutatione una pars det tantum, quantum accepit, & altera tantum accipiat, quantum dedit.

Æqualitas in iustitia commutativa quo pacto secundum proportionem Arith. investiganda

60. Ἐπὰν γὰρ] Æqualitatis enim reductio per inæqualitatis præcedentis remotionem fieri debet. Et quidem respectu iniuriæ quæ admissa est, inæqualitas perpendenda quæ orta est inter contrahentes, tum respectu extremorum, tum respectu medij. Nam cum

æquales

æquales essent ante contractum, per hunc contractum inæquales sunt redditi, quia alter plus, alter minus habet. Quando enim duabus rebus æqualibus existentibus unum quid detrahitur, si alteri addatur, id cui additum, plus habebit, adeoque duabus partibus illud cui ablatum est superabit. ἐπεὶ γὰρ] Si enim detractum quidem uni rei fuisset, non autem etiam alteri additum uno duntaxat altera alteram superaret τοῦ μείζονος] Sed quando inter contrahentes oritur inæqualitas respectu Medij, à quo secundum plus & minus exorbitant, tum respectu eius qui plus habet, medium superatur uno: καὶ ὑπὸ μέσου] & respectu eius, qui minus habet, medium superat uno.

61. Ἴσῳ ἄρα] Respectu verò iuris ad quod reduci debet, æqualitatis correctio ex eiusdem corruptione præcedente facile cognosci potest, quantum sit auferendum & addendum secundum proportionem Arithmeticam. Namq; id quo medium superat eum, qui iniuriam passus est, adderé oportet ei qui minus habet. Illud verò quo mediũ superatur ab eo, qui iniuriá fecit, auferre

oportet

oportet ab eo qui plus habet. v, g, stuprator pudorem eripuit virgini, atque ita communem libertatem violavit, quia contra leges eripuit illi id, quod ex communi libertate retinere debuerat. E. tantundem stupratori auferendum, nimirum ut, quem eripuit pudorem, restituat per matrimonium.

Illustrantur superiora exemplo mathematico.

62. ἴσως δέ] Sed quo pacto in Iustitia correctiva æqualitas secundum proportionem Arithmeticam sit investiganda & æstimanda Aristoteles declarat Exemplo Mathematico per lineare schema. Sint tres lineæ, αα, ββ, γγ. quarum quælibet habet sex pedes.



Iam si à prima linea αα, auferantur duæ pedes, nempe αε, & adijciantur tertiæ lineæ γγ, vt fiat γζγδ, tum omnes tres lineæ efficientur inæquales. Nam linea αα, habebit tantum quatuor pedes: linea autem ββ, habebit sex, & linea tertia habebit octo pedes. Itaq; media linea ββ, superabit primam lineam duo-

bus

bus pedibus, à tertia autem ſuperabitur duobus pedibus. Sunt ergo omnes tres inæquales. Redigi autem poterunt ad æqualitatem per applicationẽ mediæ lineæ ββ, quæ adhuc talis eſt, qualis ab initio fuit, atq; ideo eſt veluti norma, per quam primæ lineæ defectus, & tertiæ exceſſus poſſit cognoſci & corrigi: nempe ſi ea pars, qua tertia linea ipſam mediam excedit, auferatur tertiæ lineæ, & adijciatur primæ lineæ, tum rurſus erunt æquales, quemadmodum initio fuerant Nam duo pedes ablati à tertia linea, quæ eſt octo pedum, relinquuntur ſex pedes tertiæ lineæ. Hi duo pedes aute addantur primæ lineæ, quæ eſt tantum quatuor pedum, & ſic omnes tres efficientur æquales.

63. Εσι δὲ καὶ ἐπὶ] Id autem, quod diximus, ineſt etiam in alijs artibus, quandoquidem res, quas inter ſe commutant, ſuapte natura inæquales, eâdem quantitate ſibi mutuo reſpondere debent. Sic v. g. Sutor cum Medico contrahit, accipit operam, dat calceos: hic proportione Arithmetica, quantum dedit, tantundem accipere debet. Tollerentur n. & conciderent omnes artes, niſi

Illuſtrantur etiam ſimilitudine.

nisi quantum & quale id, quod efficiendi vim habet, efficit, tantundem & tale perpeteretur id, quod patitur, h. e. nisi tantum operæ vel pecuniæ à Medico acciperet Sutor, quantum ipse dedit calceorum, si Mercenarius non tantum mercedis seu salarij acciperet, quantum ipse dedit laboris. Ita inquam omnes artes concidere necesse foret, earum sci licet fructu sublato: cum artibus Mechanicis artifices incumbant non per se quia illarum exercitio delectentur, sed propter vtilitatem, quam ex ijs percipiunt.

Voces lucri & damni propriè voluntarijs per Metaphoram vero etiam in voluntarijs contractibus tribuuntur.

64. ἰλιλαθε] Cæterùm etsi vocabula ista Lucri & Damni propriè tantum dici possunt de contractibus & commercijs voluntarijs, quando aliqui volentes & scientes inter sese contrahunt & commercia exercent, possunt tamen etiam transferri ad contractus non voluntarios manifestam inæqualitatem iniustam respectu personarum habentes, in quibus nobis nolentibus aut ignorantibus alij damnum inferunt & iniuriam faciunt, veluti fit in furtis, rapinis, adulterijs & alijs maleficijs. Quando igitur iniuria ista corrigitur, compensatio fieri debet per Iustitiam commutativam

tivam secundum proportionem Arithmeticam, ut pro magnitudine damni & iniuriæ æqualis fiat compensatio per pœnam & mulctam, quæ irrogatur a iudice ei, qui iniuriam & damnum intulit, per quam pœnam sive mulctam adimitur ei, qui iniuriam fecit, id, quod videbatur plus habere, & restituitur ei, qui iniuriam est passus id, quod videbatur minus habere.

65. Hactenus iustitiæ & iuris particularis essentiam & naturam declaravimus. Nunc accidens eiusdem subiungemus. Accidit ergò iustis actionibus, ut personæ, quæ æqualia sortiuntur, reciprocam quandam perpessionem subire videantur, quam ἀντιπεπονθὸς sive talionem vocant. Ἀντιπάσχειν n. vicissim pati significat quando quis idem patitur, quod alteri fecit. Talio autem dicitur quia talia tribuuntur, qualia quis alteri fecit, aut alteri præstitit. Vnde apud Gellium retaliare, quasi talia tribuere, qualia alter fecit. De hoc iure etiam in sacris extat præceptum Exod. 21. v. 23. 24. Deut. 19 vers. 21. Hanc talionem multi simpliciter iustitiã esse putant, sed malè, quia accidit iuri ἀντιπεπονθέναι non tamen est ipsummet ἀντιπεπονθέναι. Cum igitur id, quod

CAP. V. *De iure talionis*

quod alicui accidit, per se ei non conueniat, cumq; quid ius per se sit, seu quæ propria iuris essentia sit, hactenus explicuerimus, restat vt quid non sit, simile tamen videatur, paucis adhuc ostendamus, adeoq; de eo, quod ἀντιπεπονθὸς dicitur, primum aliorum opinionem proponentes refutemus, ac deinde quid nosmetipsi ea de re sentiamus, exponamus.

Proponitur aliorum opinio.

66. Δοκεῖ] τὸ ἀντιπεπονθὸς igitur aliquibus simpliciter iustum esse videtur, nempe cùm Philosophis Pytagoræis, qui definiebant absolute iustum id esse, quod quis à se factum vicissim ab altero pateretur; tum etiam Poëtis, qui Rhadamanthi, quem propter insignem Iustitiam inferorum quoq; Iudicem constitutum volunt, tale ius fuisse asserunt, quia dixisse fertur, quod ius æquum sit, si quæ quis faciat, eadem patiatur, & quod tale iudicium rectum fuerit, vindictaq; recta.

Refutatur.

67. Τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς] Hanc autem Pythagoræorũ & Poëtarum opinionem sic refutat Aristoteles. Id quod neq; distributiuo iuri per se conuenit, neq; commutatiuo seu correctiuo, absolutè & sim-

& simpliciter ius esse non potest. Sed cus talionis neq; in distributiua neq; in commutatiua iustitia per se locum haqet. E. Minor probatur, & primum, quod non habeat locum in iustitia distributiua: Quia in illa iustitia, vt supra est expositum, habendus est respectus Personarum, ita vt cuilibet personæ id tribuatur, quod eius dignitati & meritis conueniat. Non enim eodem modo puniendus est, qui consulem verberauit aut prætorem, quo is, qui vulnerauit seruum aut hominem priuatum: Sed in talione Pythagoræorum non habetur respectus personarum, sed requiritur, vt eadem delicta simpliciter eodem modo puniantur, non habita ratione quales fuerint personæ, quæ deliquerunt. E. Ius talionis non habet locum in Iustitia distributiua. Deinde quod Ius quoq; talionis non semper locum habeat in commutatiua, inde patet: Ius talionis requirit, vt eadem pro ijsdem retribuamus, veluti panem pro pane, vinum pro vino, pecuniam pro pecunia. Sed in Iustitia commutatiua non semper eadem pro ijsdem rependuntur, sed plerunq; res diuersæ permutantur

Ius talionis non conuenit iuri distributiuo:

nec semper iuri commutatiuo.

mutantur pro rebus quidem diuersis, eiusdem tamen precij & valoris, vt frumentum pro calceis, vinum pro pecunia, merces pro laboribus, præmium pro diligentia, honor pro virtute.

Ius talionis à simpliciter iure dissentit etiam quoad modum contrahendi.

68. Εἰ δ' ἀκούσιον] Sed Pythagoricam talionem simpliciter ius non esse etiam hoc argumento constat. Si iustitia nihil aliud est, quam ipsum ius talionis, per quod eadem re, eodemque planè modo oportet alteri retribuere, quod ipsi est factum; tunc certè etiam is, qui imprudens & inuitus alterum læsit, aut iniuria affecit, iuxta naturam talionis & Pythagoræorum sententiã vicissim pari modo ab imprudente & inuito esset lædendus & iniuria afficiendus, vt nimirum iniuria inuita per inuitam vindictam compensaretur, & hoc modo per omnia esset æqualis, & vt Phauorinus ille apud Gell lib. 20. cap 1. ait, quod per imprudentiam factum est, etiam per imprudentiam retaliari deberet. Sed hoc est ἀδύνατον. Nemo enim potest inuitus aut imprudens illatam iniuriam vindicare, sed quilibet id facit sciens & volens. Pulsat igitur quis imprudens alium. Quod si prudens illum

refe-

referiat, talio quidem erit, verum iniusta. Est lex quædam 12. tab. cuius verba hæc sunt: Si membrum rupit meum, è pacto talio esto, id est vicissim membrum rumpatur. Hic præter vlciscendi acerbitatem, ne procedere quoque executio iusta talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptũ est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium, ita vt neque maior sit vindicta neq; minor? Nam qui rupit, nequaquam patietur, aut altius se lædi, aut latius, quod cuiusmodi libra atq; mensura caueri possit non reperio. Quin etiam, si quid plus erit, aliterue commissum, res fiet ridiculæ atrocitatis, vt contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adolescat infinita quædam reciprocatio talionum. Vid. Gell. lib. 20. cap. 1.

69. Ἀλλ' ὡ μὴν ἴσης] Vt igitur quid de talione sentiendum sit, eo melius intelligamus, sciendum est, reperiri eam quidem in iustitiæ actionibus, non tamen esse ipsummet ius. Talione enim constant actiones iustæ secundum analogiam & proportionem, non secun-

Propria sententia de iure talionis.

1. Quod reperiatur.

dum æqualitatem, vel si ita liceat dicere, identitatem, nimirum non vt quod quis contulit, idem quoq; recipiat, sed vt eadem proportione v. g. emit quis panem, dat vicissim non panem sed pecuniam. τοῦ ἀντιποιεῖν] factis enim proportione, non identitate reciprocis in quotidianis contractibus vitæ politicæ manet ciuitas. ἡ γὰρ] siue reponatur malũ ꝓ malo. Vbi enim ciuis ciuem opprimit, & seruitus indigna oritur, communio publica stare non potest. εἰ δὲ μὴ] At vbi non est ἀνταπόδοσις, siue talio iniuriæ acceptæ, ibi indigna oritur seruitus, cum ciuis ciui cogatur seruire, sicuti olim seruis non concedebatur actio aduersus suos dominos, etiamsi iniuriâ ab illis essent affecti. Imo tanta erat olim dominorum in seruos potestas & licentia, vt etiamsi eos occiderent, tamen de iniuria non possent accusari. E. Vbi non est talio, communio & libertas publica stare nequit. ἢ τὸ εὖ] Siue reponatur etiam bonum pro bono, gratia pro beneficio. Gratitudinem enim istam necessariam esse pro conseruanda societate humana hinc liquet. τῇ μεταδόσει] Vbi est officiorum vicissitudo, ibi societas fouetur

uetur publica. εἰ δὲ μὴ] At vbi non est gratitudo, ibi etiam neq; officiorum vicissitudo est. E..

70. διὸ καὶ χαρίτων] Quod verò ἀνταπόδοσις bonorum in ciuili societate maximè colenda & retinenda sit sic quoque probatur. Vbi gratitudo est, ibi etiam ἀνταπόδοσις erit. Nam & is qui benificio affectus est, ipsa talione suam gratitudinem testatam facit: Qui vero beneficio affecit, talione ista excitatus, quem prius communi lege beneficijs affecerat, eidem porrò etiam propter fidem & gratitudinem spectatam benefacere volet, sicut ex diuerso ingratitudo exsiccat fontem liberalitatis. At in politica vita necessaria est gratitudo. Idcircò gratiarum templum in medio foro extruxerunt græci, vt nimirum ciues suos ad gratitudinem excitarent & assuefacerent. Imò Poëtæ fingunt tres Gratias à Ioue patre esse & matre Εὐρυνόμῃ quasi gratitudo sit lex à Deo hominum mentibus innata. Ex his iam sequitur, quod ius talionis seu ἀνταπόδοσις in politica vita sit apprimè necessaria.

In vita politica necessariam esse ἀνταπόδοσιν.

71 ποιεῖ δὲ] Quomodò autem in actionibus iustitiæ & in politica vita talio fieri

Quomodo reperiatur talio.

fieri debeat, Aristoteles etiam ostendit, & inquit, in Iustitia non nudam & simplicem talionem seu retributionem spectandam esse, qualem Pythagoræi statuerunt, sed eam esse debere analogicam, per quam licet non simpliciter Pythagorærum more idem pro eodem retribuatur; tamen retribuitur id, quod est æquiualens, atq; ita seruatur ἰσότης. v. g. Agricola dat frumentum, sutor calceos. Nam cum duæ res precio fuerint adæquatæ, si succedat postea commutatio, tum personæ æquales æqualia obtinebunt.

Quod necessaria sit rerum adæquatio.

72. ἐὰν οὖν] Hanc autem adæquationem rerum, quas vltrò citroq; dant & accipiunt, necessariam esse ex eo constat, quod quando illa adæquatio fit, ἴσαι ἡ ἀντιπεπονθὸς, tunc id, quod à nobis dictum est, extabit, h. e. tunc ius ipsum talionis erit, & hac ipsa talione publica societas fouebitur. Proinde æqualitas analogica primum est introducenda; εἶτα] deinde commutatio inter personas contrahentes facienda per mutuam dationem. ἐὰ δὲ μὴ] Quando verò adæquatio illa non fit, ibi vt maximè talio fiat, non tamen æqualis erit, neq; iusta,

& pro-

& propterea etiam nec publica fouebitur societas. οὐδὲ γὰρ] Adæquationem autem rerum naturaliter differentium, vt calcei, domus, pecuniæ, frumenti, &c. fieri debere, exemplo architecti & sutoris & aliorum demonstrari potest. Quæ enim inæqualia sunt, adæquari debent, vt iustus & constans fiat contractus: At sutoris, agricolæ, architecti & aliorum opera, quorum commutatione inter se contrahunt, sunt inæqualia. Nihil enim prohibet, quo minus vnius opus alterius opere sit præstabilius. δεῖ οὖν] E. eorum opera adæquari debent.

73. Ἐστι δὲ τοῦτο] Idem quoq; fit in alijs artibus & artificibus, qui inter se contrahunt vicissitudine operum & operarum. Inter hos enim contrahentes necessario requiritur adæquatio tum respectu rerum, vt quantum alter egit, tantundem patiatur, & quantum alter passus est, tantundem agat. Nisi enim Mercenarius, qui toto die opus fecit, mercedem pro toto die accipiat, & nisi agri dominus, qui totius diei laborem à mercenario accepit, mercedem integram persoluat, mutua communitas labefactabitur, neq; artes in ciuitate

Adæquationem rerũ naturâ differentium etiam in reliquis artibus fieri debere.

retineri poterunt. Tum etiam respectu personarum, vt qui inter se alioqui inæquales sunt, saltem quoad contractum præsentem adæquentur. Qui enim inæquales sunt, vt natura sua ad conuersandū sunt inepti, ita si conuersari debent, vtiq; eos adæquari oportet. οὐ γὰρ] Atqui ciues eiusdem Reip. inæquales sunt: Neq; enim ex Medicis tantum, neq; ex architectis tantum vel agricolis tantum societas ciuilis constare potest, sed ex omni genere artificum varias operas, operaq; varia tradentium ἀλλὰ τούτους] E. Ciues eiusdem Reipub. sunt adæquandi.

Medium per quod analogica inæqualitas inuestigatur.

74. διὸ πάντα] Adæquatio autem ista illarum rerum, quæ inæquales sunt, per aliud quoddam medium, quod est tanquam norma & regula, cuius applicatione ad æqualitatem rediguntur, fieri debet, non secus, atq; supra diximus de lineis inæqualibus, quod videlicet per aliam lineam tanquam mediam æquales sint faciendæ. Nam quæ permutantur, inter se prius comparari debent. Istius autem comparationis regula est Numus. Quod enim res omnes metitur, illud quoq; nimium & parum,

quæ

quæ rebus insunt, metiri potest. πάντα γάρ] At Numus res omnes metitur, vel quando reipsa adhibetur in contractibus, vt si pro calceis numeretur pecunia: vel quando non actu, sed potestate tantum & æquiualentia adhibetur, ea quę commutanda sunt, pecuniæ ęstimatione circumscribendo. Sic calcei decem pro vno frumenti modio dantur, quia modius numo valet aureo, & decem calcei tantundem. ὥστε] E Numus quoq; nimium & parum earum rerum, quæ inæquales sunt, metietur, vt ita sit veluti medium, ad quod rerum commutandarum excessus atq; defectus explorentur.

75. πόσα ἄττα] Deinde quæ inter se comparanda sunt, talia esse debent, quales sunt personæ quarum eæ res sunt. v. g. Calceus & domus res sunt penitus differentes & naturaliter inæquales. Comparari igitur debent æstimatione pecuniaria, quæ ex personarum contrahentium indigentia vel labore desumitur. διὰ τίνων] Nam quomodo se habet architectus ad sutorem, tum quoad artis ipsius efficientiam (quoniam calceum unum levi sumtu, faciliq; negotio

Modus comparationis.

conficit sutor: domum verò non nisi multo labore & sumtu architectus) tum quoad contrahentium indigentiã, quæ æstimationis precium augere consuevit. ὡσαύτ] Ita se habebit calceus ad domum: nimirum ut cum calceus unus æstimatione multò sit inferior domo una, multitudine suppleat vilitatem suam. v. g. Si domus centum valeat aureis, calceus aureo medio: uti se aureo habet medius ad aureos centum, ita se habebit calceus vnus ad domum. Proindè ducenti calcei uni domunculæ æquivalebunt. ἀναγκαῖον] Nam si talis comparatio rerum permutandarum non fiat, nulla erit permutatio, & per consequens nulla communitas. Comparari verò nequeunt, nisi res permutandæ prius quodammodo æquales fuerint. δεῖ ἴσως] Quocirca unum quiddam esse oportet, quod cætera omnia metiatur.

Quodnam & quale sit medium metiens omnia.

76. τοῦτο δ'] Hæc autem mensura metiens omnia per se & ex sui natura est Necessitas & indigentia rerum. Nam rerum, quas non habent, indigi, contrahunt inter se, siue indigeant reuera, v. g. pane ad vescendum, vestibus ad tegendum, quæ indigentia naturalis appellari

pellari potest: siue indigeant tantum opinione, vt peregrinis cibis, item gemmis & purpura ad luxum & ornatum, sine quo licet viuere possent, non tamen putant se posse sine eo viuere, quam accidentalem indigentiam appellare possumus. Indigentia igitur res vel magni vel parui precij esse facit, & propterea mensura communis erit, ex qua rerum commutandarum æqualitas analogica petetur Nam sine quo nulla omnino vel non eadem permutatio esse potest, id communis mensura est, secundum quam res permutandæ comparantur. ἐὰν γὰρ] At sine indigentia vel nulla omninò est permutatio, vel non est eadem. Ε. οὕτω δ'] Per accidens verò & ex hominum lege & instituto mensura omnia metiens est Numus seu pecunia, quæ veluti succedit in locum indigentiæ. Quia enim indigentia non semper, neq; apud omnes, neq; in ijsdem rebus locum habet, ita vt quouis tempore possit quilibet cum altero sua opera & res suas permutare (forte enim alter non eget ea re, quam ego cupio permutari,) ideo, vt nihilominus posset fieri permutatio, numus est repertus,

pertus, qui esset veluti vicarius indigentiæ. Hinc ICtus, quia inquit, non semper nec facilè concurrebat, vt cum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem ego, quæ tu desiderares: ideò electa est quædam materia, id est, constitutus est Numus, cuius publica & perpetua existimatio difficultatibus permutationum subueniret.

ἀνακεφαλαίωσις eorum quæ hactenus de iure talionis dicta sunt.

77. Ἔστι δὴ] Vt igitur iam, quæ hactenus aliquanto latius de iure talionis exposuimus, in pauca conferamus, necesse est, vt termini quatuor rerum & personarum antequam permutatio fiat, adæquentur inter sé, si mutua actio et perpessio locum habere debet. Itaq; vt se persona habet ad personam, Agricola scilicet ad sutorem: Ita quoq; se habet res ad rem, Frumentum scilicet ad calceum. δεῖ χἦμα] Deindè necesse quoq; est, vt termini isti iam adæquati in commutatione ad figuram proportionis reducantur. Nam si non reducantur, alterum extremum vtramq; habebit exuperantiam. v. g. Extrema duo sunt Agricola & Sutor, qui inter se contrahunt: Res in quibus contrahunt, itidé duo sunt, Frumentum & Calceus. Nisi

ergò

ergò proportione sibi inuicem adæquetur per transpositionem terminorum, (vt si sutor accipiat frumentum, at calceos vicissim vel non det omninò, vel pauciores det quàm oporteat) sutor certè vtramq; exuperantiam habet, tum quatenus accepit, plus lucri, tum quatenus dedit, minus damni. E contra Agricola vtramq; etiam exuperantiam habebit, sed diuersimodè: quatenus dedit, plus damni, & accepit, minus lucri. ἀλλ' ὅταν] Quando verò termini ad analogiam reducuntur, & suas res singuli contrahentium habent; tunc propter analogiam æquales & socij fiunt, ita vt vterq; contrahentium æstimatione tantum habeat post commutationem, quantum habuit ante, licet non habeat res easdem. εἰ δ' οὕτω] Iusta igitur ἀνταπόδοσις & τὸ δίκαιον ἀνταπεπονθὸς, quo iure humana societas & politica communitas fouetur & conseruatur, prædictas habere debet conditiones: alioqui nec iusta erit ἀνταπόδοσις nec communitas vlla, nec vlla societas.

78. τὰ δ' ἡ χρεία] Sed quod de duobus permutationum medijs, indigentia scilicet

Indigentiæ esse causam societ-

societatis humanæ.

licet & Numo dictum est, id eò etiam spectat, vt eorum quoq; vsum in vita humana & ciuili societate, quod ad commercia & permutationem rerum attinet, consideremus. Commutatio enim & permutatio rerum societatem, communitatemq; humanã conseruat. At indigentia commutationé rerũ fouet. Præsens enim indigẽ ia facit, vtres præsentes rebus præsentibus commutentur. Nam vbi vel neuter contrahentium eget re alterius, vel alteruter non eget, ibi aut nulla fit permutatio, aut non fit æqualis permutatio. ὥσπερ] v.g. Eget quis vino, abundat frumento: alter frumento egens, abundat vino. Cõtrahunt ergò inter se, indigentia vtrinq; suadente & cogente. διὰ ἀρχα] Requiritur tamen etiam adæquatio per communem mensuram. Cuius quidem adæquationis maior vel minor indigentia veluti basis est, eaq; numi æstimatione circumscribitur, & veluti exprimitur. Sic in summa annonæ caritate modius frumenti valet Ioachimico, qui mediocri prouentu 12. solidis lubecensibus valebat. ὑπὲρ δέ] Futura autem indigentia efficit, vt res commutentur

vel

vel cum rebus, quarum aliquando penuriam metuunt: Vt qui vinum cum frumento permutat, quòd frumenti magis quam vini se imposterum inopem fore timet: Vel cum pecunia, qua res quaslibet, quibus olim opus habebunt, comparare possint. Proinde futuræ rerum indigentiæ veluti sponsor est Numus. Agricola enim vendit frumentum pro pecunia, non pecuniæ causa, sed quod hac pecunia res quaslibet ad vsum necessarias olim futuras coëmere possit. E. Indigentia instar communis vinculi societatem communitatemque humanam conseruat, non per se, sed per accidens, quoniam hac ipsa coacti, ad mutuas operas, operaq; confugiunt. Non secus atq; fames & sitis corpori per se inimica, per accidens amica sunt, quoniam ad alimenti assumptionem dolore suo compellunt vel inuitum.

79. πάλιν μὲν] Si quis verò contra ea, quæ de numo diximus, obijciat: Id *Obiectio.* inæqualia adæquat, certum constans & perpetuum esse debet. πάλιν] At Numo nec certus est nec constans, nec perpetuus. οὐ γὰρ] Neq; enim Numus idem est

est apud omnes, neq; etiam apud eosdem semper eadem æstimatione. E. Respondendum est committi Paralog. à secundum quid vt simpliciter. ἁπλῶς] Etsi enim Numus per se nec certus est neq; constans, sed pro arbitrio hominũ variis modis immutatur tum substantia sua, tum valore. Comparatione tamen aliarum rerum, quæ permutantur, vt suapte natura durabilior est, & corruptioni minus obnoxius, vt aurum, ita quoq; immutabilior & stabilior permanere solet voluntate & instituto hominum, nempè in bene constitutis Rebuspub. in quibus pecunia non ita facile mutatur,

Vbi nummus ibi communitas & viceuersa.

80. διὸ δεῖ] Quod autem Numo ad societatem humanam conseruandam res omnes adæquari per æstimationem debeant, id ex hoc quoq; argumento constat: ὅπου γὰρ] vbi æstimatio rerum æqualis, ibi permutatio & per consequens societas. At vbi numus, ibi æstimatio rerum æqualis, vt ex superioribus patet. E. vbi numus, ibi quoque permutatio & per consequens societas. Nummus ergo instar mensuræ res commensurando adæquat, ita quidem, vt

vbi

vbi communitas, ibi quoq; necessariò requitatur Numus tanquam mensura communis. οὗτε] vbi enim communitas, ibi necessario datur rerum permutatio. οὔτ'] vbi permutatio, ibi adæquatio. οὔτ' ἰσότης] vbi adæquatio, ibi commensuratio. Vbi commensuratio, ibi mensura communis Numus.

81. τῇ μὲν οὖν] Adæquatio igitur & communicatio rerum omnium essentialis nulla datur, cum nulla mensura communis rebus tàm varijs inueniri possit, omnium naturam exprimens & imitans. Accidentalis autem datur, quantum scilicet satis est ad indigentiam hominum subleuandam. Quare vnum quiddam extare necesse est, idq; hominum instituto & voluntate susceptum ac stabilitum. Vnde & νόμισμα appellatur, quod νόμῳ οὐ φύσει constet. Nisi enim in numi valore consentiant contrahentes, permutatio nulla fieri poterit. Mensura igitur communis omnium rerum permutandarum est Numus. Quod enim omnia metitur & æstimat, id omnia quoq; commensurata reddit & adæquat. μετρεῖται] At nummus omnia metitur secundum indigentiam

Communis mensura omnium rerum permutandarum est Numus.

eorum, qui contrahunt. Applicatur enim instar regulæ & mensuræ in rebus permutandis, vt inde cognoscatur, quantum inter se distent, & quomodo possit æqualis & iusta earum fieri permutatio, quod Aristoteles Exemplo domus & lecti illustrat. Etsi enim res illæ duæ admodum sunt inter se dissimiles, vt videantur vix posse permutari: Sed tamen, si vtraq; res æstimetur pecunia, poterit aliqua æqualitas in illis reperiri ad faciendam iustam permutationem. τοῦτο γὰρ] E Numus omnia adæquat. ὅτε δ' οὕτως] Talis quoq; erat antiqua consuetudo contrahendi, antequam nummus inuentus esset. Erat enim tunc eadem ratio commutandi sine numo, quæ nunc est per nummum. Nihil enim interest ad permutationem faciendam, vtrum v. g cum domo permutentur quinq; lecti, domui per communem mensuram æquiualentes, an aliquid aliud, quod quinque lectis æquiualeat, siue id pecunia sit, siue quid aliud, quod ex eorum, qui contrahunt arbitrio in locum mensuræ communis substituatur.

ἀνακεφαλαίωσις 82. τὸ μὲν οὖν] Quid igitur sit iniuria, quid

quid ius, & quam rationem talio seu reciproca perpessio ad ius habeat, hactenus explicatum est. His autem distinctis perspicuum est, δικαιοπραγίαν seu iustam actionem mediam esse inter τὸ ἀδικεῖν & τὸ ἀδικεῖσθαι. In quacunq; enim actione plus & minus reperitur, in illius contraria inuenitur medium. At in actione iniusta reperitur plus & minus. Namq; ὁ ἀδικῶν qui iniuriam infert, plus habet: ὁ ἀδικούμενος verò qui iniuriam patitur, minus habet. E. ὁ δὲ δικαιοσύνη] Ad eundem quoq; modum Iustitia mediocritas est, non quidem vt cæteræ virtutes ethicæ, quæ mediocritates sunt, & mediocritatem rei in agendo seruant, & ab obiectis externis nec plus nec minus, quàm recta finit ratio, affectum brutum moueri patiuntur: Sed peculiari quadam ratione mediocritas est iustitia, quoniam eius quod medium, hoc est, æquale est, habitus existit, sicuti iustitia extremorum, h. e. eorum, quæ inæqualia sunt, habitus est.

omnium eorum, quæ de iustitia & iniustitia huc usq; dicta sunt.

63. πῶς ὖν μέν] Quomodo autem Iustitia sit Mediocritas inde patet, quod Iustus sit tum interna voluntate & electione, tum

Quomodo iustitia sit mediocritas.

ctione, non temerè, non per accidens, sed consultò & καὶ ὡς προαίρεσιν agendo: tùm externo opere, tribuendo vnicuiq; contrahentium id quod suum est, siue contrahat ipse cum alio, siue alius cum alio, inter quos ipse veluti medius iudex est & arbiter: οὐχ οὕτως] ita quidem, vt in contractu proprio nec in bonis plus sibi vindicet, alteri verò minus tribuat, nec in malis plus mali alteri, sibi minus, sed sibi & alteri tantum boni maliuè, quantum meretur, in διανομῇ simul & διορθώσει tribuat. ὁμοίως] In contractu verò alieno eadem via incedat, & nec inæqualibus æqualia, nec æqualibus inæqualia, sed æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia tribuat.

Iniustitiã esse extremitatem.

84. ἡ δ' ἀδικία] Iniustitia verò contrario modo sese habet. Sicuti enim Iustitia est μεσότης: ita iniustitiam esse extremitatem, quoniam extremorum inæqualium est, nimirum τῆς ὑπερβολῆς & ἐλλείψεως ex hoc argumento liquet: τοῦτο] Iniuria est ὑπερβολὴ & ἔλλειψις. Eadem enim actione iniusta, alter qui iniuriam infert, plus habet boni; qui patitur vel minus boni habet vel plus mali ac-

li acquirit. ἡ δ' ἀδικία] At iniustitia iniuriæ mater est, certo consilio inæqualibus æqualia, vel æqualibus inæqualia tribuens. διὸ] E. Iniustitia etiam ipsa ὑπερβολὴ & ἔλλειψις est, quoniam ὑπερβολῆς & ἐλλείψεως effectrix est, ex æqualibus reddens inæquales, alteri plus, alteri minus tribuendo. Nam propter quod vnum quodq; tale est, id magis est tale.

85. ἐφ' αὑτοῦ] Quomodo vero iniustitia sit extremitas & inæqualitas, ex eo perspicitur, quod iniustus in contractu proprio inter se & alium sibi plus boni minus mali, alijs minus boni plus mali tribuat: At in alieno contractu inter alios duos, quorum ipse iudex est, generaliter ad eundem modum se gerit, & inæqualis est secundum ὑπερβολὴν & ἔλλειψιν tam boni quam mali. ἡ δὲ κατὰ] Sed in specie respectu personarum, inæqualis est variè, & contra proportionem, nunc ei qui facit iniuriam, nunc alteri, qui passus est, plus aut minus tribuendo. atq; ita intelligimus verba Aristotelis, ἀποτόμως ἔτυχε, nunc huic, nunc illi parum; nunc huic nunc illi nimium, quod perinde est, ac si dicat, temerè. τοῦ δ' ἀδικήματος] Iniustè factum

Quomodo iniustitia sit extremitas.

autem licet numero vnum, tamen cum inæquale sit, propter personarum varietatem duo in se continet extrema: Alterum extremum minus est iniuriam accipere; alterum extremum maius est iniuriam facere. De Iustitia igitur & iniustitia, item de iure & iniuria, quænam sit vtriusq; natura hucusque vniuersim & in genere actum est. In Specie enim de illis in politicis & Oeconomicis libris tractabitur.

CAP. VI. Argumentum & summa vel quorum capitum.

86. ἐπὰ δ' ἴσως] Postquam de Iustitiæ & iniustitiæ natura hactenus, quantum satis esse putauimus, à nobis actum est, consequens esse videtur, vt nonnullas quæstiones ex ijs, quæ hactenus disputata sunt, ortas, quarum aliæ ad Iustitiæ habitum pertinent, aliæ verò ad eiusdem actiones, breuiter adhuc expediamus. Quoniam igitur interdum accidit, vt iniuste agens, iniustus tamen nec sit, nec dicatur; ἐποίει] Ideò quæritur ex quibusnam iniustis actionibus quis iniusti appellationem subeat. εἶεν] Fortè enim ex opinione Plebeiorum, si magna sit grauisq; iniuria illata, ex ea quis appellandus est iniustus: sin verò parua, iniuste quidem agit, non tamen

Quæstio de habitu iniustitiæ.

men iniustus est dicendus. Atq; ita hac ratione latrones, adulteri, proditores patriæ tantum iniusti sunt, & quiuis alij, qui tragica scelera committunt.

87. ἀλλὰ τοῦτο] Sed non videtur illa plebeiorum ratio subsistere. Etenim si ex iniuriæ magnitudine iniustus quis esset dicendus, quicunq; enormem inferret iniuriam, iniustus esset. At non omnis enormem inferens iniuriam iniustus est. οὐδὲ γὰρ] Quemadmodum enim stuprum inferens virgini, quam virginem esse nouit, non eo consilio, vt pudorem illi eripiat, sed amoris victus libidine; is iniuste quidem facit, respectu virginis, sui ipsius autem respectu intemperanter. Non tamen iniustus dici potest aut debet, particulari iniustitia, sed libidinosus & intemperans per se, & respectu legum, quas violat, vniuersaliter iniustus, quia παράνομος est. οὐδὲ] Ita quoq; fieri potest, vt quidam pecuniam alienam auferens furtum committat, & iniustum faciat, neq; tamen fur aut per consequens iniustus dicatur iniustitia particulari: quoniam vel nescivit rem alienam esse, vel non putauit inuito Domino id fieri, vel non

Plebeiorum ratio refutatur.

Delicta aut casu fiunt, aut ἐκ προαιρέσεως, vel διὰ τὸ πάθος.

τοῦ πλεονεκτεῖν & alteri suum eripiendi libidine fecit, sed quia non potuit necessitati & inopiæ extremæ repugnare. Sic quoq; adulterium quis committere potest vel homicidium perpetrare, qui tamen ob id propriè non possit adulter appellari aut homicida, nempè si non fecit eo animi proposito vel consilio, vt scilicet vellet eiusmodi facinus perpetrare, veluti si inuitus, coactus, aut ignorans casu vel fortuito eiusmodi factum commisit. In omnibus enim virtutum & vitiorum actionibus præcipuè spectatur ἡ προαίρεσις, electio, voluntas, consilium, animus & propositum agentis. E. non ex iniuriæ magnitudine quis iniustus est dicendus.

Vocum quarundam explicatio præmittenda.

88. πῶς μὲν οὖν] Vt igitur quid de proposita quæstione sentiendum sit, eò rectius & dilucidius explicemus, necesse est primùm inter has voces, nempè ἄδικον, ἀδικεῖν, ἄδικα πράττειν, & ἀδίκημα: item inter his contrarias voces, nimirum δίκαιον, δικαιοπραγεῖν, δίκαια πράττειν, δικαιοπράγημα distinguere. Quod igitur

τὸ ἄδικον per se explicatur.

ad primam vocem nempè τὸ ἄδικον attinet, eius significationem primum per se explicabimus, naturam iniuriæ communem

munem ex iuris communi natura enarrando. τὸ δίκαιον igitur formaliter consideratum, proportione constare, & aliquo modo ἀνάπαιστος esse, è contra verò τὸ ἄδικον analogiæ expers esse, neq; τοῦ ἀνάπαιστος proportionem obseruare ex superioribus est manifestum. δεῖ δὲ μὴν] Materialiter verò consideratum, vt aliquorum ius est, qui nimirum inter se contrahunt vel in societate politica, vel in œconomica: Ita ius quod hìc quærimus, in genere ἁπλῶς & simpliciter ius est, sicuti e contra Iniustum simpliciter iniustum, inter qualescunq; personas: In specie vero politicum ius est, & è contra iniuria simplex etiam iniuria politica est, cum in conuersatione politica euidentissimè cognoscatur.

89. τοῦτο δ' ἐστὶν] Ius autem Politicum est in ijs, qui communitate & societate vitæ inter se coniuncti sunt, vt homines liberi & æquales vel proportione vel numero, rerum ad vitam necessariarum copijs per se abundent, nihilq; aliud requirant. Æquales dixi proportione vel numero. Duobus enim modis inter se dicuntur esse æquales, nempè vel secundum analogiam Geome-

Politicum ius vniuersim explicatur.

tricam, in qua æqualitas spectatur ex dignitate, quæ ex virtute & opulentia sumitur, vt in Aristocratia & Oligarchia: vel secundum numerum, seu analogiam Arithmeticam, in qua nulla habetur ratio dignitatis, virtutis aut alarum rerum, sed æqualitas tantum spectatur secundum caput, vt in democratia, in qua secundum capita numerantur ciues, & qui numerum habet, ciuis est, & in qua sutor aliquis aut textor aut faber tantum valet, quantum nobilis aliquis, aut literatus, aut virtute aliqua præditus.

Finis iuris politici.

90. εἰς ἄνοις.] Causam autem finalem iuris politici atq; adeo omnis societatis ciuilis esse diximus αὐτάρκειαν, id est, sufficientiam earum rerum, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessariæ. Nam quibus finis iste non est propositus, vt scilicet sint κοινωνοὶ τοῦ βίου πάντα, & in communi vita rerum necessariarum copijs per se abundent, illi in vnã ciuitatem vel non coibunt, vel si coeant, tamen inter se ius ciuile non habebunt: sed quoniam singuli sua agunt, & publici nullam omnino vel certe exiguam habent curam, erit inter ipsos

ius

ius quoddam ad similitudinem iuris ciuilis, quod Oeconomicum appellatur.

91. ἐσὶ γὰρ] Ius autem Politicum ἁπλῶς δίκαιον seu simpliciter ius esse tribus probari potest argumentis. Primum eiusmodi sorite comprehenditur. Ius politicum commune ijs est, quibus est lex. νόμος] At vbi lex, ibi etiam iniustitia. ἐν οἷς] vbi iniustitia, ibi etiam iniuria. Sed non è contra, vbi iniuria, ibi etiam iniustitia. Nam omnis iniustus iniustè agit, sed non omnis iniustè agens statim iniustus est. τοῦτο δ' ἐσὶ] Vbi iniuria, ibi plus est & minus. Vbi autem plus & minus, quæ sunt extrema & inæqualia, ibi etiam medium, quod est æquale. At ubi æquale, ibi ius simpliciter. E vbi ius politicum est, ibi ius simpliciter est. Secunda autem propositio, præterquam quod vulgò dicitur, ex malis moribus bonas leges esse natas, ita probatur: Vbi judicium, ibi lex veluti norma atque regula judicij. ἡ γὰρ δίκη] At vbi iniustitia est, ibi quoq; judicium esse debet. Iudicium enim nihil aliud est, quam juris & iniuriæ disceptatio, coram judice

Ius politicũ esse ἁπλῶς δίκαιον.

1. Arg. ex causa formali, quia ius est μίσον & ἴσον

dice facta, qui veluti ius quoddam animatum esse videtur. E. vbi iniustitia, ibi lex est

2. Arg. à causa efficiente, quia ius simplex & ius politicum ab eodem efficiente promanant.

92. Διὸ οὐκ ἐῶμεν] Secundum argumentum. Vbi recta ratio dominatur, ibi ius simplex locum habet. At in iure Politico recta dominatur ratio, cuius veluti soboles lex est. E. Minor ita confirmatur. Id quod ab inæqualitate remotissimum est, in ciuitate imperare debet. ὅτι ἑαυτοῦ] Atqui recta ratio ab inæqualitate maxime remota est, cum nihil habeat commune cum affectibus. Homo verò ab inæqualitate minus est remotus, quia duce appetitu in bonis πλεονεκτεῖ, in malis μειονεκτεῖ, atque adeò propter hanc cupiditatem plerique euadunt Tyranni. Διὸ] E. Homo in ciuitate non debet imperare, sed recta ratio debet imperare. Maior huius prosyllogismi sic probatur Custos æqualitatis ab omni inæqualitate remotus esse debet. Εἰ δὲ ὁ ἄρχων] At qui in ciuitate imperat, custos est æqualitatis. εἰ δὲ] Nam qui custos est iuris, is quoq; custos est æqualitatis. E. qui in ciuitate imperat; ab omni inæqualitate remotus esse debet.

ἐπὶ

93. Ἐπεὶ δ' οὐδὲν] Tertium argum. vbi ἀλλότριον ἀγαθὸν est, ibi ius est simplex. At ius politicum in se continet ἀλλότριον ἀγαθὸν. E. Minorem probo. Quæcunque virtus alteri laborat, ἀλλότριον ἀγαθὸν est. At Iustitia Politica alteri laborat. ἐπεὶ] Nam vir Politicè Iustus ab omni πλεονεξίᾳ abstinet. οὐ γὰρ] Neque enim boni plus sibi tribuit, alijs minus, nisi dignus sit maiore bono quàm alij. Qui autem mercede dignus est, ob idipsum dignus est, quia alteri laborat. Μισθός] At vir politicè iustus, præsertim is, qui cum imperio est, mercede dignus est, quæ quidem merces nihil aliud est quam honor & gloria, quia nihil maius habent homines, quod summæ virtuti tribuant. ὅλῳ] Qui igitur honore contenti non sunt, sed aliam mercedem quærunt, vtputa opulentiam, potentiam maiorem, ij hoc ipso Tyranni euadunt, & à virtute vera degenerant. Διὸ] E. vir politicè iustus alteri laborat, καὶ διὰ τοῦτο] & propterea Institia politica ἀλλότριον est ἀγαθὸν, vt supra dictum est.

3. Arg. ex adiuncto, quia Iustitia bonum alienum esse dicitur.

94. τὸ δὲ δικαιολικὸν] Politicum seu ciuile Ius proprie & simpliciter ius esse pro-

Ius Oeconomicum non esse idem cum iure simplici.

probauimus. Iam vero œconomicum ius quod attinet, id neque cum iure simplici, neq; cum iure politico idem est, sed vtrique tamen simile. Quod autem ius Oeconomicum non sit ius simplex, argumento à contrario probari potest. οὐ γὰρ] Iniuria enim simplex erga se suosque non exercetur. ἡ δὲ οἰκία] At Oeconomica iniuria erga se suosque exercetur. Ε. Maior est manifesta. Qui enim iniuria simpliciter afficit, is lædit. ἀνὴρ] At seipsum suosue nemo lædit. λοιδ] Ε.

Neq; idem esse cum iure politico.

95. οὐδ' ἄρα] Quod etiam Oeconomicum ius non sit idem cum iure politico, quatenus politica exime popularem Remp. benè constitutam significat, ità probatur: κατὰ νόμον] Si in Oeconomia ius politicum sit, tum respectú quidem formæ secundum legem erit: respectu materiæ autem inter eos, inter quos lex esse potest. Ii autem sunt inter quos æqualis est viciſſitudo parendi & imperandi. At in œconomia neque lex est proprie, quia pater cum liberis, maritus cum vxore, dominus cum seruo, fere tantum lege naturæ conuersantur. Quando vero lex ista

natu-

naturalis, lege scripta dirigitur, vt quando leges politicæ de hereditatibus, de iure dominorum in seruos, de potestate patrum in filios statuunt, tum ex œconomica lege fit lex politica, quatenus omnibus ciuibus communis euadit. Neque in œconomia personæ tales sunt, inter quas lex proprie esse possit, cum scilicet non sit inter eas absoluta vicissitudo parendi & imperandi. οὐδ' ἄρα] E.

96. Διὸ μᾶλλον] Sed & in specie probari potest, quod in Oeconomia ius proprie politicum non insit. Τοῦδε γὰρ] Si enim Ius ullum politicum esset in Oeconomia, vtique inter maritum & vxorem præcipue esset. Quoniam ius œconomicum cum triplex sit, vt etiam triplex imperium, πατρικὸν, γαμικὸν & δεσποτικὸν, γαμικὸν certe seu coniugale inter ea primum locum & natura & tempore & dignitate obtinet. Πρῶτον] At inter maritum & vxorem non est ius vllum politicum, nimirum vt æqualis sit vicissitudo parendi & imperandi. Maritus enim præstantior & dignior est vxore, ideò etiam ei proprie debetur imperium, & propterea ab Apostolo dici-

Aliud argumentū, quo probatur, in Oeconomia ius politicum proprie non esse.

dicitur esse caput vxoris. Quocirca vxor, etiamsi habeat aliquod imperium in domo, id tamen habet non ex seipsa, sed solum ex autoritate mariti, atq; etiam non tàm sua quam mariti causa, cuius tanquam capitis, ipsa veluti manus est, domi in quibusdam imperat. E.

Ius coniugale in Oeconomia primum obtinet locum.

97. Quod autem Coniugale ius primum obtineat locum, hinc constat: Inter eos maximè ius est œconomicum, inter quos euidentior parendi & imperandi est vicissitudo. At euidentior parendi & imperandi vicissitudo est inter maritum & vxorem: quia in societate coniugali ambo coniuges sunt eiusdem fere libertatis participes, atq; ideo pariter ferè imperant familiæ & suis subditis, imo interdum sibi mutuo seruiunt, maritus vxori, & vxor vicissim marito, nonnunquam etiam maritus tenetur vxori obtemperare, si nempe illa rem aliquam melius intelligit, & melius dat consilium. Et præcipuè in domestica administratione rei familiaris illa vicissitudo parendi & imperandi conspicitur. Quia enim mariti est quærere & inferre; vxoris verò

parta

parta & illata tueri, custodire & conseruare: in his vxor, in illis verò maritus imperium teneat consentaneum est. διὸ μᾶλλον] E. Ius œconomicum manifestius est inter maritum & vxorem. ἢ πρὸς τέκνα] Obscurius autem ius est inter patrem & filium, dominum & seruum.

98. τοῦ δὲ πολιτικοῦ] De iure Politico in genere diximus, quid sit & quomodo à politico speciatim dicto, & œconomico differat. Nunc verò species eiusdem recensebimus, quæ sumuntur ex ipso efficiente, quoniam vel natura constituitur ius politicum, vel hominũ voluntate & opinione. Vnde Ius Politicum in genere consideratum aliud φυσικὸν est seu commune, aliud νομικὸν privatum sive proprium. Et quia hæc diuisio generalis est, quin omnibus quoq; iuris speciebus politico scilicet speciatim accepto & œconomico conueniat, nullũ omninò est dubium. Proinde Ius politicũ specialiter sumtum aliud naturale est, aliud legitimum, & ius similiter œconomicum. Eodem sensu Ius à ICtis nunc in commune & proprium, nunc in naturale gentium & ciuile tribuitur.

CAP. VII. Diuisio iuris politici in naturale & legitimum.

Ius politicum in genere appello id, quo omnis homo utitur, quatenus πολιτικὸν ζῶον est, & naturæ instinctu impellitur ad civilem societatem colendam. Vnde patet ius politicum à Philosophis latius accipi, quam à ICtis. Nam ICti ius naturale non comprehendunt sub iure civili, sed per ius civile tantum illud ius intelligunt, quod certis quibusdam civibus, qui in eadem vivunt civitate, est commune.

Ius naturale.

99. φυσικὸν] Ius autem φυσικὸν seu naturale est, quod natura omnibus hominibus ingenerauit, & apud omnes homines in tota terrarum vniuersitate commune est, quod lege non scripta manu, sed animis omnium insita continetur. Definitur etiam à ICtis, quod Ius naturale sit, quod omnia animalia docuit. Ius enim illud naturale duplex est. Namq; quando natura illa consideratur, vt homini cum brutis communis, ea ratione καθ' ἐξοχὴν Ius naturale propriè dictum existit. Quando verò natura consideratur, non quatenus communis homini est cum brutis, sed homini soli secundum rectam rationem, partem sui maximè principem, viuenti pe-

ti peculiaris, tum ius gentium existit. Vocatur autem Ius naturale, quia à natura proficiscitur, & non à doctrina & institutione aut aliqua consuetudine. Dicitur etiam ius vniuersale, quod ad omnes homines pertineat. Dicitur quoq; πρῶτον δίκαιον, quia hoc ius fuit, antequam essent leges scriptæ! Ab Apostolo Paulo vocatur lex scripta in cordibus nostris. Deniq; hoc ius nihil aliud est, quàm lex naturæ & lumen mentis nobiscum natum, quo ex nobis ipsis quædam principia practica intelligimus absque antecedente aliqua doctrina & institutione, quo naturaliter etiam discernere possumus inter bonum & malum, honestum & turpe.

100. Νομικὸν] Νομικὸν verò seu legitimum, quod & positiuum appellatur & μὴ φυσικὸν, item ἀνθρώπινον dicitur, & κατὰ συνθήκην καὶ συμφέρον, est, quod legibus est descriptum & sancitum ab ipsis hominibus, quodque autorem habet non naturam vel communem homini cum brutis, vel saltem omnibus hominibus communem rationem: sed rationem certam certis circumstantijs loci, temporis, personarum, circum-

Ius positiuum seu legitimum.

scriptam & definitam. Illud enim ius, antequam legibus est sancitum & constitutum, nullam habet vim obligandi hominem, vt illud teneatur seruare; sed est ἀδιάφορον seu indifferens ita vt possit citra reprehensionem seruari vel non seruari. v. g antequam Magistratus legem statuit, ne quis arma gestet in vrbe, aut noctu oberret in ciuitate, liberum cuiq; est id facere vel non facere. Sed postquam lex lata est, tum non amplius est ἀδιάφορον, vt quis possit citra reprehensionem & pœnam arma gestare in vrbe, aut noctu in ciuitate oberrare.

Obiectio quod nullum ius sit naturale.

101. δοκεῖ] Existimare autem quis posset nullum esse ius naturale, sed omne ius tantum esse legitimum: διὰ τὸ μὴν] Quia quæ naturalia sunt, ea sunt immutabilia & vbiq; eandem vim habent. Sic quoniam ignis natura est, lucere, calefacere, exsiccare, vrere, eam nunquam mutat, sed semper & vbiq; in omnibus locis retinet. Namq; apud græcos perinde vt apud Persas lucet, calefacit, exsiccat, vrit. τὰ δὲ δίκαια] At iura quotidie fere mutantur, cum sæpe numero etiam fiat, vt ea, quæ alioqui

hone-

honesta esse videantur, ratione temporum & aliarum circumstantiarum, fiant inhonesta. δοκεῖ] E. Iura non sunt naturalia, sed voluntate tantum & opinione hominum constant.

102. τοῦτό δ' οὐκ] Sed committitur in isto argumento Paralogismus à secundum quid, vt simpliciter. Non enim absolutè omnia naturalia sunt immutabilia, sed aliqua ex parte tantum. καὶ γὰρ] Namque naturalia per se & simpliciter considerata, & quatenus diuina quadam prouidentia constituta sunt, semper firma atque immutabilia permanent. Quia vt DEVS autor non mutatur, ita quæ à Deo ita sunt condita, vt semper eodem modo se habeant, mutari nequeunt: πρὸς ἡμᾶς] Si verò considerentur naturalia respectu hominum & aliarum circumstantiarum, veluti loci, temporis, & similium, ita quodammodo sunt mutabilia. ἀλλ' ὅμως] Quin & ea naturalia quæ impositam à natura necessitatem non habent, sed contingentia sunt, & aliter atq; aliter se habere possunt, ea etiam mutabilia sunt, vtputa quæ mutationis causam habent vel naturam, vt pluuiæ, niues,

Responsio, quomodo iura naturalia sint immutabilia.

monstra; vel συνθήκην, id est, hominis voluntatem & arbitrium, vt actiones humanæ.

Iura naturalia in vniuerso genere esse immutabilia, licet in quibusdam casibus singularibus & circumstantijs mutentur.

103. ποῖον] Posito igitur, sed non concesso, quod iura omnia sint mutabilia, nihilominus tamen quædam naturalia sunt, quædam verò legitima. Cum enim Protoplasti lapsus naturæ legem plurimum labefactarit, opus fuit insuper lege scripta diuinitus tradita, cuius autoritate humanæ mentis incertitudo stabiliretur. Per se igitur naturalia iura subsistunt, licet alioqui hominum opinione tantùm constare videantur. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων] Quomodo enim se habent res cæteræ naturales, ita quoque se habet ius naturale. Atqui res cæteræ naturales vt plurimùm eodem modo fiunt. Sic in plerisq; hominibus dextra manus semper robustior est & valentior, quàm sinistra, quamuis etiam inueniantur, qui sinistra perinde atq; detera vtuntur. E. ius quoq; naturale ita se habebit, vt apud plerosq; homines qui politiorem vitæ rationem sequuntur, idem sit, licet diuersum contingat esse in quibusdam barbaris, qui beluis sunt similiores quam hominibus.

Τὰ δὲ

104. τὰ δὲ δικαιώματα] Ius verò legitimum non apud plerosq; homines recta ratione vtentes idem est, sed pro voluntate & arbitrio legislatorum, qui politicæ societati huic vel illi opportunas leges condunt, & pro diuersitate huius sæpè contrarias, mutabile. Iura enim legitima perindè se habent vt mensuræ & pondera esculentorum & potulentorum. Ea enim pro diuersitate locorum & temporum sæpissime mutantur, vt alia maiora sint, alia minora, prout magistratibus visum fuerit. Quin apud eos, qui vendunt, mensuræ plerunq; sunt minores, apud eos verò qui emunt maiores, vt eadem mensura plus lucrentur. ὁμοίως] Ita etiam jura legitima interdum mutantur, interdũ etiam omninò abrogantur, prout diuersa est reip. forma, diuersus etiã temporum status, diuersa deniq; hominum conditio. Qualis enim Respub. tale ius legitimum, quod Reip. veluti anima est. ἐπεὶ] At Respub. non vna est, sed varia, licet vna sit omnium optima & præstantissima ex sui natura de qua controuersantur inter se philosophi quæ & qualis sit. E.

Ius legitimum est mutabile.

105. τῶν δὲ δικαίων] Deindè quia omnibus

Ius legitimum

mum non per se, sed tantum propter actionum particularium varietatem est mutabile.

bus particularibus actionibus vniuersali lege ad vnguem prouideri nequit, idcirco ius legitimum vt non per se, saltem propter particularium actionum iustarum & iniustarum varietatem videtur mutabile. Quod enim vniuersale est, id mensura quidem est particularium omnium, tamen cum non possit ex æquo omnibus accommodari, vt non per se, saltem propter particularium infinitam varietatem videtur mutabile. τῷ δ' δικαίῳ] At ius legitimum est ius vniuersale suo ambitu complectens multa particularia. Nam iusta quatenus aguntur multa sunt & infinita, & propter circumstantiam personarum, loci, temporis, modi, mirifice variant: quatenus verò intelliguntur, finita sunt, & ad vnam certam iuris formam reducuntur. καθόλου] Ius enim legitimum, quatenus præceptum est à legislatore ciuibus datum, vniuersale est, & propterea vnum. E.

Vocum quarundam, quibus actionum iu-

106. διαφέρει] Vocibus τοῦ ἁπλῶς & τοῦ δικαίῳ hactenus vniuersaliter consideratis, nunc eas voces, quæ particulariter ipsas actiones significant, nimirum ὁ ἁπλῶς

ἡ ἀδικεῖν & ἡ ἀδίκημα, & voces his contrarias breuiter adhuc declaremus necesse est, antequam directè ad quæstiones sup. th. 86. propositas respondeamus. ἡ ἀδικεῖν igitur & ἄδικα πρᾶττειν: item ἡ δικαιοπραγεῖν & δίκαια πρᾶττειν, quę actionem iustam vel iniustam denotant, ita se habent, vt ἡ πρᾶττειν δίκαια vel ἄδικα generis subeant vicem: ἡ δικαιοπραγεῖν verò & ἀδικεῖν speciei. Namq; hæc proficiscuntur ex habitu, & certo proposito atq; consilio fiunt; illa vero quascunq; actiones iustas & iniustas designant, siue ex habitu fiant, siue temere & casu. Differunt igitur, quemadmodum Aristoteles cap. 3. lib. 2. docuit differre γραμματικὸν ἢ ποιεῖν & γραμματικῶς ποιεῖν.

starum & iniustarum differentiæ exprimuntur, declaratio.

107. ὅλως δὲ τῶν δικαίων] Nam quicunque iusta vel iniusta agit sponte, is per se & propriè dicitur δικαιοπραγεῖν vel ἀδικεῖν iustè vel iniustè agere. ὅταν] Qui verò non sponte sed inuitus aut ignorans talia agit, is propriè non dicitur δικαιοπραγεῖν vel ἀδικεῖν, sed tantum δίκαια vel ἄδικα πρᾶττειν, neq; propriè iustus vel iniustus nominari potest, sed tantum per accidens, quatenus agit ea, quibus accidit, vt sint iusta vel iniusta, ipse

CAP. VIII. Qui sponte agit is propriè dicitur ἀδικεῖν vel δικαιοπραγεῖν.

verò non agit ex amore iustitiæ vel animo iniuriandi.

ἀδίκημα & ἄδικον quomodo differant.

108. Ἀδίκημα] Ad eundem modũ ὁ ἀδίκημα & ὁ ἀδικοπράγημα differunt ab eo quod ἄδικον est & δίκαιον, vt species à genere. Omne enim ἀδίκημα est ἄδικον, sed non è contra. Namq; ὁ ἄδικος & δίκαιον spontaneum ἀδίκημα & δικαιοπράγημα dici tali ratiocinatione ostendi posse videtur. ἅμα δ'] Quodcunq; ἄδικον vituperatur, illud ἀδίκημα est: vituperari enim ea tantum, quæ ex professo vitiosa sunt, satis superque constat. ὅταν γὰρ] Atqui ὁ ἄδικος ἑκούσιον vituperatur. E. ὁ ἄδικος ἑκούσιος est ἀδίκημα. ὅς τι] Quod verò non est spontaneum, non est ἀδίκημα vel δικαιοπράγημα, sed ἄδικον tantum & δίκαιον dicitur. ἑκούσιον autem seu spontaneum ex libro tertio illud esse diximus, quod quis in sua potestate positum agit sciens, omnibus circumstantijs probè cognitis. v. g. si quis scit se verberare, & nouit quem verberet, item quo instrumento verberet, & cur verberet.

ἑκούσιον.

109. καὶ ἑκάνων] Spontaneum igitur est, quod quis per se agit, non autem per accidens neq; vi. Hoc enim iam inuitum esset; vt si quis ageret vel sciens, sed

ens, sed vi coactus à potentiore v. g. si quis alicuius manu apprehensa alterum verberet, is qui verberat, rem facit iniustam, inuitus tamen, coactus scilicet ab eo, qui manu ipsius abutebatur: vel ignorans, nempe vel subiectum in quod agit, vt puta personam. Nouit v. g. se verberare & quidem hostem, sed tamen ignorat eum quem verberat patrem esse; vel finem propter quem agit. Vt si quis percutiat hostem interfecturus & vulnerando vomicam aperiat, qua aperta ille conualescat; vel totam actionem, vt qui nec quid agat, nec in quem, nec quam ob causam, nouit

110. ἡ δὲ ἀγνοοῦμενον] Inuitum igitur est, ἀκούσιον vt ex 1. cap. 3. libri constat, quod vel ab ignorante committitur per ignorantiam eius quod fit; vel quod à sciente quidem, veruntamen coacto vel vi conditionata, vt nisi hoc faciat, quid aliud pati cogatur, v. g. Lucretia, nisi stuprum patiatur, tanquam in adulterio deprehensa cum seruo interficietur; vel vi absoluta, vt qui in carceres à magistratu ducitur, quod simpliciter βίᾳ seu vi fieri dicitur. πολλὰ] Quædam

verò

verò neq; ἑκούσια neque ἀκούσια dici possunt, cum non voluntatis humanæ sint sed naturæ. Mori enim, canescere, senescere, sudare, famescere & similia, per se quidem à natura pendent: per accidens verò etiam voluntati humanæ subiacent, quoniam mortem aliquatenus accersere, caniciem remorari, senectutem inhibere, sudorem prouocare, fami occurrere possumus. Absolutè tamen horum nullum est in nostra potestate, ita vt sponte nostra illis resistere omninò queamus.

Quidnam sit agere per accidens tàm iusta quàm iniusta.

III. Εστι δ' ἐμοίως] Ita quoq; fieri potest, vt quis per accidens tantũ iusta vel iniusta agere sit dicendus. Namq; per accidens iusta agit, quando eiusmodi factum designat, quale solent homines iusti: sed per accidens agit, non per se, vtputa vel ignorans quid agat, vel sciens quidem, sed coactus per vim. Nam si quis depositum reddiderit inuitus & metu coactus, is neq; iusto officio fungi, neq; rem iustam agere dicendus est, nisi per accidens, vel iusta quidem agere dicendus est, non tamen iustè. Ita quoq; per accidens quis dicitur agere iniusta, quãdo tale quid facit, quale

quale faciunt homines iniusti, sed tamē non sponte, verūm inuit⁹, vel quia ignorat quid agat, vel quia coactus agit. v.g. Depositū non reddere iniusta est actio: at qui vel ignorat depositum esse, vel per vim reddere prohibetur, iniustum quidem facit, non tamen iniustè.

112. τῶν ἑκουσίων] Cæterum duæ sunt species τῶν ἑκουσίων: Quædam enim aguntur vel fiunt consultò seu consilio prius capto, & nominantur προαιρετὰ καὶ προβουλευτὰ, nimirum ea, quæ prius re deliberata aguntur: & qui hoc modo agunt, quæ iusta vel iniusta sunt, hi rectè dicuntur esse iusti vel iniusti. Quædam fiunt absq; præcedente consilio & deliberatione, nimirum ex vehementiore aliquo affectu, aut animi perturbatione: & propter talia nemo potest tanquam iustus vel iniustus laudari vel vituperari: & hæc vocantur ἀπροαίρετα, i. non prius apud animum nostrum proposita & constituta: Vocantur etiam ἀπροβούλευτα, i. quę re non prius deliberata aguntur. Sic bestiæ multa dicuntur sponte agere, veluti sunt; ire ad pascua, redire ad stabulum, currere, & quæcunq; huius generis alia. Sed tamen

Species τῶν ἑκουσίων duæ.

men ἐκ προαιρέσεως agere non possunt, cum ratione careant. Atq; ita ἑκούσιον latius patet, quam προαίρεσις.

Tria genera damnorum.

113. τριῶν δὴ οὐσῶν] Quamuis igitur ex præcedenti vocum singularum prolixa enarratione veritas quæstionis supra th. 86. propositæ elici possit, nimirum, quæ nam sint ἀδικήματα, ex quibus iniusti, quæ δικαιοπραγήματα, ex quibus iusti appellentur: Vt tamen res tota eo magis perspicua & manifestior fiat, aliam quandam diuisionem subiungemus, quæ sumitur à differentia damnorum & incommodorum & iniuriarum, quæ ab alijs alicui inferuntur. Damna igitur trium sunt generum, quæ in quotidiana conuersatione homini ab homine infliguntur: nempè ἀτυχήματα, ἁμαρτήματα & ἀδικήματα, quatenus videlicet proficiscuntur vel ab ignorantia, vel à vehementi aliqua perturbatione & affectu, vel à malo animi proposito, electione & consilio.

Tria genera damnorum.

114. τὰ μὲν μετ' ἀγνοίας] ἄγνοιαν verò istam, ex qua tantùm ἄδικα πράττεται, non ἀδικεῖν neque ἄδικοι vocantur, intelligimus τῶν καθόλου, si vel in quem, vel quomodo

vel

vel cur agat, ignoret. ὅταν] Et hoc quidem damnum ἀτύχημα dicitur seu infortunium. Vt quando Cephalus Procrin vxorem in arbusto latentem sagitta confixit, quod ex motu feram illic esse suspicabatur. ὅταν δὲ] ἁμάρτημα verò dicitur seu erratum, cum non inopinato quidem, citra malitiam tamen & nocendi studium damnum, vel iniuria infertur, veluti si quis sclopedarium instructum incautè manibus tractans suũ socium, aut alium aliquem adstantem interficiat. Ita si duo sodales animi causa digladiando sese mutuo exercent, & vnus alteri eruit oculum aut ei digitum amputat. Differunt autem hæc duo genera, quia ἀτύχημα est, quando adhibita diligentia & cura præuidere quis non potuit, vt puta quia principium ignorantiæ non in eo, qui ignorat, sed extra ipsũ fuit. Itaq; παραλόγως euenit, quicquid euenit. Quando verò adhibita diligentia & cuta prẽuidere quidem potuit, sed maiorem diligentiam non adhibuit, vt cognosceret, tum principium causę istius ignorantiæ in ipso fuit. Itaq; μὴ παραλόγως euenit, quicquid euenit, & propterea hoc dicitur ἁμάρτημα non ἀτύχημα.

Damna ex ignorantia

Peccata cum scientia coniuncta.

115. ὅταν δὲ εἰδώς] Quæ verò non ex ignorantia fiunt, sed ex scientia, illa vocantur ἀδικήματα, ex quibus omnes etiam ἀδικεῖν dicuntur, non tamen ex omnibus dicuntur ἄδικοι, sed ex quibusdam tantum. Sunt igitur duæ species τῶν ἀδικημάτων propriè dictorum Qui enim scientes agunt sine deliberatione solo animi cæco impetu, & per affectuum impotentiam, ij iniuriam quidem faciunt, sed tamen exinde non sunt propriè loquendo iniusti. Quia quæ sine deliberatione infertur iniuria, illa non fit per improbitatem. Neque enim corrupta est ratio, sed velocitate affectus v. g. iræ & cupiditatis præoccuputa. Ea autem, quæ per iram aut cupiditatem fiunt, ab inuitis non fieri in disputatione de προαιρέσει diximus. Qui verò scientes agunt & præterea consulto seu cum deliberatione, ij ἄδικοι ex his nuncupantur.

Qui scientes peccant sine deliberatione, ij iniuriam quidem faciunt

116. διὸ καλῶς] Quæ igitur scientes peccant sine deliberatione per iram aut similem affectum, ex ijs ἀδίκους non dici, non autoritate modò veteris Poëtæ, qui dixit, τὰ ἐκ θυμοῦ οὐκ ἐκ προνοίας κρίνεσθαι, sed hac quoq; ratione comproba-

turs

tur. Qui agit consultò, ἄδικος dici meretur. At qui iratus vel alio quodam affectu perturbatus lædit, is non agit consultò. Qui enim autor est iniuriæ, magis videtur consulto agere, quam alter, qui iniuriam acceptam iratus vlciscitur. Sed qui ad iram prouocat, iniuriæ eius, quam prouocatus infert, auctor est: qui prouocatur, is primus auctor non est, sed vindex. Cum ergo, qui ad iram prouocat, magis videatur consulto agere, quam ille, qui prouocatus est, vtiq; & qui iratus lædit, non est dicendus ἄδικος: licet ἀδίκημα committat, & propter idipsum supplicio sit dignus.

ciunt, sed non sunt iniusti.

117. ἔτι δὲ] Idipsum quoq; hac ratione probari potest: In quibuscunq; iniustè factis non factum ipsum, sed ius facti, hoc est, vtrum facinoris huius desiignandi iustam vel iniustam causam habeant, consideratur: in ijs alius est, qui iniustè agens, se iniustè agere scit, qui ἄδικος; alius qui nescit, qui non vocatur ἄδικος. Atqui in iniuste factis per iram commissis non tàm factum ipsum, quam ius faciendi spectatur. ἐπὶ] Ira enim circa apparatentem iniuriam versatur, nempe respectu eius, qui irasci-

Altera ratio ab iniuriæ, quam iratus intulit natura.

tur, quoniá putat se ab alio contemni, siue reuera contemnatur, siue suspicetur tantum se contemni. οὐ γὰρ] In iniuria igitur ab irato illata non factum ipsum consideratur, vtrum scilicet fecerit nec ne, sed facto præsuppositio, quod nempè læserit iratus, ius consideratur, vtrum scilicet iustam habuerit causam lædendi. ὁ δὲ ἐπιβουλεύσας] E. in iniustè factis per iram commissis alius est, qui se iniustè agere scit, nimirum qui consulto læsit alterum, cum iræ explendæ occasionem longo captasset tempore, & propterea hic talis videtur ἀδικος nominandus. Namque in textu Arist. pro ἀδικεῖσθαι legendum est ἄδικος εἶναι. ὁ δὲ οὔ] Qui vero se iniustè agere nescit, nimirum qui οὐκ ἐπιβουλεύσας, non consultò sed repentè in primo statim motu aliquid agit, is ἄδικος non videtur nominandus.

Quæ scientes peccant cum deliberatione.

117. ἂν δὲ ἐκ προαιρέσεως] Ex ijs igitur quæ scientes peccant sine deliberatione per iram aut similem affectum, ἄδικα non dici, iam satis liquidò constat. Quæ vero scientes peccant cum deliberatione, peruersæ rationis consensu accedente, quando ignorantes quidé agunt, sed

sed tamen non per ignorantiam, sed per improbitatem, ex ijs eximiè dicuntur ἀδικεῖν, & qui tales iniurias facit iniustus est, cum vel à proportione vel ab æqualitate discesserit. Itidemq; iustus est, qui capto ita agendi consilio, id quod iustum est facit. Vt autem iustum aliquid facere dicatur, satis est, si sponte faciat, ex quo tamen δικαιοπραγεῖν tantum, non autem δίκαιος appellatur.

118. Τῶν δ' ἀκουσίων] Vt autem ἑκούσια vel laudem vel vituperium merentur: ita ἀκούσια veniam & misericordiam merentur, interdum verò non merentur. Nam quæ inuiti designant inscientes, siquidem agant per inscientiam, venia sunt digni, præsertim si ἀτυχήματα ea sint, & ignorantiæ principium extra ipsos fuerit. Si vero inscientes quidem, non autem per inscientiam, sed per affectus impotentiam naturæ humanæ non conuenientem; hi tales non sunt venia digni, cum huius ignorantiæ ipsi sibijpsis causa sint. Vt qui per ebrietatem, aut iram, aut amorem aliquid iniustum designant.

τὰ ἀδίκα ἀκούσια *veniam & misericordiam modò admittunt, modò non admittunt*

119. Ἀποροῦσι] Quæstionem ad Iustitiæ habitum pertinentem, ex quibus nempe

CAP. IX. *Vtrum ve-*

lenti fiat iniuria.

actionibus iustus vel iniustus habitus cognosceretur, iam satis prolixè expediuimus. Restant adhuc quæstiones ad actiones Iustitiæ vel iniustitiæ pertinentes. Cum autem duæ sint personæ, quarum altera patiatur, altera verò agat iusta vel iniusta; De patiente hæc est quæstio, vtrum quis sponte sua iniuriâ possit ab alio affici & per consequens: Vtrum quis ab alio sponte sua ius suum obtinere queat. Alterius quæstionis, nempè περὶ τοῦ ἀδικεῖσθαι occasio sumitur ab Euripidis sententia, cuius sub Bellerophontis persona hæc sunt verba: Matrem vt meam necauerim, paucis loquar; Volens volentem, vel volentem non volens. Quasi dicat, nisi interfici voluisset, non fecisset cæde digna. πόλεμον] Quæstionis igitur est, vtrum reuera fieri possit, vt quis suapte sponte accipiat iniuriam, an verò potius iniuriam quis patiatur nolens & inuitus, nimirum vt quemadmodum iniuriam quis sponte facit & volens, ita ex contrario iniuriam patiatur inuitus & nolens. καὶ ἄρα] vel vt exactius & dilucidius quæstionem exponam: Necesse est, iniuriam pati homines vel omnem volentes

volentes, quod minus probabile est, vel omnem nolentes & inuitos, quod verisimilius est, quandoquidem contrariorum ea est natura, vt contraria habeant attributa, & propterea, si facere iniuriam est quoddam ἑκούσιον, eius contrarium, nimirum pati iniuriam erit ἀκούσιον. ἢ ᾗ μὲν] vel necesse est iniuriam pati homines aliquam volentes, aliquam inuitos.

120. ὁμοίως δ'] Sed & περὶ τοῦ δικαιοῦσθαι idem quæri potest, vtrum omnes ius suum obtineant volentes an nolentes, an aliqui volentes, aliqui nolentes ᾗ γὰρ] Sed quod omnes homines eodem modo ius suum obtineant, ita ostendi potest. Si ᾗ δικαιοπραγεῖν omne vnius est generis, ᾗ δικαιοῦσθαι etiam vnius fore generis probabile erit, nimirum vel ἑκούσιον omne vel ἀκούσιον. ᾗ γὰρ] At ᾗ δικαιοπραγεῖν omne vnius est generis, omne scilicet ἑκούσιον. ὥσ'] E. ᾗ δικαιοῦσθαι etiam vnius fore generis, omne scilicet vel ἑκούσιον vel ἀκούσιον probabile erit, maximè tamen ἑκούσιον. ἄτοπον] Interim tamen quotidianis exemplis constat, quosdam inuitos ius suum obtinere, *Quæstio de iure obtinendo.*

quando nimirũ improbi homines propter sua castigantur scelera.

Exponitur vox ἀδικεῖσθαι.

121. ἐπὰ καὶ] Vt autem propositam quæstionem eo rectius explicemus, videndum primò est, vtrum τὸ ἀδικεῖσθαι & τὸ ἄδικον πάσχειν vnum & idem sint. Non autem esse vnum & idem, ex vocis actiuæ significatione intelligitur. Nam paulo antè ex præcedenti capite ostendimus ἄδικα πράττειν & ἄδικον inter se diuersa esse, & illud generis, hoc speciei rationem habere: eodem quoque modo ἄδικα πάσχειν & ἀδικεῖσθαι se habere videntur. Contingere enim potest, vt per accidens tantum τοῦ δικαίου & τοῦ ἀδίκου sit particeps, itaque iusta vel iniusta, non tamen iustè vel iniustè agat vel patiatur, quod est δίκαια vel ἄδικα πράττειν, πάσχειν. οὐ γὰρ] Quemadmodum enim aliud est ἄδικα πράττειν, aliud ἀδικεῖν: Ita quoque aliud est ἄδικα πάσχειν, aliud ἀδικεῖσθαι. Idemque dicendum est περὶ τοῦ δικαίως πράττειν & δικαιοπραγεῖν, item περὶ τοῦ δίκαια πάσχειν & δικαιοῦσθαι. Latro enim iusta patitur, quando interficitur, non tamen δικαιοῦσθαι dicitur, cum non iustæ correctionis studio se supplicio affici sinat, sed præter volun-

voluntatem in magiſtratus veniat manum. Omnis enim ἀδικούμενος præſupponit ἀδικοῦντα, & omnis δικαιούμενος præſupponit δικαιοπραγοῦντα, id eſt, fieri non poteſt, vt quis afficiatur iniuria, niſi ſit, qui iniuriam faciat; neque vt quis ius ſuum obtineat, niſi ſit, qui iuſtè agat, iuſtique iudicis munere fungatur.

122. εἰ δ' ἐστὶν ἁπλῶς] Iam verò quod ad totam quæſtionem attinet, primùm falſam opinionem, quod ſcilicet τὸ ἀδικεῖσθαι ſit ἑκούσιον, refutabimus. Obiectio autem talis eſt. Qui ſponte & ſciens aliquem lædit, is facit ei iniuriam. Sed incontinens ſponte & ſciens ſeipſum lædit. E. incontinens ſponte ſibiipſi facit iniuriam, & per conſequens etiam volens & ſciens patitur iniuriam. Ἔτι ἑκὼν] Alia obiectio: Qui à volente volens læditur, ἑκὼν ἀδικεῖται. At incontinens volens à volente læditur. v.g Phædria ab auara meretrice volens, ſciens, videnſq; ſpoliatur. ὡς εἴη] E. incontinens ἑκὼν ἀδικεῖται. ἢ οὐκ ὄρθως] Sed reſpondendum eſt, committi Paral. diuiſionis. τὸ ἀδικεῖν enim non rectè definitur eſſe, alicui

Opinio falſa.

Reſponſio.

alicui sponte & scientem nocere. Hæc enim imperfecta est definitio. Nam iniuriam alteri facere non est solum sponte eum lædere, sed addendum quoque est, hanc læsionem fieri contra eius, qui læditur, voluntatem. Cum enim hæc duo ἀδικεῖν & ἀδικεῖσθαι contraria sint, itaq; contraria quoq; habent attributa, vt si illud prius, nempe iniuriam facere est spontaneum quiddam, alterum quoq; nimirum τὸ ἀδικεῖσθαι iniuriam pati sit inuitum.

Vera opinio de proposita quæstione.

123. βλάπτ]ειν] Sequitur iam vera sententia, quod nimirum τὸ ἀδικεῖσθαι sit ἀκούσιον. ἴκων enim quis lædi potest, & ἄδικα πάσχειν: at nemo ἴκων ἀδικεῖται. Quod enim quis citra voluptatem patitur, id μὴ ἴκων patietur. οὐδεὶς] At iniuriam nemo volens patitur. Adultera quidem τὰ ἄδικα seu iniusta patitur volens, sed iniuriam volens non patitur. E. οὐδ' ὁ ἀκρα]ὴς] Ex quo etiam intelligitur, quod lædere aliquem latius patet, quam alteri iniuriam facere. Potest enim fieri, vt quis alterum lædat, & tamen non faciat ei iniuriam. Sed vt maxime aliquem semetipsum iniuria afficere concedatur, tamen non sponte id fit. οὐδὲ γὰ]ρ

γὰρ] Nam quod malum est, turpe, & inhonestum, nemo recta præditus ratione volens designat. ὁ δ' ἀκρατὴς] At incontiuens recta ratione præditus id quod bonum est à malo internoscit, & sciens videnscq; id quod bonum est, tamen ob vehementiam appetitus id quod malum est, facit. E. incontiuens id quod malum, turpe, inhonestum est, sponte non designarit, sed non sponte affectuum impotentia rectæ rationis iudicium abripiente.

124. ὁ δ' αὖ τοῦ] Ad eundem modum, si quis quacunq; de causa sua præter rationem det alteri, seipsum quidem sponte lædere, non tamen iniuria afficere dicendus est. v. g. Glaucus aurea arma dedit Diomedi pro armis æneis. Quæ permutatio planè erat inæqualis. Nam aurea arma longè erant pretiosiora, quam arma ænea. Itaq; Diomedes plus videtur accepisse, quàm ipse dederat Glauco. Precium enim armorum aureorum erat 100. numorum, ideò vocantur ἑκατόμβοια. Sed æneorum armorum precium erat tantum 9. numorum, & propterea vocantur ἐννεάβοια Ex quo etiam sequeretur, quod volenti

Permutatio Glauci & Diomedis.

posset fieri iniuria. Sed respondendum est: ἢ δ' ἀδικεῖσθαι] ἢ ἀδικεῖσθαι non esse in patientis potestate. ἐπ' ἀυτῷ] At profusa donatione opes suas atterere & seipsum lædere, in patiétis potestate esse. (Nam quod Glaucus aurea arma dederit Diomedi, id fuit in potestate Glauci, qui ea retinere potuit, & non in potestate Diomedis) E. profusa donatione seipsum lædere non esse ἀδικεῖσθαι.

Duæ quæstiones ad agentem iniusta pertinentes.

125. ἔτι δ' ὧν] Restant adhuc duæ quæstiones, quæ sunt de agente iusta vel iniusta. Vna est, vtrum tribuens alteri plus, quam mereatur, ἀδικεῖν dicendus sit, an verò potius ille, qui plus à tribuente accipit. καὶ ὁ] Altera quæstio est: vtrum quis seipsum possit iniuria afficere.

Vtrum in iniqua distributione plus accipiens, an inæqualiter distribuens iniuria afficere dicatur.

126. ὁ γὰρ] Quia verò quæstio prior, nempe vtrum is, qui præter meritum accipit, an verò qui distribuit, iniuriam facere dicatur, bifurcata est, nimirum quoad subiectum geminum, itaque primùm de eo agendum est, qui plus accipit. Prima autem fronte videtur ὁ ἔχων ἀδικεῖν, nempe is qui præter meritum suum ab altero bonum accipit, idque ratiocinatione ad absurdum ducente

cente probari posse videtur. εἰ γὰρ ἐνδέχεται] Nam si dicatur ὁ δικαίμωρ, non autem ὁ ἔχων ἀδικεῖν, tunc usu veniet, vt quis seipsum iniuria afficiat. At nemo seipsum sponte iniuria afficit. E. ὁ δικαίμωρ, non dicendus est ἀδικεῖν, sed potius ὁ ἔχων, qui scilicet aliena facilitate & modestia ad iniustum lucrum abutitur. ὅπερ δοκοῦσιν] Maior ex eo manifesta est, quod homines modesti minus sibi tribuant, quam alijs. Vir enim probus ἐλαττωτικὸς est erga seipsum, sibi ἔλαττον seu minus, alteri πλεῖον seu plus tribuit, cum de iure suo cedere potius, & minus habere, quam plus obtinendo molestus nedum iniurius alteri esse malit. At vir modestus idem est probus. E.

127. ἢ οὐδέ] Sed verior est quæstionis propositę decisio, si dicamus, quod non omnis accipiens ab alio præter meritum iniuria afficiat, sed is tantum, qui volens accipit, & sponte πλεονεξίαν committit. Vt enim ἁπλῶς seu simpliciter affirmari nequit, omnem ἔχοντα iniuria afficere: ita neq; simpliciter affirmari potest, nullum ἔχοντα iniuria afficere. Nã quod non omnis ἔχων faciat iniuriam,

Quod non omnis qui plus accipit faciat iniuriam.

id hoc

id hoc argumento euinci potest. ὁ πλεονεκτῶν, seu qui plus boni externi, vt gloriæ, vel gratiæ, vel opulentiæ acquirit, ἀδικεῖν potest, non autem is, qui plus boni interni, honestatis scilicet & virtutis acquirit. At non omnis ἔχων plus boni externi acquirit: nèque omnis διανέμων minus. v. g. erogat quis non merentibus opes suas, vt hac largitione famam liberalitatis capter. Itaq; ὁ διανέμων, quoad opes μειονεκτῶν, at quoad gloriam πλεονεκτῶν: vicissim verò ὁ ἔχων quoad opes πλεονεκτῶν, quoad gloriam μειονεκτῶν. E.

Aliud argumentum

128. εἰ λύεται] Præterea & hoc argumento probari potest, non omnem ἔχοντα facere iniuriam. Nam si accipiens iniuriam facit, vtiq; & dans iniuria afficitur, lege contrariorum. Atqui dans non afficitur iniuria. E. Minor ita probatur. ἀδικᾶσθαι seu iniuriâ affici dicitur is, qui præter suam voluntatem læditur. εἰ λύεται] Atqui dans alteri plus, præter voluntatem suam non læditur. δεῖ] E. dans alteri plus, non dicendus est ἀδικᾶσθαι, sed tantum βλάπτεσθαι vel ἀδικα πάσχειν, & proindè accipiens non ἀδικεῖ, sed tantum ἄδικα πράττει.

129. φανερὸν] Nunc videamus de eo, qui

qui plus tribuit, & τὸ διανέμοντα, non autem semper τὸ ἔχοντα iniuriam facere ostendamus. Quendam igitur διανέμοντα ἀδικεῖν, eum scilicet, qui sponte & volens & prior iniuriam meditatur, hinc patet: οὐ γὰρ] Qui sponte iniusta facit, is iniuriam facit, non autem is, qui simpliciter vt inuitus & vt ignorans iniusta facit. At tribuens præter meritum alteri interdum sponte facit, accipiens sponte non facit, nisi fortè quia ab altero priore oblatam occasionem amplectitur. E. τοῦτο] Minor ita probatur. In quo actionis principium est, is sponte facere dicitur. ἐπὶ τῷ] At in tribuente interdum principium est actionis, non autem in accipiente, nimirum quando is, qui tribuit, sponte non prouocatus ab accipiente, tribuit illi de suo. Vt quando pater nullo filij merito, cæco tantum amore inductus bona in illum transfert omnia, exclusis reliquis filijs. E.

Eum qui tribuit alteri præter meritum, ἀδικεῖν.

130. Εἰ ἐπὶ] Sed quoniam distincta sunt τὸ ἀδικεῖν & τὸ ἀδικα πράττειν, indè quoque apparet, quendam διανέμοντα iniusta quidem agere, non tamen ἀδικεῖν. Nam non omnis ἀδικα πράττων ἀδικεῖ. At omnis qui

qui iniusta διανέμει seu inæqualiter distribuit, ἀδικα πράττει. E. Maior ex contrario deducitur. Namq; ἀποκτείνειν varijs modis dicitur. Nam quodammodo etiam inanima interficiunt, vt si statua Theaginis delapsa interficiat flagellantem. Sic & bruta necant, & seruus Domini iussu, cui parere necesse habet, interficit. Atqui ἀδικα πράττειν δίκαια est ποιεῖν. E. οὐκ ἀδικεῖ] Hinc iam sequitur, quod qui nesciens, quid agat, & nolens, vel plus boni tribuit, vel plus mali infert, is ἀδικα quidem πράττειν, non tamen ἀδικεῖν dicendus sit.

ἀποκτείνειν multis modis dicitur.

Iudex iniustum cõmittens.

131. Εἰ δὲ μὴν] Præterea, qui iniustum fert iudicium, iniustum se committere vel ignorat, vel scit. Si ignorat iniuriam non facit secundum ius νομικὸν: neq; iniustum judicium appellabitur, quia legem sequitur malam, quam tamen malam esse ignorat. ἴσως] Sed secundum ius naturale & iniuriam facit, & iniustum dicitur judicium. εἰ δὲ γινώσκων] Si verò scit, se iniustum committere, tum non tantum iniustum erit iudicium, verum etiam iniuriam facere videtur, quia πλεονεκτεῖ & plus consecutus est, vel in eo, quod gratiam inijt ab altero, vel in eo,

in eo, quod inimicitias suas vltus est.

132. οἱ δ' ἀνθρωποι] Corollarij loco quæstioni iam expositæ adijciamus aliarum quæstionum, quæ ex prioribus ortæ sunt, decisiones. Ex eo enim, quod supra sæpius dictum est, τὸ ἀδικεῖν esse ἀνόσιον, improbum vulgus varias opiniones absurdas deducit, & primum τὸ ἀδικεῖν, sicuti & τὸ δικαιοπραγεῖν facile esse, & per consequens facile quoq; esse iustum & iniustum esse, vt quandoquidem penes omnes ciues, cuiuscunq; sint conditionis, in plerisq; Rebuspub. iusta & iniusta dignoscendi æqualis est auctoritas, ob id iusti & iniusti cognitio & actio omnibus quoq; natura quodammodo insita esse videatur. Ita enim argumentatur vulgus. Quæcunq; actiones in libera hominis potestate & voluntate sunt positæ, eæ faciles sunt, & facilè quoq; est, habitum ex ijs prouenientem comparare. Atqui actiones iustas & iniustas in libera sua potestate esse vulgus putat, ita ut quando velit, possit ἀδικεῖν vel δικαιοπραγεῖν. διὸ] E. etiam actiones iustæ & iniustæ faciles sunt, & propterea facilè quoq; est habitum iustum & iniustum comparare.

Vtrum facilè sit iustum & iniustũ esse.

133.

Refutatur opinio vulgi.

133. ἡ δὲ οὐκ εὖ] Sed si rem recta reputemus via, eorum quæ iusta sunt & iniusta actio facilis non est, neq; in quosuis cadit. Falsum enim est, quod vulgus dicit, nimirum ἡ ἀδικεῖν & δικαιοπραγεῖν in sua esse potestate. Namque decipitur vulgus, quod ἄδικα πράττειν & ἀδικεῖν vnũ & idem esse putat, quæ tamen diuersa esse ex superioribus constat. συγγινέσθω] Etenim ἡ ἄδικα πράττειν. v. g. adulterari, profundere pecunias, verberare in cuiusuis potestate libera situm est, vt data occasione possit, si velit. Proindè hoc ipsum quoque facilè esse concedimus. ἀλλὰ] ἡ ἀδικεῖν verò non in cuiusuis libera situm est potestate, vt data occasione possit, si velit, agere: sed requiritur certus habitus, cuius acquisitio vt facilis non est, ita neq; facilis exercitatio in vtramuis partem.

Vtrum cuiusuis sit scire & nosse, quid iustum & iniustũ sit.

134. ὁμοίως δὲ ἡ γνῶναι] Refutauimus vulgi opinionem existimantis, eorum quæ iusta sunt vel iniusta actionem facilem esse. Sequitur autem alia vulgi opinio, quod nimirum & cognitio eorum quæ iusta sunt & iniusta, facilis sit, & in quosuis cadat. Ita enim argumentatur vulgus. ὅλως περὶ] Leges facilè cognosci pos-

sci possunt à quouis, quandoquidem in foro publicè proponuntur, vt citra negotium ab omnibus & legantur & intelligantur. At ius nihil aliud est, quam id, qud legibus decretum est, & sancitum. E. ius à quouis facilè cognosci potest. Eoq; fit, vt Democratijs de rebus maximis etiam cerdones iudicét. Sed respondendum est, committi paralogismum non causæ vt causæ. Quod in minore assumitur, τὸ νόμιμον & τὸ δίκαιον idem plane esse, & vicissim τὸ παράνομον & τὸ ἄδικον, in eo vulgus vehementer errat. ἀλλ' οὐ] Ea enim, quæ legibꝰ jubentur aut vetantur, δίκαια non sunt per se, quatenus aguntur, neq; iustos homines vel iniustos faciunt si obseruentur, nisi tantum per accidens: quoniam accidit iustis, vt sponte eas actiones legitimas obeant, quæ metu legis iniusti suscipiunt. ἀλλὰ πᾶς] δίκαια tamen sunt & iusta, quatenus ex habitu iusto aguntur, vt non tantum δίκαια πράττειν, sed etiam δικαιοπραγεῖν dicantur. Quemadmodum igitur cognitio eorum, quæ salubria sunt, difficilis est, nec nisi Medici propria: Ita etiam cognitio eorum quæ iusta sunt & iniusta magis difficilis est, quam eorum quæ salubria sunt &

insalubria, quoniam hæc naturam communem habent autorem, & proinde apud omnes ferè, vel certè apud plerosq; talia esse ipsius sensus iudicio deprehenduntur. Iusta verò νομικὰ autorem habent rationem, quæ cum prò diuersitate circumstantiarum alium atq; alium scopum sibi proponat, fit, vt leges aliæ sint apud Germanos, quam apud Indos, cum tamen Rhabarbarum æqualiter purget apud Germanos & Indos.

Vtrum cuiusuis sit hominis τὸ ἀδικεῖν.

135. διὸ ἀνὸ δ'] Quia verò dato vno inconueniente sequuntur infinita, ideo vulgus cum persuasum sibi habeat, τὸ ἀδικεῖν quoad actionem & cognitionem facilè esse, exinde vlterius infert, cuiusuis etiam hominis esse ἀδικεῖν, nempè non modo iniusti, verum etiam iusti. Ita enim colligit. In cuius potestate est ἄδικα πράττειν, in eius quoq; potestate est τὸ ἀδικεῖν. Vulgus n., cum pessimus sit cum dicendi tum sentiendi autor, nec distinguat, sed quæ aliquam duntaxat similitudinem inter se habent, pro eodem habeat, τὸ ἄδικα πράττειν & τὸ ἀδικεῖν prò uno eodemq; sumit. ἐν οὐδὲν] At in hominis potestate est ἄδικα πράττειν, eoq; amplius, quo plures habet sub Iustitiæ prætextu iniqua agendi commoditates & occasiones. Namq; & hunc cum v-

xore aliena rem habere, alterumq; verberare, & virum fortem clypeum abijcere, & tergo verso in utramuis partem currere posse dicunt. E. in hominis etiam iusti potestate est τὸ ἀδικεῖν.

136. Ἀλλὰ τὸ δεκτικὸν] Sed respondendum est per distinctionem inter ἀδικεῖν, & ἄδικα πρᾶττειν, quam supra aliquoties explicuimus. Quamuis enim τὸ ἄδικα πρᾶττειν in quemuis cadere possit, non tamen τὸ ἀδικεῖν in quemuis cadit. Quemadmodum enim in arte Medica vrere, secare, purgare non est per se sanare (multi enim vrunt & purgant, qui non sanant) sed per accidens tantum dicuntur sanare, quia ea agunt sine arte, quæ cum arte alij agentes sanare consueuerunt. Per se verò ij sanant, qui ex artis Medicæ præscripto actiones istas obeunt. Ita quoq; in moribus iniusta facere non est per se ἀδικεῖν, sicuti neq; arma abijcere per se est, ignauum esse: neq; cum vxore alterius rem habere, per se est, adulterium committere (fieri in. potest, vt nesciat eam esse alterius vxorem:) Sed per accidens tantum, quoniam actiones similes actionibus hominis iniusti, vel timidi vel intemperantis interdum designat is, qui non est

τὸ ἀδικεῖν non cadere in quemuis

iniustus, nec timidus nec adulter. Per se verò & propriè ἀδικεῖν & δειλαίνειν & μοιχεύειν dicuntur, qui certo habitu vel iniustitiæ, vel timiditatis, vel intemperantiæ præditi actiones istas designant.

Inter quas personas ius locum habeat.

137. Εἰ δὲ] Sed τὸ ἀδικεῖν non in quemvis cadere etiam hac ratione liquet: Inter quos τὸ δίκαιον non habet locum, inter eos quoque τὸ ἄδικον locum non habet, & per consequens eorum quoque non est ἀδικεῖν. At non inter omnes locum habet τὸ δίκαιον E. neque inter omnes locum habet τὸ ἄδικον, nempè inter Deos omninò non reperitur, neque inter quosdem homines, qui nempè non agunt ex iniustitiæ habitu. Minor ita probatur: ἔστι δὲ] Inter quos conditiones necessariæ ad iuris constitutionem reperiuntur, inter eos quoque ius reperitur, nempè inter eos, inter quos eorum, quæ absolutè bona sunt, communitas est, & quibus horum nimium & parum esse potest. At non inter omnes inter se conversantes istæ conditiones existunt. Inter quosdam n. nempè inter Deos non est nimium, neq; inæqualitas oriri potest, & proindè neq; æqualitas propriè observatur. Vbi n. nimium & parum datur, quæ sunt inæqua-

lia,

lia, ibi quoq; medium, quod æquale est, dari ex præced. constitit. Sic æqualitas etiam non cadit in eos, qui Dijs longissimo intervallo opponuntur & extremè mali sunt, ut Diaboli & homines insanabiles, qui non nisi malè agere possunt. τοῖς δὲ] In eos verò qui nondum contraxerunt habitum improbitatis, in participatione bonorum æqualitas cadere potest. διὰ τοῦτ'] E. non inter omnes inter se conversantes ius reperitur. Nam inter Deos non reperitur propriè, inter homines verò reperitur, & proindè humanum est.

138. περὶ δὲ ἰσότητος] Explicuimus quæ CAP. X.
stiones corollarij loco primæ quæstioni
principali ad actiones iustitiæ vel iniu- Connexio.
stitiæ pertinéti adiectas. Antequam verò ad alteram quæstionem etiam ad iustas vel iniustas actiones spectanté, quæ agit de iniuria erga seipsum, accedamꝰ, de Æquitate, de Æquo & bono, deniq; de viro æquo & bono pauca quædam interseremus & præcipuè hanc quæstionem, vtrum eadem sit Æquitas cum iustitia, an diuersa, breuiter explicabimus, quoniam neq; vt eadem genere, neq; vt planè diuersa videtur esse.

139. πρὸς ὃτὲ μὲν] Vt autem hanc quæsti-

Æquitatẽ esse à Iustitia diuersam.

onem eo melius expediamus, primùm quid alij de ea sentiant, indicabimus, ac deinde nostram sententiam subiungemus. Qui igitur existimant æquitatem à Iustitia diuersam esse, ita argumentantur: Si æquitas omninò eadem esset cum iustitia, tum virum iustum & æquum eodem modo laudaremus. Sed non eodem modo vir iustus & vir æquꝰ laudatur. Sæpe n. fit, vt quem iustitiæ nomine non laudant, laudent æquitatis nomine, ꝙ iure suo neglecto æquum bonum sequatur. ὅπερ κρὸς] Huc accedit, ꝙ vocabulũ æquitatis latius pateat, quam Iustitiæ vocabulum, adeo vt ἐπιεικὴς apud græcos alioquin idem significet, ꝙ ἀγαθὸν. Hinc vir bonꝰ et. vocatur ἐπιεικὴς. 140. ὁτὲ δ'] Qui verò τὸ ἐπιεικὲς genere non esse diuersum existimant à iure, hac nituntur ratione. ἡ γὰρ] Namq; si æquum & iustum genere differunt, alterutrum certè malum esse oportebit, nimirum iustum, si æquum statuatur bonum; vel æquum, si iustum bonum esse concedamus. Atqui neutrum malum est, sed vtrumq; bonum & σπουδαῖον. E. ἡ δ'] & ꝙ consequens genere idẽ est cum iusto. 141. ἐκεῖναι] Hæ a. opiniones, si rectè intelligantur, quodammodò bene se habent, neq; sibiinuicem repugnant.

Æquitatẽ à Iustitia non esse diuersam.

Eorum n. opinio qui æquum bonum & ius idem esse affirmant, ita defendi potest. Quæ sub eodem genere inter se conferuntur, vt specie differant, genere tn. conueniunt. At τὸ ἐπιεικὲς & τὸ δίκαιον sub eodem genere inter se conferuntur. Namq; si cum iure νομικῷ conferatur ἐπιεικὲς, ipso iure melius est, neq; tamen ita iure melius est, vt sit aliud quoddam genus. Sed vtrumque bonum est. Æquitas a dicitur esse melior quam iustitia, quatenus corrigit & mitigat asperitatem & rigorem iuris scripti, & pro ratione circumstantiarum, id q̃ in iure scripto videtur esse durius positum, lenit, & ad normam iuris naturalis, quæ æquissima est, reuocat. 142. ποιεῖ δ'] Hinc quoq; patet, quod & eorum opinio, qui τὸ ἐπιεικὲς vt maximè Ius esse concedant, diuersum tamen esse à legitimo iure putant, vera sit, quippe cum ἐπιεικὲς sit iuris correctio. Ius enim νομικὸν lege comprehensum est & definitum. ἀλλὰ] Lex autem omnis generalis esse debet præceptio omnia particularia complectens. περὶ ἁπάντων] At non omnia particularia vniuersali præceptione comprehendi à legislatore possunt. ἐν οἷς] Quæ igitur vniuersaliter comprehendi nequeunt, in ijs legisla-

Examinatur præditæ opiniones.

ἐπιεικὲς diuersum est à iure, quia eiusdē est correctio.

tor id, quod vt plurimùm contigit, sumit, loco τοῦ καθόλου ἐπιεικοῦς, id quod plerunq; euenire solet, substituens. οὐκ ἀγνοῶν] Vbi verò ἐπιεικοῦς, id quod plerunq; solet euenire, sumitur, ibi multos errores contingere oportet, etiam sciente & præuidente legislatore. Neque tamen idcirco lex malè dicitur esse posita. Quoniam hæc legis imperfectio non à legis natura, neq; à legislatoris imperitia prouenit, sed à rerũ quæ sub actionem cadunt, indefinita varietate, quam certis legum limitibus comprehendere non licet. ὅταν οὖν] Quando igitur errores contingunt, quia lex de ijs rebus vniuersaliter loquitur, quę tamen particularem explicationem admittunt, tum illud, in quo defecit legislator, supplendum est, & ea ratione corrigendũ, quam ne ipse quidem legislator, si adesset, improbaret, quamq; si animaduertisset, ipsemet ab initio cauisset, E. ius νομικὸν correctione secundum rationem æquiboniq; indiget.

Definitio æqui boni.

143. Διὸ δίκαιον] Restat, quid nos de proposita quæstione sentiamus, breuiter declaremus. Quod igitur ad genus ipsum æqui boni attinet, illud δίκαιον seu ius esse dicimus, & sic cum iure legitimo

mo conuenit in genere. τὸ βέλτιον] Sed si differentiam spectes, ius istud melius est & perfectius iure quodam, nempe legitimo. Melius inquam non simpliciter & absolute (alioquin enim lex æqui boni correctione semper opus haberet) sed per accidens, si videlicet error quispiam contingat. Definitur ergo ἡ ἐπανόρθωσις, quod sit correctio legis, seu iuris scripti ea parte, qua lex defecit propter suam generalitatem.

144. τοῦτο γὰρ ἄδικον] Corrigitur autem ius legitimum, non quod antiquetur vel emendetur, sed quod hæc particularis actio à nexu legis liberetur, legem non secundum scripti formulam, sed secundum legislatoris æqui boni mentem interpretando. Quæcunq; enim lege non possunt comprehendi, illa secundum legem non sunt interpretanda. *Id quod corrigitur ius est legitimum.*

ὅλως περὶ] At quædam particulares actiones propter suam infinitatem lege non possunt comprehendi. E. ὅτι] Ad iuris igitur legitimi correctionem plebiscitis opus est. Lex enim indefinita ex æquo & bono definienda est per plebiscita. *Per quod corrigitur est ius æquum bonum.*

τοῦ γὰρ] At rerum singularum lex est indefinita, quia infinitæ rei infinita quoque regula seu lex est. E. ὥσπερ] Nam

quemadmodum Lesbiorum architectorum plumbea regula sese ad lapides habet, ita plebiscitũ se habet ad actiones. πρὸς γὰρ] At Lesbia regula accommodat se lapidibus, cum reliquæ architectorũ regulæ lapides & ligna sibi accommodent. οὕτω τὸ] E. etiam plebiscitum accõmodat se actionibus ex præscripto ęqui & boni, cum è contra lex sibi accommodet actiones.

145. φανερὸν] Quis igitur sit ἐπιεικὴς ex præcedentibus intelligi potest. Nempe vir æquus bonus est, qui vult & agit ea quæ sunt æquitati consentanea, & in iure interpretando siue in sua siue in aliena causa non est ἀκριβοδίκαιος, neque summum ius persequitur, neq; in deteriorem partem propensus est, sed potius de suo iure nonnihil cedit, etiamsi legem pro se habeat, & eius auxilio niti possit. Huius autem habitus ἐπιείκεια, seu æquitas appellatur, qui non est diuersus habitus à Iustitia, sed idem: eo solo differens, quo species à genere.

CAP. XI. *Vltimæ quæstionis principalis declaratio.*

146. κάτιτον] Superest adhuc de quæstionibus supra propositis vltima explicanda, nempe vtrum seipsum quis possit iniuria afficere. Nam cum hominis ratio appetitui imperare debeat, certè

qui

qui rationem appetitui ſubijciet, & affectibus ſuis indulgebit, is erga potiorem ſui partem iniurius erit, & propterea ſeipſum iniuria afficere videtur, quandoquidé homo ꝑ rationem homo eſt & appellatur. Poſſe igitur aliquem ſibiipſi facere iniuriam ex aliorum opinione ita probamus. I. Quæ in hominis poteſtate non ſunt, ea lex non prohibet. At ſeipſum iniuria afficere lex prohibet E. Minoris probatio hæc eſt: ἃ δὲ μὴ] Quæ lege non præcipiuntur, ea tacitè prohibentur. οἷον] Sed ſeipſum iniuria afficere nec tacitè nec expreſse iubet lex. E. ἔτι] II. Qui contra legem ſpontè nocet, adeoq́; prior non laceſſitus ab alio, is ſciens volensq́; facit iniuriam. ὁ δὲ] At qui ira impulſus ſeipſum interficit, ſibiipſi contra legéſpontè nocet. ἀδικεῖ ἀρὰ] E. qui ſeipſuminterficit, ſciens volensq́; ſibiipſi iniuriam infert. 147. Ἀλλὰ τίνα] Sed vt maximè concedamꝰ hunc talem iniuriã facere, non tamé ſibi ſed ciuitati facit iniuriam. Quod n. vindictam quærit & punit, id præcipuè iniuria afficitur, vt ſupplicio ipſo inæqualitatem ortam corrigat. διὸ καὶ πόλις] At ciuitas eum, qui ſibiipſi manus infert punit. Quia nemo eſt dominus ſuorum

Refutatio opinionis aliorum.

mem-

membrorum, & qui seipsum interficit, Reip. ciuem subtrahit, atq; in eius iurisdictionem scelerate irruit ὥς τ]ὴν] E. ciuitas ab eo, qui seipsum interficit, iniuria affici videtur. Quod autem sibijpsi non faciat iniuriam, ex hoc argumento liquet. ἀδικεῖ τι] Nemo sponte sua iniuria afficitur ἑκών] At qui seipsum vita priuat, sponte sua id facit. E.

Neminem sibijpsi iniuriam facere posse secundum iniustitiã particularem.

148. Ἔτι καθ'] Sed hoc ipsum, quod nemo sibi jpsi iniuriam inferre possit, præcipuè intelligendum est secundum iniustitiam particularem, id quod ita probatur. Si ἄδικος non est simpliciter is, qui improbus est, sed is, qui πλεονεκτεῖ & inæqualitatem amat in distributione & commutatione, atq; ita iniuriam infert; non vtiq; potest quis proprie sibi-ipsi secundum particularem iniustitiam iniuriam inferre. τοῦτο γάρ] Atqui ἄδικος non simpliciter sed certo genere improbitatis improbus est, τῆς πλεονεκτεῖν scilicet. Nam qui secundum vniuersalem iniustitiam est iniustus, dicitur ὅλως φαῦλος, quasi vniuersaliter improbus, quia peccat contra leges, qui de omnibus virtutibus præcipiunt. Qui autem secundum particularem iniustitiam est iniustus, is non dicitur ὅλως vniuersaliter

ter & omninò improbus, sed tantum vno aliquo certo vitio laborat, nimirum quod iniquus sit in distribuendis & commutandis bonis. ὡς] E. non potest quis propriè sibijpsi iniuriam facere secundum iniustitiã particularem.

149. ἅμα γάρ] Sunt autem adhuc quinque alia argumenta, quæ idem probant. *Quinq; alia argumenta.*

1. Si quis seipsum iniuria afficeret, idem simul & plus obtineret (quatenus nimirum facit iniuriam) & plus amitteret (quatenus patitur iniuriam) atq; ita simul plus & minus haberet, quod fieri non potest. ἀλλὰ μὴν ἀκούσιον] 2. Esset sibiipsi contrarius, nempe agens & patiens volens & nolens pariter, item seipso prior & posterior, cum faciens iniuriam volens faciat. Patiens autem nolens patiatur, vt ex superioribus constat, & faciens quoq; sit naturâ prior patiente. ἀλλὰ μήν] 3. Pugnaret hoc ipsum quoq; cum ijs, de quibus supra dictum est, quod nemo sua sponte iniuriam patiatur. Namq; hic sua sponte iniuriam accipere & pati videntur. πρὸς δὲ] 5. Particularis iniustitia in particularibus iniurijs consistit, quas alter alteri πλεονεξίας causa infert. At nemo seipsum particularibus iniurijs afficit. Sic vxorem suam nemo adul-

adulterat, nemo parietem suum perfodit, nemo rei suæ furtum committit propriè loquendo, sed per accidens tantum ὅλως δὲ] 5. Qui seipsum vel vita, vel pecunijs, vel honoribus exuit & priuat, illum vt maximè ἀδικα πράττειν simul & à seipso ἄδικα πάχειν concedatur, non tamen ἀδικεῖν seipsum, vel ἀδικεῖσθαι à seipso dicendum esse, nisi per accidens, ex superioribus constat.

Facere iniuriam maius esse malum quam pati iniuriam.

150. φανερὸν δὲ καὶ] Cum autem vtrumq; tàm facere, quàm pati iniuriam sit malum, siquidem qui facit iniuriam plus obtinet, qui verò patitur, minus: Per se tamen facere iniuriam quam pati maius esse malum & deterius hinc constat: Illud malum quod cum vitiositate iunctũ est, & propterea etiam vituperandum, deterius est eo, quod absq; vitiositate est & vituperio. τὸ μὲν γὰρ] Atqui facere iniuriam cum vitiositate & vituperio iunctum est. τὸ δὲ ἀδικεῖσθαι] Iniuriam verò pati sine vitiositate est & vituperio. Nemo enim alterum propter iniuriam, qua ab alio affectus est, reprehendit, sed condolet potius. καθ' ἁυτὸ] E. facere iniuriam per se maius est malum, pati iniuriam minus malum. Per accidens tamesi τὸ ἀδικεῖσθαι interdum grauius est

est malum, quàm τὸ ἀδικεῖν. Quemadmodum enim per se & absolutè pestis maior est morbus & maius malum, quam læsio pedis, vel vulnus ex pedis offensione natum, per accidens verò offensio pedis maius est malum, veluti si propter pedis dolorem accidit, vt in fuga ab hostibus capiatur & interficiatur. Ita quoq; τὸ ἀδικεῖν per se & absolutè maius est malum, quàm τὸ ἀδικεῖσθαι, licet euenire possit, vt ἀδικεῖσθαι maius sit malum, hoc est, maioris mali occasio. v. g. Cogit Tyrannus virum iustum, in quo solo spes patriæ posita est, vt vel abdicet filium, vel ex patria emigret. Hic facere iniuriam est, filium abdicare, pati verò iniuriam est, relinquere patriã. Sed præstabilius tamen est filium abdicare, quàm iniuriam à Tyranno pati, quæ quidem Reip. exitio est, cum Reip. melius sit prospectum, si per talem virum suam retineat libertatem, quàm si pater à priuata abstineat iniuria, & patriam deserat.

151. κατὰ μεταφορὰν] Ostensum est, qui seipsum lædit, proprie sibi non facere iniuriam. Sed tamen impropriè & per metaphoram aliquem sibi iniuriam facere posse constat, siue iniustus sit erga suorum

Iustus & iniustus erga seipsum quis dici potest, sed

per Metaphoram.

ſuorum aliquem, qui ſit veluti pars ſui, vel πατρικῶς, vel γαμικῶς, vel δεσποτικῶς: ſiue immediatè erga ſeipſum, quando nimirum idem ſecum ipſe diſſentit, quando ea animæ pars, quæ parere debebat, imperat; quæ vero imperare, paret, & fœdè ſe ſubijcit: quando fertur equis auriga, nec audit currus habenas. ἐς ἑαυτὸν] Iniurius ergò quis eſt erga ſeipſum, ſi Appetitus rationis imperium excutiat, ſi ratio tandem appetitui ſeruiat, ſi quis videat meliora probetq́; , deteriora ſequatur. Hoc ſenſu rectè dixit Plato nullam iniuriam alteri inferri poſſe, niſi quis erga ſeipſum prius iniurius eſſet. ὥσπερ] Iuſtus verò erga ſeipſum quis dicendus eſt, ſi ſecundum dictamen rectæ rationis viuat, & affectibus ſuis non magis, quam præcipiat ratio, indulgeat, ſed omnia conſultò agat.

Hactenus itaq́; de Iuſtitia alijſque virtutibus, quæ ad Politicam vitam rectè inſtituendam pertinent, pro inſtituti noſtri ratione ſufficienter à nobis eſt diſputatum.

Soli Deo ſit honor & gloria.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0608
DFG

tur. Qui agit consultò, ἀ
tur. At qui iratus vel ali
ctu perturbatus lædit, i
sultò. Qui enim autor c
gis videtur consulto age
qui iniuriam acceptam
tur. Sed qui ad iram pr
eius, quam prouocatus
est: qui prouocatur, is
non est, sed vindex. Cu
iram prouocat, magis vi
to agere, quam ille, qui
vtiq; & qui iratus lædit,
dus ἀδικῶν: licet ἀδίκημα
propter idipsum supplici
117. εἰ δὲ] Idipsum quo
probari potest: In quibu
factis non factum ipsum
hoc est, vtrum facinor
gnandi iustam vel iniust
beant, consideratur: in ij
iniustè agens, se iniustè a
ἀδικῶν; alius qui nescit, qu
ἀδικῶν. Atqui in iniuste
commissis non tàm fac
quam ius faciendi spect
enim circa apparentem
fatur, nempe respectu ei

Q

ciunt, sed non sunt iniusti.

Altera ratio ab iniuriæ, quam iratus intulit natura.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574584/phys_0609
DFG